

**S e r i e s II. - « A N A L E C T A O S B M » - S e c t i o III.
Серія II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Секція III.**

**DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAE ILLUSTRANTIA
(1075-1953)**

VOL. I.

1075-1700

**COLLEGIT INTRODUCTIONE ET ADNOTATIONIBUS AUXIT
P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM**

**R O M A E 1 9 5 3
PP. BASILIANI - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI 3**

S U M P T I B U S U C R A I N O R U M A P U D E X T E R O S D E G E N T I U M

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

S E C T I O I I I

Series II. - «ANALECTA OSBM» - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Серія II.

Sectio III:

**DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE UNITAE
IN TERRIS UCRAINAЕ ET BELORUSSIAЕ
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA**

DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM

VOL. I.

**DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAЕ ILLUSTRANTIA
(1075 - 1700)**

SUMPTIBUS UCRAINORUM APUD EXTEROS DECENTIUM

R O M A E

**S e r i e s II. - « A N A L E C T A O S B M » - S e c t i o III.
Серія II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Секція III.**

**DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAE ILLUSTRANTIA
(1075-1953)**

VOL. I.

1075 - 1700

**COLLEGIT INTRODUCTIONE ET ADNOTATIONIBUS AUXIT
P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM**

**R O M A E 1953
PP. BASILIANI - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI 3**

SUMPTIBUS UCRAINORUM APUD EXTEROS DEGENTIUM

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 9.XII.1953

P. PAULUS P. Myškiv OSBM

Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 12.XII.1953

† ALOYSIUS TRAGLIA

Archiep.pus Caesarien., Vicesgerens



PIUS PP. XII
DEFENSOR CHRISTIANITATIS

SEPTIMO . REVOLVTO . SAECVLO
A QUO
INNOCENTIVS . DANIELEM
CORONAVIT
CHRISTIANITATISQVE . DEFENSOREM . CONSTITVIT
TARTARORVM . PERICVLO . IMMINENTE

POPVLVS . HEREDITATIS . EIVS
SIMILI . PRESSVS . PERICVLO . IMPIORVM
AD
PIVM
ANGELICVM . PASTOREM
SVOS . CONVERTIT . OCVLOS

EIQVE
ANIMOS . ET PRISCAE . FIDELITATIS
CVM
SANGVINE . MARTYRVM . FILIORVM
TESTIMONIA . OFFERT

P R A E F A T I O

Donavit olim Innocentius Danielem nobili dono id est regali corona, a « furore tartarorum » liberationem a Deo deprecatus. Quam dignitatem septem per saecula eius in cathedra Petri Successores novis quam plurimis exornarunt muneribus propensiique animi testimoniis. Hodie « a furore Dei osorum » ut orbis terrarum liberetur efflagitat Pius. Hereditas vero Danielis seu posteri per orbem terrarum exsules gratias illas gemmasque assiduo collegerunt labore Pioque quasi donum pro corona Innocentii reddunt. Splendet iterum inter iubila corona Danielis; coruscat denuo sanguine sudoreque martyrum ucrainorum Pontificum Romanorum productum opus.

Huiusce coronae luce perfusa splendit nobilis illa sapiensque princeps femina Olha (944-962), quae cum Sacro Romanorum Imperio de religione agebat animorumque salute. Splendet Magnus eius nepos Volodimirus (972-1015), qui baptismatis lavacro ablutus, Apostolicam Romanam Sedem, missis ultro citroque Legatis, saepius adibat. Splendet Volodimiri nepos Izjaslaus-Demetrius, qui Regni sui gubernacula quasi dono Beati Petri a Gregorio VII accepit, qui eius filio ad limina Apostolorum legato regalem imposuit coronam. Clare patet ubi cum principibus et regibus Ucrainae agit Innocentius III, ipsos adhortatur Honorius III et Gregorius IX, et tandem defensorem christianitatis, irruentibus tartaris, Danielem principem constituit Innocentius IV, qui Regnum Danielis « utpote plantationem novellam » peculiariibus prosequebatur muneribus, « personam eius et Regnum sub beati Petri et suam protectionem » suscipiens.

Doluit de irritis propositis Alexander IV, successoresque eius meliora exspectaverunt tempora, de quibus denique Joannes XXII « ineffabili exultatione cordis » est laetus. Res Ucrainae christianaे Pontificibus etiam Avignonensis curae assiduae fuerunt.

Quid vero dicendum de alaci illo Summo Pontifice Eugenio IV, qui Orienti Occidentique Florentiis remedium malorum ecclesiasticorum quærebant universum? Ei ad latus fidelis usque ad mortem astabat Cardinalis « Ruthenus », qui « in obtinenda unione multum fideliter et diligentissime » adlaboravit. Alta et magnifica effecerunt Callistus III et Pius II, tum Cardinali « Rutheno », exsuli, tum Sedi Kiovensi Haliciensiisque providenda. Optime prohibuit Sixtus IV Ducem Moscoviae terras Ucrainae affectantem,

Alexanderque iterum Florentina decreta plene confirmavit, quem proprius secutus est Leo X, et Clemens VII, violatoribus et adversariis Rituum Orientalium censuras minando, eosque assidue hortando.

Post medium autem idem saeculum Gregorius XIII de reducendis ad Sedem Apostolicam animis ucrainorum sedulo agebat, actuosam operam Ducis Ostrožskyj plausu comprobans. Tandem messem uberem collegit Clemens VIII, plaudente terrarum Orbe, laetante Urbe, de « Ruthenis receptis ». Paulus V Ecclesiam hanc et nationem praecipuo prasequebatur amore, Unionem defendens et firmans, qua Urbanus VIII fore ut totum Oriens ad veram religionem converteretur sperabat, pro qua defendenda confitebatur: « iucundum nobis esset Pastorem bonum imitantibus, animam nostram ponere pro ovibus nostris ». « Cum vita sanguinem quoque alacriter effundere, si catholicae fidei et boni vestri rationibus conducere posse cognosceremus » Innocentio X erat in animo. Alexander VII « Graecorum unitorum Ritum a Moschis acriter oppugnatum » est tutatus, intus vero pacem et concordiam promovit, quod et Clemens IX et X « paterna sollicitudine » efficere contenderunt. Messem harum sollicitudinum colligere coepit Innocentius huius nominis XI, qui « cum ingenti animi gaudio » exceptit nuntium de professione fidei Episcoporum Leopoliensis et Peremysliensis, quo nihil videbatur Ei « aptius ad leniendas assiduas et ingentes » Apostolici muneris curas. « Peculiarem laetitiam » Praedecessoris eamque plenam expertus est Innocentius XII, « exuberanti perfusus gaudio », cum totam Eparchiam Peremysliensem ad unitatem catholicam reciperet et Clemens XI recepta Leopoli et Luceoria. Sed paulo post « intimo cum dolore coram Deo procumbens enixe eum rogat, ne qui misericordiae fons est, sinat sanguinem innocentium effundi, nec patiatur per manus hostium fidei pollui templum sanctum suum, nec demum deserere velit servos suos in tempore malo ». Conquestus est Clemens calamitatem Polocensem, sed gaudium accepit ex conventu Zamostiensi, quem Benedictus XIII auctoritate confirmavit Apostolica. Clemens XII agrum aratum et cultum munerum rore caelestium uberioris perfudit, quem agrum Benedictus XIV firmis circumscripsit constitutionibus. Calamitatibus undique ingruentibus obstabant Clementes, pauca tantummodo ex ruina servare potuit Pius VI, pauca ex disiectis restituit Pius VII. Lacrimis amaris flevit gesta violenter Gregorius XVI: « O, miseram et infelicem rerum conversionem! O, durissimam et nunquam satis lamentandam ruthenae gentis calamitatem... Atque utinam liceret illos paterna hortatione minus solari, et aliquid gratiae spiritualis ad eos confirmandos impertiri! ». Hisce angustiis et sollicitudinibus premebatur Gregorius, quas Pius IX suas statim fecit, resque Unionis Episcopis catholicis commisit curandas, « ut omnem operam in Orientalis Ecclesiae ritibus servandis atque tuendis impenderent », quod in provincia Haliciensi ipse proprio fecit exemplo. Sed etiam animum eius « intima aegritudine » affecerunt, quae « recenter accepimus de miserrimo rerum statu, quo affligitur Chelmensis dioecesis », in qua « reficit et recreat praeclarissimum et plane heroicum fortis et constantis animi spectaculum nuperrime Deo, Angelis, et hominibus oblatum a Chelmensis dioecesis Ruthenis... ». Ex recisa arbore denuo eduxit ramos virides Leo. Ab Americae septentrionalis meridianaeque ori's usque ad gelidam Siberiam protendebatur eius beati Successoris cura. Resurgentibus ex ruinis defensor fidus venit Benedictus XV.

Et quid amplius facere potuit ille in colle Vaticano Pastor captivus? Nonne aliquem modum vivendi ucrainis devictis procuravit Pius? Nonne ucrainos praesules difficillimis consolatus est temporibus? Nonne de filiorum, huc atque illuc vagantium tristi flevit sorte? Nonne devictis et oppressis « pacem - ut opus iustitiae » nuntiavit nuntiatque christianaee civitatis Magister Pius XII, quam per encyclicas litteras pro « Orientalibus Ecclesiis », « Orientalibus omnibus Ecclesiis » gravi postulavit hortatu? Et « magno cum maeore fratres ac filios propter suam erga Sedem Apostolicam fidelitatem gravibus affectos angustiis » nonne coram Deo et orbe terrarum deflevit?

Ecce corona Danielis a septem saeculis fulgens! Innocentio par Pius! Inter irruentium hostium clamores clamabat olim Innocentius, hodie clamat Pius. Quid ei offeramus, nisi illam documentorum pontificiorum quasi coronam animosque ad defendendam christianitatem in terra Ucrainae paratos. Quid imploramus, nisi, ut secundum Innocentii exemplum, « plantationem hanc ucrainam non amplius novellam » in « beati Petri et suam protectionem » suscipiat, apostolicaque paterna benevolentia complectatur...

Ita ut integra tandem aliquando Regis Danielis posteritas ucraina in uno Christi ovili sub uno Pastore et Magistro veritatis christianaee infallibili, qui Christi in terris Vicarius beatique Petri Successor nuncupatur et est, inventiatur. Faxit Deus!

† JOANNES BUČKO

Archiep.pus tit. Leucadensis
Visitator Apostolicus pro Ucrainis
in Europa Occidentali degentibus

Romae, die festo S. Hieromartyris Josaphat,
Archiepiscopi Polocensis

I N T R O D U C T I O

Documenta Pontificum Romanorum...

Inter documenta romana Ecclesiae catholicae in regionibus Ucrainae et Belorussiae Documenta Pontificum Romanorum natura et dignitate sunt prima etiamsi tempore emissionis tertium vel quartum tantummodo obtinent locum; plura enim alia documenta exstant quibus Summi Pontificis ipsius decreta solent parari.

Fausta tamen occasio septimi a coronato regiis insignibus Daniele de Halyč saeculi — seriem hanc in primum quasi evehit locum, unde etiam in nostris Collectaneis Documentorum Romanorum sibi similem obtinuit locum.

Series haec, quae duobus constabit voluminibus, documenta Pontificum novem fere saeculis edita complectetur (1075-1953). Gloriamur non quidem nos rem omnino novam vel hucusque nunquam tractatam aggredi, prout ex fontibus uniuscuiusque documenti satis patebit. Sat magna pars documentorum iam cognita, commemorata, quin etiam typis vulgata iam erat ab uno fere saeculo. Sed inter alia quam plurima documenta dispersa, non facile perspiciebantur; unde documenta haec ea non probaverunt, quae probare potuerunt et debuerunt: illam nempe Summorum Pontificum Romanorum de populo Ecclesiaeque Ucrainae cura et sollicitudine, quam a mille fere annis est cernere. Documenta enim haec inter Monumenta Poloniae, Lithuaniae, Russiae, Hungariae, vel Bohemiae posita, plurimisque aliis permixta, pauca tantummodo nobis probant suntque in memoratis Collectaneis quoddam quasi corpus extraneum, neo proinde pro ipsorum momento aestimaturn. Non ita fit, si omnia in unum congeruntur locum, documentis alienis non intermixta. Inde etiam oritur illud singularum nationum studium, ut propria habeant documentorum, praesertim pontificiorum, collectanea. His rationibus plurima a nobis in vulgus emissaa documenta hucusque nondum edita in Tabulariis Vaticanis iacuisse.

Ex altera parte adiuncta temporis nostri editionem hanc non solum suadebant, sed etiam ut necessariam postulabant. Nam hodie Ecclesia Christi in regione Ucraina luctari cogitur de ipsa sua vita. Luctatio haec ab inimicis nominis christiani nobis imposta, diversis utitur armis. Inter alia plurima locum fere principem habet ille contra cathedralm Petri impetus Dei osonrum, qui Sedem Apostolicam calumniis cuiuscumque generis insectantur, auctoritatemque eius ex animis Christifidelium conantur evellere. In hoc conatu inter alia quamplurima arma est illud argumentum ex historia haustum, quod septies refutatum semper denuo in lucem profertur ad confundendos animos hominum simpliciorum. Sunt enim, qui falsas et commenticias seuti opiniones, dictitent Pontifices Romanos populum ucrainum iniuste semper trac-

tasse, immo eum sibi cum anima et corpore subiugare studuisse, affectationibus politicis vicinorum potentiorum nimis favisse in damnum populi uerani, Ecclesiamque Ucrainae ut Ecclesiam inferioris ordinis considerasse et alia hoc genus plurima. Verba huiusmodi, omni carentia ratione, in publicum tamen audacter prolata, non facile a simplicioribus refutantur, deficien-tibus saepe necessariis fontibus, qui consultantur. Unde et nostra collectanea, prima huius generis in Ucraina, hanc difficultatem saltem ex parte posse expedire credimus, omnemque bonam, quam dicunt, fidem calumniatorum evertere, probationemque contraria- m afferre.

A Gregorio VII ad Pium usque XII series fere non interrupta exstat documentorum pontificiorum, quae historiam Ucrainae eiusque cum Apostolica Sede rationes optime illustrare potest.

...Illustrantia...

In nostris collectaneis tantummodo Pontificum Romanorum documenta edimus. Non tamen ignoramus unumquodque a nobis vulgatum documentum historiam propriam habere aliisque quam plurimis documentis non pontificis fulciri. Haec tamen, ne attentio lectorum ad alia distrahat negotia omittere opportunum fore duximus, in aliis edenda seriebus, quod opus iam ab anno 1948 aggressi sumus.

Documenta a nobis hic collecta et edita ea tantummodo sunt, quae historiam Ucrainae illustrant. Inde ea omnia praeterire opus fuit, quae proposito huic praecipuo nullo modo inservire poterant. Contra, illa omnia documenta afferre debuimus, quae historiam hanc quocumque vel minimo nomine spectabant. Inde illa etiam documenta aliis adiecimus, quae forsitan in aliis etiam collectaneis optima ratione inveniuntur, praesertim vero in *Monumentis Poloniae, Lithuaniae, et Hungariae*.

Quod spectat terras Belorussiae, quae ad provinciam ecclesiasticam Kiovensem per saecula pertinebant, et in quibus saepe ipsi Metropolitae commorabantur, difficile sane est singula discernere et separare documenta. Unde illa larga quasi manu, sine cuiusvis tamen praeiudicio, hic includere utile, immo necessarium fore duximus.

Ut cuique facile patebit, nos rationem ad territorium pertinente in nostris collectaneis secuti sumus. Proinde etiam illa documenta in nostris collectaneis posuimus, quae Ritum spectant Latinorum in Ucraina vigentem. Nam in illo praesertim temporis spatio, quod usque ad finem saeculi XIV dicitur, id facere necessarium omnino fuit. Hac nempe aetate, qua Ucraina suam habuit vitam politicam ab aliis distinctam, omnia, quae in eo territorio eveniebant, imprimis cives spectabant eiusdem Regni. Qua tamen vita amissa, temporis successu, populo indigeno Ucrainae superponitur genus hominum extraneorum, qui in rebus etiam ecclesiasticis propriam agebant vitam et operam. Modo peculiari agitur de polonis et lithuanis Ritus Latini. Inde Eparchiae latinae olim in Ucraina erectae (saec. XIV) non solum ad horum pertinebant hominum ordinem, sed ad alios etiam Christifideles, qui Ritui huic nomen dederant. Praeter Eparchias latinas, ab antiquissimis temporibus exstabant in Ucraina etiam monasteria Latinorum, qui tum curam

Latinorum ibi degentium, mercaturaे praeсertim causa, tum sacras missiones in populo exercebant. Ordines praeсertim Mendicantium in territorio florebant, dein vero sodales Societatis Jesu scholas inibi construxerunt quam plurimas, nobilibus praeсertim polonis, ibi degentibus, destinatas. In eunte vero saeculo XVII Ordo Praedicatorum propriam habebat in Ucraina provinciam Russiae, quae monachos ruthenos comprehendebat, quaeque a provincia Poloniae distinguebatur, qua cum postea coaluit. Non est proinde mirum si documenta Ordines illos spectantia historiam etiam Ucrainae illustrant.

Ex altera vero parte a nostris collectaneis separare voluimus omnia documenta pontificia, quae spectant Moscoviam, quaeque postea etiam Rossia vel Russia nuncupabatur, s.d. Magna. Hac in re nolumus sequi vestigia Turgenevii, qui deficientibus documentis pontificiis, quae Moscoviam spectarent, omnia illa documenta collegit, quae pertinent ad Ucrainam, Belorussiam, Lithuaniae, Estoniam etc., hac una nisus ratione, quod Imperii Moscoviticis progressu territoria haec ipso oboedire debebant.

Usque ad finem seculi XVII documenta pontificia Moscoviam spectantia nomine etiam *Moscovia*, *Moscovitae* utuntur. Sed a fine saec. XVIII nomine *Russia*, *Russi* signantur. Inde magna opus est diligentia ne inter se permisceantur, qua in re cura nobis erat non parva.

Exstat etiam territorii Ucrainae pars, quae Regibus Hungariae obnoxia erat. Cuius documenta civilia et politica non ita facile inter se distinguunt et separantur, sed in rebus ecclesiasticis nullus dubitationis est locus. Eparchia Mukačevensis, et inde ab anno 1818 in parte etiam Prešovensis (Eperiesensis), etiamsi provinciae ecclesiasticae Kiovensi nulla subiecta erat ratione, historiam tamen propriam habet a Metropolia Strigoniensi seiunctam ad quam aliquod temporis pertinebat iure metropolitico. Etiamsi ergo idem territorium ad haec usque tempora nomen antiquum *Russia* retinuit, quo optime a Hungaria distinguebatur, revera ad territorium pertinet illius Russiae, quae hodie Ucraina nuncupatur, a Russia hodierna, olim *Moscovia*, distincta. Inde documenta harum Eparchiarum nostris collectaneis adiungere omnino conveniens visum est.

Alia denique extant documenta, saec. praeсertim XX, quae etiamsi regionem Ucrainam proxime non spectant, pertinent tamen ad Ucrainae populum apud exterios degentem. Agitur praeсertim de Canadia et Civitatibus Federatis Americae Septentrionalis, ubi numero sat conspicuo degunt fideles ex Ucraina oriundi, propriasque habent eparchias, paroecias, monasteria, Ritum Byzantium Ucrainorum servantia. Non nobis visum est iustum documenta haec silentio praeterire.

Postremo aliqua saltem addere oportebat de vita eorum fidelium, qui in finibus degunt Croatiae et Serbie, in Eparchia Ritus Orientalis, olim Rutheni, Crisiensi. Eparchia haec, etiamsi primo pro ucrainis erecta non fuit, plurima ab ucrainis ibi saeculo degentibus accepit.

Haec praefati, nostra collectanea sat claris et distinctis finibus circumscripsimus. Nil superest, nisi ut aliqua saltem addamus de ipsa Ucraina eiusque populo.

...Ucrainae...

Nomen « *Ucraina, ucraini* » in stilo Curiae Romanae novum, sed iam a saeculo XVII non ignotum est. Ad haec usque tempora Ucraina in stilo Curiae venit sub nomine « *Russia* », populusque eius nomine « *rutheni* » signatur. Ad finem usque saec XIV ex usu hoc nulla oriebatur difficultas, nullaque exsistebat confusio. Russia, ut Regnum, unica tunc erat, et unam habuit praecipuam sedem politicam et spiritualem: Kyjiv, Kioviam. Ut omnia Regna iis temporibus, variis constabat principatibus et ducatis, quae a domesticis familiae regnantis administrabantur. Kioviae Magnus residebat Princeps, ibidem etiam totius Russiae Metropolita suam habuit sedem. Ad hanc Russiae civitatem miserunt Legatos suos Silvester II, et Gregorius VII, qui eius Dominos vocabant « *Reges* ». Russiam hanc Kiovensem in tutelam suscepit Gregorius VII, Regemque eius Izjaslaum-Demetrium ad Kioviam recuperandam adiuvit.

Sed incursio Tartarorum in Europam orientalem, medio saec. XIII, Regnum hoc in duas dispescuit partes: meridianam et septentrionalem. Principatus et Ducatus Russiae meridiani in unum denuo redegit Regnum princeps Daniel de Halyč, cui Innocentius IV an. 1253 regalem transmisit coronam, et in Regno Russiae, etiamsi in alia sede, confirmavit, omniaque privilegia, iura et officia, ad Regnum Koviense ab antiquo spectantia, ad ipsum transtulit. Hoc modo Russia Danielis, seu Haliciensis et Volhyniensis, Russiae Koviensi legitime successit.

Russiae vero antiquae pars septentrionalis, et ipsa pluribus constans ducatis, qui tartaris oboediebant, de iure ut pars antiqui Regni seiuncta continenter erat, et talis etiam a Curia Romana existimabatur. Principes hi ad novissima usque tempora nunquam tit. Regum condecorati erant, prout de moderatoribus Russiae Haliciensis et Koviensis documentis constat (ut ex.gr. Gregorius VII scribens ad Izjaslaum-Demetrium, Innocentius IV — ad Danielem, Joannes XXII ad Georgium Boleslaum etc.). Sed temporis successu principes hi septentrionalium Europae orientalis partium unum effecerunt Ducatum Moscoviae. Patriarchae vero Constantinopolitani priorem alteramque Russiae antiquae partem « *Russiam* » ulterius vocabant, ut iurisdictionem suam in has regiones sartam tectamque servarent (*μεγάλη καὶ μητρὸς Πωστία*). Patriarchae vero Occidentales, Romani Pontifices, de nulla iurisdictione servanda solliciti, secundum conditionem politicam partem meridianam vocabant « *Russia* », partem vero septentrionalem nuncupabant « *Moscoviam* ». Russia titulo Regni, Moscovia vero Ducatus titulo condecorabantur.

Sed medio saec. XIV, Regnum Russiae iure belli et hereditario Regno Poloniae, Lithuaniae Ducatui adnexum fuit. Aliquam partem Reges Hungariae in suam redegerunt potestatem, qui inde a saec. XIII se etiam « *Reges Ruthenorum* » vocabant. Anno 1413, in Unione quae dicitur de Horodlo, regia domus Jagellonum Imperium sibi creavit triplici constans corona: Poloniae, Russiae, Lithuaniae, quae tamen mox ad duplex tantummodo est effecta, in s.d. Unione Lublinensi (1569), in qua Russia in duas divisa est partes: Russia s.d. Blanca — attributa est Lithuaniae, Russia vero Rubra — in polonos dispartita est palatinatus (usque ad an. 1772).

Frustra iis temporibus Moscoviae Duces meridianas antiquae Russiae Kiovensis partes sibi obnoxias facere conati sunt, tum armis dimicando, tum iure hereditario antiquum Russiae Regnum sibi vindicando. Frustra regalem coronam omnium Ruthenorum a Sixto IV petiti Joannes III Basilides, Dux Moscoviae (1484); frusta id ipsum affectavit Basilius Joannides (1526), frusta Joannes IV eamdem rem contendit, coronam regalem quasi unionis ecclesiasticae pretio emerari paratus (1550?), quam tandem a Patriarcha obtinuit Constantinopoleos. Secundum stylum Curiae Romanae ipse tantummodo Magnus Dux Moscoviae in posterum vocabatur. Nam Curia Romana Russiam olim catholicam sibique unitam tum Florentiae tum postea Berestae, cui Reges catholici Poloniae imperabant, dominio non catholicorum committere nullo modo potuit.

Medio saec. XVII Russia, Poloniae subiecta, ius suum armis vindicavit, duce Bohdano Chmelnyckyj (1648-1657). Sed Polonia renitente, ne iure sibi debito ulterius fraudaretur, tutelam postulavit Magni Ducis Moscoviae (1654), quo factum est ut Moscovia totam Russiam antiquam suo adiungeret imperio, eiusdem nomine antiquo sibi imposito. Etiamsi paulo post partem terrarum illarum cedere debuit Poloniae, tamen nomen illud antiquum non iam depositit, immo hoc ipsum ius in reliquas partes repetiit, quas anno 1772-1795, Polonia divisa, obtinuit, excepta Galicia, quam in suam potestatem redegerunt Imperatores Austriae Regesque Hungariae, ex antiquo illo nomine sibi sumpto « Regum Galiciae et Volhyniae ». Hanc partem Moscovia annis 1914-1918 iterum repetiit ac tandem annis 1939-1953 obtinuit, Unionique Sovieticae adiecit.

Europa occidentalis et Apostolica Sedes nomen hoc « *Russia* » Moscoviae per unum adhuc saeculum negabant, sed tandem difficillimis illis exeuntis saeculi XVIII temporibus reapse agnoverunt, qua in agnitione ad haec usque tempora persistunt, etiamsi status rerum de iure in hac regione mutatus est. Praeter illam inertiae legem quae dicitur, in causa erat etiam conatus historicorum saec. XIX, qui unitati Imperii Moscovitici faventes, schema unitatis et continuitatis etiam historiae eiusdem territorii crearunt. Inde provenit illa sententia de Urbis principis e Kiovia in Moscoviam et deinde in Petrogradum translatione, vel illa aliquantulum moderata iam narratio de communione omnium Europae orientalis nationum Kiovensi aetate.

Non parvam hic confusionem attulit illa nominis « *Russia* » historia. Haec ante saec. XV indubia, et usque ad saec. XVIII bene distineta, temporibus recentioribus turbata est, ob illam saeculi XVIII nominum permutationem: Moscovia fit Russia, Russia — Ucraina, quae nomina sunt hodie in quotidiano usu. Est praeterea et alter confusionis fons: ratio politica, qua Moscovia e Ucraina communi veniunt nomine « *Russiae* ». Proinde in nostris documentorum collectaneis prae oculis semper habere debemus hanc duplicem nominum seriem:

RUSSIA (nom. hist.) — **RUSSIA** (nom. hist.) — **UCRAINA** (nom. act).
MOSCOWIA (nom. hist.) — **RUSSIA** (nom. polit.) — **RUSSIA** (nom. pol. act).

Inde ubicumque in nostris collectaneis recurrat nomen « *Russia* » semper significatione prioris accipitur seriei. Documenta, quae ad alteram pertinent seriem omisimus.

Superest, ut saltem aliqua addamus ad historiam nominis « *Ucraina* », scilicet hoc exstissemus significamus illis temporibus, quibus terra haec et populus nomine historico vel etiam politico « *Russia* » vocabatur.

Ne videamur voluntati suddere rationem, et inanes proferre sententias, utile fore duximus nostris collectaneis duas adiungere tabulas orbis terrarum, in annis 1678 et 1716 a G. SANSONE (Rome) et J. HOMANN (Norimbergae) exaratas. In prima tabula (pars), cui titulus: « *Russia bianca o Moscovia, divisa da Guglielmo Sansone nei suoi Regni, ducati, principati, provincie, e popoli, che presentemente sono soggetti al Gran Ducato di Moscovia. E di nuovo data in luce da Gio. Jacomo Rossi in Roma alla Pace con Pr. del S. Pont. l'anno 1678* », iam legitur nomen politicum « *Russia* ». Sed apparet etiam aperte « *Ucraina o paese dei Cosacchi* » — subiecta Poloniae, appareat « *Ocrai-na* » — subiecta « *Russiae o Moscoviae* », appareat « *Podolia* » — subiecta Imperio Turcarum, quae omnes partes efficiunt territorium Russiae antiquae Kiovensis vel Haliciensis vel hodiernae Ucrainae, a Sanok usque ad flumen Don, et loca deserta ad Orientem.

In altera vero tabula, quam totam edidimus nuncupata: « *Ukrainia quae et terra Cosacorum cum vicinis Walachiae, Moldaviae, Minorisque Tartariae provinciis, exhibita a Joh. Bapt. Homano, Norimbergae (1716)* » haec ipsa conspicitur terra cum omnibus suis provinciis, ducatis, palatinatis, excepta regione Chelmensi et Belzensi. Ad Ucrainam tunc temporis pertinebant: Pokutia, Podolia superior et inferior, Volhynia inferior et superior, pertinebat palatinatus et ducatus Cernihoviensis, et Kiovensis, pertinebat « *Kiovia russica* ». Si consideramus regressum tartarorum ex Tartaria Budziaciensi, Minori, et Nogaiensi, et progressum colonorum ucrainorum usque ad Pontum Euximum, et « *Desertum Asovicense* » — hodiernam fere cernimus Ucrainam. Ad explicandam mutationem nominis, quae tunc temporis sane eveniebat, animadvertisimus duplex nomen: « *Russiae Rubrae* » (nom. antiquum, historicum) iam tunc minoribus scriptum litteris (signum regressus), et « *Ucrainae* » maioribus litteris expressum (signum progressus). Mentem intendamus ad hoc nomen: « *Kiovia russica* », quia pars haec Ucrainae tunc temporis sub dominatione erat Moscoviae, vel potius « *Russiae* » (nom. politicum). Mira sane appellatio est haec: « *Russia russica* » qua signatur terra Moscoviae-Russiae (nom. politicum) sub potestate Russiae (nom. politici dominii) constituta.

Has explanationes necessarias esse duximus, ut omnia recte intellegantur nomina nostrorum documentorum propria, secus enim periculum fore ne documenta alterius populi adscribantur alteri, et historia alterius pro historia sumatur alterius, et ita Pontificum Romanorum mens non satis clara fiat, qui huic et non alteri populo Litteras Apostolicas scribebant et destinabant. Non ad « *Russos* », qui nunc sunt, scripserunt Pontifices praeteritorum saeculorum, sed scribentes ad « *Russos seu Ruthenos* » eorum temporum « *ucrainos* » intellegi voluerunt G. Sansonis, J. Homann aliorumque multorum. praesertim illius praeclarri viri G. Beauplan, qui priman exaravit pro Occidente eiusdem terrae descriptionem: « *Description de l'Ukraine depuis les confins de la Moscovie jusqu'aux limites de la Transylvanie, Rouen 1660*.

...Historiam...

Superest, ut brevi historiam illam, quam documenta illa pontifícia illustrant, perstringamus. Difficile est breve omnium documentorum praebere argumentum. De rebus agitur quam maxime diversis, ita ut opus sit vel singula repetere documenta, vel saltem denuo eorum prescribere brevia argumenta. Inde hoc unum nobis faciendum est, ut singolorum Pontificum attin-gamus de Ucraina praecipuas curas vel opera.

Iam saec. XI protegit auctoritate B. Petri Regnum Russiae-Ucrainae Gregorius VII, invitat ad communionem catholicam Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, defendit et diademate regio ornat Innocentius IV, hortatur Alexander IV, ad communionem iterum vocat Ioannes XXII, vindicat Benedictus XII, ei Pastores providet Innocentius VI, Evangelii nuntios mittit beatus Urbanus.

Gregorius XI ordinat animarum curam, Joannes XXVIII elevat Leopolim, Martinus longe erranti invigilat, Eugenius fovet, in communionem catholicam recipit, Isidorum honorat et commendat. Nicolaus Ritum defendit, Metropolitae Kiovensi adest; Calistus III et Pius II Haliciensem Metropoliam renovant, Kiovensi sapienter provident, Praesulibusque favent. Sixtus IV munericibus cumulat, antiquum custodit ius, Innocentius VIII eius saluti consulit, Alexander VI Florentina statuta confirmat; Iulius II denario Petri terram a tartaris defendit, Leo X Ritum orientalem strenue defendit, probante Clemente VII; Paulus III arces Podoliae reficit, Pius V Rituum puritatem servat, Gregorius unionem praeparat, quam Clemens perficit VIII, eamque iam initam defendit, et ad effectum deducit. Paulus V protegit, gratiisque cumulat, Urbanus VIII defendit et vindicat iura Ecclesiae adversus omnia pericula, Innocentius X servanda, quae servari possunt, curat. Alexander VII ab exteriore parte defendit, ab interiore vero concordiam promovet. Clementes IX et X defendunt, Innocentius XI in urbem Leopolim et Peremysliam auctoritatem S. Sedis introducit, et Alexander in Ucrainam Carpaticam curam impendit. Peremysliam totam sibi unit Innocentius XII, Clemens vero XI Leopolim et Luceoriam, et Reges Imperatoresque de violenter actis increpat, nec non in Synodis reformat. Benedictus XIII probat et lustrat, Clemens XII et Innocentius XIII olim bene statuta exsequenda curant munericibusque spiritualibus augent. Benedictus XIV legibus constituit, oppressos sublevat; Clemens XIII periclitantes sustinet, et servat, eiusdem nominis Successor XIV in periculo versantes tuetur, et consolatur, Eparchiasque erigit. Pius VI aciem ordinatam continere studet, et ubi offertur occasio — roboret, Piusque VII iam deleta reficienda curat. Leo XII et Pius VIII nova praevenire student pericula, quae dein Gregorius XVI conqueritur ac deplorat.

Pius IX reliquias colligere conatur, salvos elevat, auget honoribus caelestibus et terrestribus, monet, plorat, flet, Leo vero XIII restituit, auget, Synodos convocat, honorat, educat, et Pius X de exsulantibus curat, de longinque errantibus cogitat. Benedictus XV renata, ruinas lustrat, animum addit. Pius XI novum dat modum vivendi victis, eos consolatur, auget, plorat et pro iis orat. Denique Pius, divina providentia Papa XII, pacem et iustitiam laesam postulat, in vincula deiectis liberationem procurat, dispersos

colligit, Pastores constituit, adiuvat, deflet Vineam Domini ab inimicis Dei disiectam ac deletam.

Hanc historiam per novem saecula texuerunt in Ucraina Petri Successores. Magnae spes, modica gaudia, frequens fletus, plurimi dolores, pauca solacia, frequentes invocationes, frequentiores increpationes, ad iuvandum semper parata voluntas, auxilia et dona copiosa, fructus seu quasi fenora nulla.

Quae spectant res magis minutus — ad fontes ipsos referri debent.

F O N T E S

Animadvertisenda

Fons, quo existere probatur nostra documenta — Romani sunt Pontifices, fons vero nostrae de illis scientiae Romanae sunt Curiae Regesta, in Tabulario Bibliothecaque asservata Vaticana.

Animadvertisendum, nos nostram curasse editionem non secundum exemplaria primigenia, sed secundum Regesta Vaticana. Unde fit, ut in aliquibus dubitationi detur locus, in aliis vero Cancellariae supersunt vestigia, quod spectat praesertim verborum compendia, omissiones, formularum statutarum usus, aliaque his similia. Ut unicuique patebit, transumpta, sive regesta documentorum, conservationi et ulteriori inspectioni destinata, non semper debita praferunt diligentiam in documentorum exaratione, in scripturae, et nominum locorumque recta lectione.

Inde necesse fuit aliqua saltem ad emendatam reducere formam. Imprimis, quod spectat usum litterarum maiuscularum et minisularum, usum compendorum, modumque textus dividendi, qui temporum personarumque sequitur indolem. Nos unice et imprimis in textus integratatem intendimus, probe scientes, de ipsa re, non de forma agi. Praesertim quod nomina personarum locorumque spectat, ea in annotationibus et argumentis ad rectam reducere formam sumus conati. Si quid erroris tamen irrepserrit, non fontibus sed nobis tribuendum erit. In dubiis proinde ipsi fontes adeundi.

In fontium elenco, infra adducto, ad singulas tantummodo partes referre potuimus lectores, non ad singula volumina, quae unicuique addita sunt documento. Animadvertisendum, non ea tantummodo volumina nos per volutasse, quae in nostris commemoretur collectaneis. Methodum nempe delectus quae dicitur servavimus adeo ut ex centum saepe invenerimus unum quod esset in rem.

Fontes inediti

Fontes inediti principales nostri primi voluminis inveniuntur maxima parte in Tabulariis Vaticanis (*ARCHIVIUM SECRETUM VATICANUM*, ASV), unde et maior pars fontium editorum provenit, nisi agitur de exemplaribus primigeniis.

Ex hoc fonte nos larga hausti sumus manu.

ARCHIVIUM SECRETUM VATICANUM:

Registra Vaticana (*Reg. Vat.*) · *Registra Lateranensis* (*Reg. Lat.*) · *Registra Avenionensis* (*Reg. Aven.*).

Brevia Lateranensia (Brev. Lat.) - Epistolae ad Principes (Ep. ad Principes), at alia Registra minora, praesertim Brevium minutarum.

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA:

Codices Barberini Latini (Barb. Lat.) - Codices Vaticani Graeci (Vat. gr.).

SECRETARIA BREVIUM APOSTOLICORUM (hodie in ARCHIVO SEC. VAT.):

Archivio dei Brevi Apostolici (vel Secretaria Brevium: Seqr. Brev.) - Indulgentiae perpetuae (Ind. perp.) - Indulgentiae ad tempus (Ind. ad tempus) - Indulgentiae circa Missas (Ind. circa Missas) - Altaria privilegiata perpetua (Alt. perp.) - Indulta personalia (Indulta pers.), etc.

OFFICIUM CANCELLARIAE APOSTOLICAE (tempora novissima, in II v.).

Alia documenta sumpsimus ex fontibus minoribus, ut ex ARMARIIS, vel ex ARCHIVO ARCIS (AA. - Arm. I-XVII), prout patet ex fontibus cuiuscumque documenti.

Fontes editi

Praeter documenta singula et dispersa, quae inveniuntur edita in libris, quae tractant de rebus historicis vel iuridicis, ad has praesertim fontium collectiones lectorem remittimus:

AUVRAY LUCIEN, *Les Registres de Grégoire IX*, t. I, Paris 1896.

BERGER ÉLIE, *Les Registres d'Innocent IV*, t. I-IV, Paris 1884-1919.

BERTHIER JOACHIM JOSEPH, *Innocentii PP. XI Epistolae ad Principes*, Ann. I-IV, t. I, Romae 1890.

BOUREL C. DE LA RONCIÈRE, *Les Registres d'Alexandre*, t. I, Paris 1902.

Bullae et Brevia Summorum Pontificum, Sacrarum Congregationum decreta nec non Serenissimorum Poloniae Regum diplomata Congregationem Ruthenorum O.S.B.M. concernentia..., Poczajowia 1767.

Bullarium Romanum, ed. Taurinensis.

COCQUELINES CAROLUS, *Bullarum, Privilegiorum ac Diplomatuum Romanorum Pontificum amplissima collectio*, Romae 1743.

ČUBATYJ NICOLAUS, *Zachidna Ucraina i Rym v. XIII v. u svojich zmahanniac do cerkovnoji uniji*, in « Zapysky Naukovoho Tovarystva Ševčenka », vol. 123-4, Lviv 1917.

HARASIEWICZ MICHAEL, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.

HALUŠČINSKYJ THEODOSIUS OSBM, *Acta Innocentii PP. III*, in « Fontes », vol. II, Romae 1944.

HOFMANN GEORGIUS, *Documenta Concilii Florentini de Unione Orientalium, I: Unio Graecorum*, Romae 1935.

JAFFÉ PHILIPPUS, *Regesta Pontificum Romanorum ab condita Ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII*, ed. 2., I-II Lipsiae 1881-1888.

LOYE JOSEPH DE ET PIERRE DE CENIVAL, *Les Registres d'Alexandre IV*, t. II, Paris 1917.

MARTINIS R. DE, *Iuris Pontificii de Propaganda Fide Pars Prima*, vol. I-II, Romae 1888.

MOLLAT G., *Jean XXII. Lettres communes*, I-XV, Paris 1904-1940.

Monumenta Vaticana historiam Regni Hungariae illustrantia, Budapestini 1887 sq.

- PIERLING P., S.J., *La Russie et le Saint-Siège*, v. I, Paris 1896.
- POTTHAST AUGUSTUS, *Regesta Pontificum Romanorum inde ab A. post Christum natum MCXCVIII ad A. MCCCIV*, vol. I-II, Berolini 1874-5.
- PRESSUTTI PETRUS, *Regesta Honorii PP. III*, t. I-II, Romae 1888-95.
- PTASNIK JOANNES, *Analecta Vaticana* 1202-1366, in « *Monumenta Poloniae Vaticana* », Cracoviae 1914.
- ŠMURLO E., *Le Saint-Siège et l'Orient orthodoxe russe 1609-1654*, Prague 1928.
- TAUTU L., *Acta Joannis PP. XXII*, in « *Fontes* », vol. III, Typ. polyglottis Vaticanis 1952.
- THEINER AUGUSTINUS, *Vetera monumenta historica Hungariam Sacram illustrantia*, t. I-II, Romae 1859-1860.
- THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae gentiumque finitimarum historiam illustrantia*, t. I-III, Romae 1860-1863.
- TURGENEV J., *Historica Russiae Monimenta*, Petropoli 1841.
- VIDAL M. J., *Benoit XII. Lettres communes*, t. I-IV, Patris 1902-1920.

Unicuique suum...

Conscii autem sumus et grato animo confitemur, nos multa debere plurimis insignibus viris, qui nobis adiumento fuerunt. Imprimis magno illi Leoni XIII, qui aditum ad Tabularia Vaticana omnibus patefecit, sapientissimisque ea ordinavit constitutionibus, quibus fulti nobiles nostris temporibus eiusdem operis socii, addita summa sapientique benevolentia, aditum hunc reddunt unicuicunque fructuosum.

Sit proinde grata perennisque memoria Rev.mi et Ill.mi Angeli Mercati, Tabularii Secreti Vaticani Praefecti, eiusque assiduis et benignis sodalibus, qui nobis sua opera, semper parata, in difficultatibus animum addiderunt; animo confitemur grato merita egregii Viri a Brevibus Apostolicis, Gildonis Brugnola assiduorumque eius officii administratorum; eundem benevolum animum nobis ostendit Regens Cancellariam Apostolicam eiusque in studiis Adiutor, Ill.mi et Rev.mi Hamletus Tondini, et Aloisius Trussardi. Benevolo animo commendationibusque nobis affuit Rev.mus et Ill.mus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali Assessor, Rev.mus P. Coussa, cum suis lectissimis in rebus orientalibus curandis sociis aliique quam plurimi.

Silentio praeterire nobis non licet nostros Ordinis Basiliani Soldales Collegique S. Josaphat Alumnos, qui hisce collectaneis suas apposuerunt adiutrices manus.

Memoriae denique posteriorum tradere gratum nobis est officium Rev.mi P. Protoarchimandritae promeritum, qui horum Collectaneorum quasi fundamenta iecit, et Excel.mi et Ill.mi Archiepiscopi Leucadensis Joannis Bučko, liberaliem animum, qui eidem operi simul cum exsuli ucrainorum apud exteriores familia ad instar evangelicae viduae dedit ex subsistentiae necessariis.

Nos vero, opere perfecto, confitemur: « *Servi inutiles sumus — quod debuimus facere fecimus* » (Luc. 17, 10).

DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAЕ ILLUSTRANTIA

VOL. I

(1075 – 1700)



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

S. GREGORIUS VII
(22.IV,30.VI.1073 — 25.V.1085)

t u s c i e n s i s
(Hildebrandus)

DOCUMENTA GREGORII PP. VII

1.

Romae, 17 . IV . 1075

Epistula Gregorii VII ad Demetrium-Izjaslaum Magnum Principem Kiovensem, occasione misionis filii eius Petri-Jaropolk Romam scripta.

ASV, *Reg. Vat.*, v. II, n. 74. (pergam.).

BARONIUS C., *Annales Eccl.*, v. XI, col. 495-6, ad an. 1075, *Coloniae Agrippinae* 1624.
TURGENEV J. *Historica Russiae Monimenta*, *Petropoli* 1841, I, nr. 1.

MANSI J. D., *Concil. coll. amplissima*, v. 20, p. 183-4.

MIGNE J. P., *Patrologia Latina*, v. 148, p. 425-6.

PELESZ J., *Geschichte der Union...*, I, p. 138, nota 30.

CASPAR E., *Das Register Gregors VII*, *Berlin* 1920, p. 236-7.

ZIEGLER A. W., *Gregor VII und der Kijewer Grossfürst Izjaslav*, in « *Studi Gregoriani* », v. I, *Roma* 1947, 392-393.

Regi ruscorum etc. LXXXIII

GREGORIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Demetrio regi Ruscorum¹ et reginae uxori² eius salutem et apostolicam benedictionem.

¹ Demetrius, Izjaslav, Magnus Dux Kioviae. Filius natu maior Jaroslai Sapientis (1016-1054). Post obitum patris an. 1054 simul cum aliis fratribus, Svjatoslav et Vsevolod, regnum patris obtinuit, civitatem nempe principalem Ucrainae - Kyiv. Hac in sede usque ad an. 1067 permansit, quo anno ab inimicis ex Asia provenientibus devictus, auctoritatem perdidit. Unde evenit, quod cives Kiovenses eius in locum principem Vseslav de Polozk sibi elegerunt. Inde Izjaslav profugus auxilium regis Poponiae expetivit, ab eoque adiutus, consentientibus et adiuvantibus fratribus suis, Kioviam denuo recuperavit, in qua usque ad annum 1073 permanxit. Tempore vero anno 1073 a fratribus Svjatoslav et Vsevolod iterum Kovia pulsus est, eiusque in locum Svjatoslav de Cernyhi successor. Izjaslav in Poloniam se contulit, sed ibi, bonis suis spoliatus, nihil obtinuit a Boleslao II, duce polonorum. Inde profectus est ad Henricum tunc germanorum regem (dein imperatorem S. Romani Imperii IV), a quo praeter interventum diplomaticum penes Svjatoslav nihil aliud obtinuit. E Germania igitur misit filium suum Jaropolk-Petrum Romam an. 1075, ut sub protectionem S. Sedis reciperetur. Ut patet ex nostra epistula petitioni suae benevolum invenit magnum illum Romanorum Pontificem S. Gregorium VII. - Bibliographia hac de re sat ampla existit, tum ucrainica, tum russica tum etiam polonica. Cfr. etiam opus novissimum A. W. ZIEGLER, *Gregor VII und der Kiewer Grossfürst Izjaslav*, in « *Studi Gregoriani* », vol. I, Roma 1947, p. 377-411, ubi optimam dat textus analysis.

Interventus Gregorii VII bonos habuit effectus, et Izjaslav principatum suum iterum recuperavit an. 1077, post obitum Svjatoslav (27.XII.1076). Sed paulo post fratri Vsevolod in adiutorium properavit et penes Cernyhi in pugna occisus fuit, die 3.X.1078. Cfr. Chronica « *Povist vremennych lit* », sub an. 1073, ed 3 Moskva 1950, p. 133. Izjaslao in Kyiv eius frater natu minor successit, Vsevolod nempe, qui Byzantinis favebat (1078-1093).

² Uxor Izjaslai erat filia regis Polonae Mieszko I, Gertruda, quae Kioviam ivit uxor Izjaslai an. circiter 1043. Obiit die 4.I.1107. Cfr. N. DE BAUMGARTEN, *Genealogies et mariages occidentaux des Rurikides russes, du X^e au XIII^e siècle*, Roma 1927, p. 7, 11.

Filius³ vester limina apostolorum visitans ad nos venit, et quod regnum illud dono sancti Petri per manus nostras velle obtinere, eidem beato Petro apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans illam suam petitionem vestro consensu ratam ac stabilem, si apostolicae auctoritatis gratia ac munimine donaretur.

Cuius votis et petitionibus, quia iusta videbantur, tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum praebuimus, et regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio caritatis, ut beatus Petrus vos et regnum vestrum, omniaque vestra bona, sua paud Deum intercessione custodiat et cum omni pace, honore quoque et gloria idem regnum usque in finem vitae vestrae tenere vos faciat, et huius militiae finito cursu impetrat vobis apud supernum regem gloriam sempiternam.

Quin etiam nos paratissimos esse noverit vestrae nobilitatis serenitas, ut, ad quaecumque iusta negotia huius sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, procul dubio continuo petitionum suarum consequetur effectum.

Praeterea ut haec et alia multa, quae litteris non continentur, cordibus vestris arctius infigantur, misimus hos nuntios nostros, quorum unus vester notus est et fidelis amicus, qui et ea quae in litteris sunt diligenter vobis exponent et quae minus sunt viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cuius legati sunt, vos mites et affabiles praebeatis et, quidquid vobis dixerint, ex parte nostra patienter audiatis, atque indubitanter credatis; et quae ex auctoritate apostolicae sedis negotia tractare voluerint et statuere, nullorum malo ingenio turbare permittatis, sed potius eos sincera caritate favendo iuvetis.

Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam.

Data Romae XV. Kalendas Maii, indictione decimatertia.

³ Agitur de Jaropolk, primogenito filio Izjaslai et Gertrudae, nat. ante an. 1050. Circa an. 1073 uxorem duxit Cunecundam de Orlamünde, quae ut videtur aliud etiam nomen habuit, Irena, prout patet ex documentis sic dicti *Codicis Gertrudiani*, ubi imagines inventiuntur Jaropolk et Irenae nec non matris Jaropolk, Gertrudae. Jaropolk an. 1075, Romam a Patre missus, Regnum patris sub protectionem S. Sedis tradidit, et ut donum S. Petri, nomine patris, accepit. Hac occasione, ut monstrant imagines sic d. *Codicis Gertrudiani*, temporibus his contemporaneae, a Gregorio VII coronam regalem accepit. Post mortem patris a principe Vsevolod partem occidentalem Regni accepit, Volhyniam et principatum Turoviensem. Frater vero eius Svatopolk (postea magnus princeps Kioviensis: 1093-1113) principatum Novhorodensem obtinuit, ita ut familia haec, etiam cum principibus Polocensibus coniuncta, totam fere occidentalem Regni Kioviensis partem regebat. E contra, partem orientalem obtinebat familia principis Vsevolod, cognati Aulae byzantinae. Temporis successu inter utramque partem luctae intestinae exortae sunt, ita ut Jaropolk principatum suum etiam relinquere debuit, in Poloniam profugus. Denique in patriam revertitus et iterum principatu recepto, occisus fuit ab inimicis suis, manibus sicarii, 22.XI.1087. Sepultus est in Kyjiv in ecclesia S. Petri, quam ipse construere cepit. Saec. XIX venerari cepit ut sanctus cultu publico apud Ecclesiam non unitam. - Cfr. N. DE BAUMGARTEM, op. cit., p. 10-11; N. DE Baumgartem, Cunégonde d'Orlamünde, Moskva 1908; L. BERG, *Ex Oriente*, Mainz 1927; H. WORONIECKI, *Papst Gregor VII und das junge Russland*, p. 159-162; S. N. SEVERJANOV, *Codex Gertrudianus*, Petrograd 1922 (in *Sbornik otdelenia russkago jazyka i slovesnosti rossijskoj Akademiji nauk*, vol. XCIX, nr. 4); HASELOFF A., *Das Psalter des Erzbischofs Egbert von Trier*; STRZYCOWSKI, in *Byzantinische Zeitschrift*, XI (1902), 565-68; SWIENCICKYJ, *ibid.* 42/1 (1942), p. 356; A. W. ZIEGLER, *op. cit.*, Roma 1947, etc..

2.

Romae, 20 . IV . 1075

*Gregorius VII ad Boleslaum regem Poloniae admonendo scribit, ut Demetrio-
Izjaslao bona occupata restitueret.*

ASV, *Reg. Vat.*, II, n. 73. (pergam.).

TURGENEV J., *Historica Russiae Monimenta*, Petropoli 1841, I, n. 2.

MANSI J. D., *Conciliorum coll. amplissima*, v. 20, p. 182-3.

MIGNE J. M., *Patrologia Latina*, vol. 148, p. 423-5.

CASPAR E., *Das Register Gregors VII*, Berlin 1920, p. 233-5.

ZIEGLER A. W., *Gregor VII und der Kijewer Grossfürst Izjaslav*, in « *Studi Gregoriani* », Roma 1947, p. 391-2 (excerpta).

Duci polonorum etc. LXXIII

GREGORIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Boleslao⁴ duci polonorum salutem et apostolicam benedictionem.

Quum honor qui ministris et dispensatoribus exhibetur ad reverentiam dominorum proprie attinere dinoscitur, procul dubio gratanter et cum multa dilectione ministrantium labor officiaque suscipiuntur, ab his dico qui prae-latorum personas et auctoritatem ex corde diligere comprobantur. In hoc autem cognoscimus quid excellentia vestra beatum Petrum apostolorum principem sinceris affectibus diligit, et ad reverentiam eius ardentि spiritu dilatatur, quum gratuita devotione vestris eum oblationibus honorantes debitorem vobis fieri desiderastis. Et sicut in Domino confidimus promeruistis.

Unde et nos, qui illius servi dicimur, et esse cupimus, vestrae caritati in Christo conexi sumus et curam ministerii, ad quod sub obedientia apostolici principatus occulta Dei dispensatione licet indignos ordinavit atque constituit nostra parte qua vobis necessarium et honestum fore cognoverimus tanto sollicitius vobis impertitur cupimus, quanto fidem et caritatem vestram et in obediendo promptiorem et in promerendo devotiorem intelligimus.

Verum quia christianaे religionis ordo et provida dispensatio ab his prae maxime post Deum pendet, qui Dominici gregis pastores et rectores esse videntur, illud nobis primo adtendendum est quod Episcopi terrae vestrae non habentes certum metropolitanae sedis locum, nec sub aliquo positi magisterio hue et illuc pro sua quisque ordinatione vagantes ultra regulas et decreta Sanctorum Patrum liberi sunt et absoluti. Deinde vero quod inter tantam hominum multitudinem adeo pauci sunt Episcopi, et ampliae singulorum parroechiae, ut in subiectis pleibus curam episcopalium officii nullatenus exequi aut rite administrare valeant.

⁴ Boleslaus II, rex Poloniae (1058-1079). Nat. an. 1041, ut filius Casimiri et Dobroniha, filiae S. Volodimiri Kioviensis. Juvenis adhuc patri successit et bellis hinc indeclaruit, quibus nomen sibi « Audacis » procuravit. Principi Kioviensi Izjaslao iam prima vice anno 1067-8 auxilium dedit, sed secunda vice de simili re requisitus. Izjaslau bonis suis spoliavit. Dein a Gregorio VII de iustitia admonitus ablata restituit. Anno 1078 ob durum regimem ab Episcopo Cracoviensi, Stanislao, exprobratus, ira accensus sanctum Episcopum inter Missarum sollemnia Cracoviae occidit. Dein a Gregorio VII interdictus et Regno privatus profugus obiit, ut videtur, an. 1081, Carintiae. Cfr. *Encyklopedyja Powszechna*, vol. 3, Warzawa 1860, p. 938-941.

Pro his igitur et aliis causis quas hic scribere omisimus, hos legatos ad vos direximus, quatenus vobiscum pertractatis negotiis quae ad ecclesiasticam curam et aedificationem corporis Christi, quod est fidelium congregatio, pertinere videntur; quae emendanda sunt aut ipsi iuxta Sanctorum Patrum statuta definiant, aut nobis diffinienda referant. Eos itaque sicut nos audite, memores quod in missione discipulorum per evangelium veritas dicat: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; et ut fructuosus apud vos cursus fatigationis eorum fiat, propter reverentiam apostolicae legationis qua funguntur consiliis et benigno favore tuate.

De caetero admonemus vos et exhortamur in Domino, ut diem ultimum vitae vestrae quem ignoratis quando veniat, et terrorem futuri iudicii semper coram oculis habentes, commissam vobis potestatem sollicita et Deo placita administratione gerere studeatis, praeparantes vobis divitias in operibus bonis, et thesaurizantes firmum et immobile fundamentum, ut vitam aeternam possideatis. Scire enim debetis quoniam supernus arbiter quae vobis commisit inrequisita non relinquet; cui tanto districtius responsuri estis, quanto ampiora sunt iura et iudiciorum moderamina quae tenetis.

Deus autem omnipotens, cuius maiestas est super omnes principatus et regna, dirigit cor et actus vestros ad omne opus bonum in omni prudentia et exercitatione virtutum, quatenus expleto cursu huius lubricae et cito periturae lucis, beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum meritis et intercessionibus ad veram et sempiternam gloriam pervenire mereamini. Detque vobis devicta per Jesum Christum Dominum Nostrum inimicorum vestrorum superbia pacis et tranquillitatis gaudia, ut ex donis quoque praesentibus cognoscatis futura, quanto sint desiderio appetenda.

Quae nimirum si vos delectant inter omnia servanda vobis est caritas quam, quod inviti dicimus, in pecunia quam regi Ruscorum abstulisti vio-lasse videmini⁵.

Quapropter condolentes vobis multum vos rogamus et admonemus, ut pro amore Dei et sancti Petri quidquid sibi a vobis vel a vestris ablatum est restitui faciatis, non ignorantibus quoniam qui aliorum bona iniuste auferunt, nisi emendaverint, si emendare poterint, nullatenus in regno Christi et Dei parte habere credendi sunt. Hoc autem a vobis eadem caritate, qua dicimus, pro salute animae vestrae recipi concupiscimus.

Data Romae XII. Kalendas Maii, Indictione XIII.



⁵ Cfr. supra nr. 1. Agitur de Izjaslao-Demetrio.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

INNOCENTIUS III
(8.I.22.II.1198 — 16.VII.1216)

a n a g n i n u s
(Lotarius Signinus)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. III

3.

Viterbii, 7 . X . 1207

Innocentius III mittit Gregorium, Cardinalem, in Rutheniam, ad unitatem cum S. Romana Ecclesia stabilendam.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 7 A, fol. 28v, nr. 133.

TURGENEV J., *Historica Russiae Monimenta*, vol. I, p. 3-4, nr. 3.

MIGNE, *Patrologia Latina*, vol. 215, col. 1232.

Monumenta Hungariae hist. dipl., vol. XI, p. 317.

FEJER G., *Cod. diplomaticus*, vol. III, 1, p. 56.

POTTHAST A., *Regesta Romanorum Pontificum*, vol. I, nr. 3196.

CUBATYJ M., *Zachidna Ucraina i Rym v XIII v. u svojich zmahanniac do cerkovnoji uniji*, in «*Zapysky N. T. S.*», vol. 123-4, Lviv 1917, p. 76-77, nr. 2.

HALUSCYN SKYJ T., *Acta Innocentii PP. III*, in «*Fontes*» Series III, vol. II, Romae 1944, p. 334-6, nr. 105.

Archiepiscopis, episcopis et universis tam clericis quam laicis per Rutheniam constitutis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Licet hactenus elongati fueritis ab uberibus matris vestrae tanquam filii alieni, nos tamen, qui sumus in officio pastorali a Deo, licet immeriti, constituti ad dandam scientiam plebi suae, non possumus affectus paternos exuere, quin vos sanis exhortationibus et doctrinis studeamus tanquam membra vestro capiti conformare, ut Ephraim convertatur ad Iudam, et ad Ierusalem Samaria revertatur. Utinam intelligere velitis, sapere, et novissima providere, ut a mentibus vestris omnia depulsa caligine ad viam ab invio redatis, qui dudum post greges sodalium evagando, vos eius pertinaciter magisterio subduxistis, quem Salvator noster universalis ecclesiae caput constituit et magistrum, inquiens ad eumdem: Tu vocaberis Cephas, et tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni coelorum. Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis⁶. Cui cum Dominus oves suas pascendas tertio repetito vocabulo commisisset⁷, manifeste dedit intelligi, eum a grege Dominico alienum, qui etiam in suis successoribus ipsum contempserit habere pastorem. Non enim inter has oves et illas distinxit, sed simpliciter inquit: Pasce oves meas; ut omnes omnino intelligentur ei esse commissae. Cum igitur una sit et indivisa Domini tunica, nec unquam passa sit divortium sponsa Christi, iuxta quod sponsus in Canticis attestatur: Una est, inquiens, columba mea, perfecta mea, una est matri sua electa genetrici suae. Viderunt eam filiae Syon, et beatissimam praedicave-

⁶ Matth. XVI, 18-19.

⁷ Jo. XXI, 15-17.

runt reginae, et concubinae laudaverunt eam⁸; necesse est, ut quicunque ab huiusmodi unitate recesserint, aquis submersi diluvii partem cum angelo apostata sortiantur. Ut autem ipsius illibata unitas servaretur, unum eidem Dominus sicut praemisimus, beatum Petrum videlicet caput constituit et magistrum, ut quasi Noe archam extra quam animalia derelicta in diluvio submerguntur, salvatis caeteris infra ipsam contentis, in uno cubituo consumaret, pro cuius fide, ne in sua passione deficeret, specialiter exoravit, eidem praecipiens, ut fratres suos conversus aliquando confirmaret⁹.

Cum ergo innumeris fere testimoniis Scripturarum, quas vos nec convenit, nec expedit ignorare, unitas ecclesiae comprobetur, non est mirum, cum simus licet immeriti successores illius, cui iussit Dominus pascere oves suas, si errabundas oves nitimur ad caulam reducere, ut sicut est unus pastor, sic fiat unum ovile¹⁰, si totis viribus laboramus, ne quodammodo difforme fiat corpus ecclesiae, si partem aliquam ab eo contigerit separari. Ut autem ad praesens de reliquis taceamus, cum Graecorum imperium et ecclesia pene tota ad devotionem apostolicae sedis redierit, et eius humiliter mandata suscipiat et oboediat iussioni, nonne absonum esse videtur, ut pars toti suo non congruat et singularitas a suo discrepet universo. Praeterea quis scit, an propter suam rebellionem et inoboedientiam dati fuerint in direptionem et praedam, ut saltem daret eis vexatio intellectum, et quem in prosperis non cognoverant, recognoscerent in adversis.

Quia igitur karissimi fratres et filii, si digne volumus impositum nobis pastorale officium adimplere, quantum fragilitas humana permittit, vos ad ea debemus inducere, per quae dispendium temporale et aeternorum possitis periculum evitare, dilectum filium nostrum G. tituli sancti Vitalis presbyterum Cardinalem¹¹, virum genere nobilem, litterarum scientia praeditum, morum honestate praeclarum, discretum et providum, et suis exigentis meritis nobis et fratribus nostris carum admodum et acceptum, ad partes vestras duximus destinandum, ut filiam reducat ad matrem, et membrum ad caput, concessa sibi plenaria potestate, ut evellat, et destruat, aedificet et plantet¹², quae in partibus vestris evellenda, et destruenda, aedificanda cognoverit et plantanda. Monemus proinde etc., ut supra usque obtinemus¹³, quoniam dirigente Domino gressus eius inter vos ea curabit statuere, per quae Deo nobis quoque ac vobis pariter merito poterit placere.

Datum Viterbii, Non. Octob. Anno X.

⁸ Cant. VI, 8.

⁹ Luc. XXII, 32.

¹⁰ Jo. X, 16.

¹¹ Agitur de Gregorio ex illustri romana familia Crescentia de Cavaldimarmo. Creatus Card. an. 1198 a Clemente III, tit. S. Mariae in Aquiro, dein ab Innocentio III translatus ad tit. S. Vitalis. Nomen huius Cardinalis invenitur in 19 Bullis Pontificiis. De eius legatione in Halyc nihil ulterius constat, prout etiam alia vestigia eius vitae post an. 1208 non iam amplius habentur. - Cfr. AUBERY, *Histoire generale des Cardinaux*, Paris 1642, vol. I, p. 238; FR. CHRISTOFORI, *Storia dei Cardinali*, Roma 1888, vol. I, p. 89; T. T. HALUSCYN-SKYJ, *Acta Innocentii PP. III*, p. 334-336.

¹² Ierem. I, 10.

¹³ Agitur de alia epistula Innocentii III ad « Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, et alios tam Clericos quam Laicos per Regnum Hungariae constitutos », cuius initium: « Fundamentum et fundator Ecclesiae... », in qua Gregorio Cardinali committitur legatio in Hungariam. Cfr. T. T. HALUSCYN-SKYJ, *op. cit.*, pars III, An. X, nr. 8, p. 507, et Introductio: Ruthenia.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

HONORIUS III
(18,24.VII.1216 — 18.III.1227)
r o m a n u s
(Centius Savelli)

DOCUMENTA HONORII PP. III

4.

Romae, 17 . I. 1227

Gratulatur quod velint errores deponere; rogat ut Legatum Apostolicae Sedis recipient.

ASV, Reg. Vat., vol. 13, fol. 163 n. 483.

TURGENEV J., op. cit., 20-1, nr. 21.

POTTHAST, I, nr. 7652.

PRESSUTTI, Regest. Honorii PP. III, II, p. 468 nr. 6180.

GOLUBINSKIJ E., Istorija russkoj cerkvi, I, 1, p. 599.

BUNGE, Livl. Urkundenbuch, I, nr. 95.

CUBATYJ M., op. cit., p. 80-81, nr. 5.

Universis Regibus Rusiae

HONORIUS EPISCOPUS etc.

Gaudemus in Domino, quod sicut audivimus nuntii vestri ad venerabilem fratrem nostrum Mutinensem episcopum¹⁴, apostolicae sedis legatum a latere, vestro transmissi eum humiliter rogaverunt, ut partes vestras personaliter visitaret, quia cupientes sana doctrina salubriter instrui, parati estis omnes errores penitus abnegare, quod propter defectum praedicatorum, sicut dicitur, incurristis, et pro quibus iratus contra vos Dominus permisit vos hactenus multipliciter tribulari, tribulandos acerius nisi de invio erroris ad viam properaveritis veritatis. Cum quanto diutius duraveritis in errore, tanto timere possitis angustias duriores. Per vos itaque certificari volentes an velitis habere ab Ecclesia Romana legatum ut eius salutaribus monitis informati catholicae fidei, sine qua nemo salvatur, amplectamini veritatem.

Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus super hoc voluntatem vestram nobis per litteras et fideles nuntios intimetis.

Interim autem pacem cum christianis de Livonia et Estonia firmam habentes, non impediatis profectum fidei christiana, ne divinam et apostolicae sedis incurritis offensam, quae facile de vobis potest, quando vult, sumere ultionem. Sed potius, Domino largiente, per veram oboedientiam et gratae devotionis obsequia utriusque mereamini gratiam et favorem.

Datum Laterani, XVI Kal. Februarii, Anno XI.

¹⁴ Cfr. CUBATYJ M., op. cit. p. 26-32. - Quibus in specie Regibus epistula haec scripta erat, ignotum manet. Non potest tamen admitti sententia historiographorum russicorum, qui falsitatem epistulae affirmant, affirmantes legationem pontificiam ad Reges Moscoviae nullum habuisse locum. Sed sententia haec innititur gratuita affirmatione destinatarios epistulae fuisse príceps Moscoviae, seu septentrionales. - Cfr. GOLUBINSKIJ E., *Istorija russkoj cerkvi*, I, 1.

¹⁵ Episcopus Mutinensis Gnilielmus nominatus Legatus pontificius Prussiae et regionum vicinarum iam an. 1224. Ut videtur, quia Episcopus loci parum de opere missionario curabat. Cfr. Preuss. *Urkunden*, nr. 53.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

GREGORIUS IX
(19,21.III.1227 — 22.VIII.1241)

a n a g n i n u s
(Hugolinus Signinus)

DOCUMENTA GREGORII P.P. IX

5.

Reatae, 18 . VII . 1231

Epistula Gregorii IX ad aliquem Regem Russiae, ut videtur: vel Georgium II Vladimiriensem, vel potius Danielem Haliciensem.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 15, fol. 109v-110 (pergam.), nr. 99.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 30-31, nr. 33.

Registr. de Grégoire IX, nr. 684.

PTASNIK J., *Analecta Vaticana*, 1202-1366, p. 15.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 81-82, nr. 6.

Illustri Regi Russiae¹⁶

GREGORIUS EPISCOPUS etc.

Quia Christi vicarii insufficientibus meritis constitutis, eius devotos sincera complectimur caritate, merito desideramus, ut tu praeeuntem sequens gratiam salvatoris quem agnatum veneraris et recte diligis ac sincere sicut confidimus in eodem vere ac inflexibiliter ei studeas adherere, irreprehensibilem eius legem animas convertentem satagendo fideliter custodire.

Sane Domino in evangelio dicente didicimus, quod unum est ovile ac etiam unus pastor, et quod suarum ovium Christus custodem spiritualem et precipuum beatum Petrum esse constituit, dum quodam singulari privilegio traditis ei clavibus regni celestis ligandi atque solvendi sibi contulit potestatem, singulariter ac tertio ei dicens: pasce oves meas. Porro ab hoc ovili videtur extraneus et a grege Domini alienus, qui Christi Vicario successori videlicet beati Petri subesse contempserit ac humiliter obedire, qui assumpsitus est in potestatis plenitudinem, ceteris in partem sollicitudinis evocatis et pro quo Christus in Petro rogavit, ut non deficeret fides eius. Propter quod merito deviare creduntur, qui opinantur de ipso contrarium et contumaciter ab eius oboedientia recessisse probantur.

Verum cum venerabili fratre nostro Episcopo Prutenorum¹⁷ referente te

¹⁶ Historiographi russici affirmant epistolam hanc scriptam fuisse ad principem Georgium II, filium Vsevolod III (1177-1212), qui erat princeps de Suzdal et Vladimir (1212-1238). Cfr. ex gr. TURGENEV J., *op. cit.*, p. 30; GOLUBINSKIJ E., *op. cit.*, I, 1. Revera in textu Reg. Vaticani manuscripto non inventur nomen ullum. V. CUBATYJ in opere iam citato scribit: «circumstantiae politicae illius temporis affirmare permittunt «Regen hunc Russiae » Danielem (de Halyć) considerari posse» (*op. cit.*, p. 29).

¹⁷ Agitur de Christiano, Episcopo Prussiae, cuius dioecesis erat in ditione principis Conradi de Masovia, qui Danieli amicissimus erat. Inde etiam cum Christiano, qui in Concilio Lateranensi IV partem habuit, Daniel conversare potuit, et modo speciali eius opera uti potuit ad obtinendum thronum patris sui, ab Andrea principe Hungariae tunc tempore occupatum. Revera hoc tempore Daniel ad aliquot temporis principatum hunc obtinebat. Cfr. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 29-31; ABRAHAM W., *Powstanie organizacyi Kościola lacinskiego na Rusi*, Lwów 1904, p. 106-7, etc.

intellexerimus esse principem christianum, sed observantem Graecorum ac Rutenorum mores et ritus ac facientem in Regno tuo ab aliis observari, divina iam gratia inspirante volentem accedere ad devotionem et obedientiam apostolicae sedis et nostram, nos intimis affectibus sitientes animae tuae salutem tuumque perfectum commodum et honorem, Serenitatem tuam monemus et hortamur in Domino, quia sanam doctrinam non abnueris venerabiliter amplexari, ritus et mores christianorum latinorum devote suscias et observes¹⁸, te Regnumque tuum pro amore Christi submittendo suavi dominio Romanae Ecclesiae, matris universorum fidelium, quae te ut magnum in Ecclesia Dei principem honorare proponit et diligere ut filium spiritualem.

Uberius enim erga te senties gratiam Apostolicae Sedis et manum si relinquens iter devium per ostensam tibi viam rectitudinis gradiaris nosque tibi et Regno tuo benigni favoris praesidium efficaciter impendemus.

Datum Reaten. XV Kal. Augusti, Pontificatus Nostri Anno V.

6.

Iterampni, 12 . V . 1232

Gregorius IX Provinciali Ordinis Praedicatorum commendat ut informaciones assumeret de conditione et statu Cleri latini in Russia, ad erigendam eparchiam pro hac regione.

Akta grodzkie i ziemskie, vol. VII, nr. I.
CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 82-3, nr. 8.

GREGORIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Dilectis filiis Priori provinciali, Jacobo et Damaslao, fratribus Ordinis Praedicatorum in Polonia commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Significantem dilecto filio Gnesnensi electo nobis innotuit, quod cum in Russia, in qua servatur, quam plures sint ecclesie latinorum pastorem aliquem non habentes, nonnulli biga te, homicide ac alias, multipliciter criminosi de diversis partibus convenientes ad ipsas in antum ordinibus constituti exercere sacerdotalia officia in grave fidelium scandalum non quorum conversationem execrabilem vita latinorum detestabilis redditur et predictum ritum venire ad obedientiam sedis apostolice contradicunt. Unde prefatus archieписcopus humiliiter postulavit, ut in regione predicta creari episcopum mandaremus¹⁹, per quem extirpati

¹⁸ Cum Papa Gregorio IX incipit missio Ordinis Praedicatorum in hac regione, cuius finis principalis erat: renovatio vitae Catholicorum latinorum, ex ratione praesertim commercii hac in regione degentium, et dein unio dissidentium cum Ecclesia Romana. Ut ex documentis contemporaneis patet missio haec effectum duratum non habuit, imo reactionem christianorum ritus orientalis provocavit. Cfr. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 29-31.

¹⁹ Ut videtur Eparchia haec revera creata fuit ante 1234 (12. V), sic dicta de Opatov, cuius primus Episcopus erat Gerhardus, Cisterciensis. Sed iam ante annum 1240 iurisdictionem in hac Eparchia accepit Episcopus Lubusensis, qui, post intervallum annorum: 1240-1256, quo tempore Unio Ecclesiae Ucrainae cum Ecclesia Romana vigebat, in sua iurisdictione iterum confirmatus fuit anno 1257. Cfr. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 31; ABRAHAM, *op. cit.*, p. 110; et infra an. 1257.

vitiis ritus ibi catholicus propagatur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, eorumdem clericorum insolentia tam dampnabili instigata, inquiratis sollicite de regionis status et universis circumstantiis, que ad creationem episcopi videritis inquirenda, et quod inveneritis, per vestras nobis litteras fideliter exponatis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Datum Iterampni III Idus Maii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

7.

Anagniae, 24 . II . 1233

Priori prov. Praedicatorum in Polonia suisque collegis, ut fidelibus matrimonia cum Ruthenis schismaticis inire prohibeant.

ASV, *Reg. Vat.* t. 16, fol. 93, nr. 310.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, 31.

THEINER A., *op. cit.*, I, p. 22, n. 44.

RIPOLLI, *Bullarium Praedicatorum*, I, p. 43, nr. 63.

POTTHAST, *op. cit.*, I, 9105.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 83, nr. 9..

AURAY L., *Les registres de Gregoire IX*, I, p. 639, nr. 1115.

GREGORIUS EPISCOPUS etc.

Dilectis filiis . . . Priori provinciali Ordinis praedicatorum in Polonia, . . . Archidiacono et . . . Scolastico Gracoviensibus, salutem etc.

Queque nobis erronea discilicent, sed turbant nimium, que vergunt in fidei detrimentum. Accepimus si quidem²⁰, quod Ruthenorum perfidia non contenta, si sola dampnationis eterne tenebris immergatur, sed cupida, quod participes perditionis sue Christianos efficiat, qui sunt in eorum vicinia constituti, mulieres catholicas, quas sibi aliquando copulant in uxores, in contemptum fidei christiane secundum ritum ipsorum denuo baptizari faciunt, et eorum errores dampnabiles observare. Verum, quia nec pati volumus nec debemus, quod fideles perfidis matrimoniali copula coniungantur, eo quod lucis ad tenebras conventio non existat, nec deceat membra salvatoris Christi membra sathanae perditio sociari, aut picem cum balsamo commisceri, presentibus mandamus, quatinus ne in partibus illis huiusmodi detestanda matrimonia contrahantur, auctoritate nostra firmiter inhibentes, illa deinceps fieri nullomodo permittatis, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo.

Quod si non omnes etc.²¹.

Datum Anagnie, VI. Kal. Martii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

²⁰ Ut videtur, agitur iam de relatione, de qua Gregorius IX in epistula scribebat praecedenti (nr. 6).

²¹ TURGENEV J. in sua editione, innexus lectioni Albertrandi, sic habet in conclusione: «...omnes his exequendis potueritis interesse, tu frater provincialis ea nihilominus exequaris ». Cfr. ed. CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 83, nr. 9.

8.

Anagniae, 15 . III . 1233

Accedentibus ad solemnem praedicationem Fratrum Ord. Praed. in Russia indulgentiae conceduntur, ac Fratribus dicti Ordinis facultas datur incendiarios ac clericorum percussores absolvendi.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 16, fol. 105, nr. 372.

TURGENEV, *op. cit.*, I, 35.

THEINER A., *op. cit.*, I, p. 23-24, n. 48.

RIFOLI, *op. cit.*, I, p. 44, nr. 67.

POTTHAST, I, nr. 9125.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 85, nr. 12.

AURAY L., *op. cit.*, I, p. 668, nr. 1180.

GREGORIUS EPISCOPUS etc.

Dilectis filiis Priori provinciali Poloniae et fratribus Ordinis prae-dicatorum commorantibus in Russia, salutem etc.

Ut fidei vestre puritas sibi tantum eterne vite adipisci delicias non contenta, sed anxia, quod illarum dulcedinem ceterorum fidelium devotio me-reatur eo facilius in huius invio seculi constitutos ad viam dirigat celice man-sionis, quo ipsis, donantibus nobis, poteritis de potiori gratia providere, om-nibus, qui ad sollempnem predicationem vestram accesserint, quamdui fue-ritis in Ruscia, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi pe-nitentia relaxamus, auctoritate vobis presentium concedentes, ut pauperibus, debilibus et infirmis in Ruscie partibus constitutis, qui pro incendiis et vio-lenta iniectione manuum in clericos seculares, vel alias religiosas personas in canonem inciderint sententie promulgare, nequentes ad sedem apostoli-cam personaliter laborare, dummodo dampna passis et iniurias satisfecerint competenter, absolutionis beneficium impendatis, nisi forte adeo ipsorum difficultis fuerit et enormis excessus, quod propter hoc merito ad sedem apos-tolicam sint mittendi. Presentibus, postquam apostolice sedis legatus Rusciam intraverit, minime valituris.

Datum Anagnie, Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

9.

Reatae, 15 . VI . 1234

Cives latini Kiovenses in beati Petri tutelam recipiuntur.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 17, fol. 187, nr. 109.

A. THEINER, *Monumenta Hist. Poloniae*, I, p. 25, n. 55.

POTTHAST, I, 9472.

AURAY L., *op. cit.*, I, p. 1065, nr. 1960

GREGORIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Dilectis filiis Ulrico et fra-tribus suis eorumque concivibus latinis in Kiow salutem etc.

Sacrosancta Romana ecclesia devotos ac humiles ex assueto pietatis offi-cio propensius diligere consuevit et, ne parvorum hominum molestius agi-tentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere.

Cum igitur, sicut accepimus, zelo fidei ac devotionis accensi vos murum defensionis opponatis in Ruscie partibus pro cultu divini nominis ampliendo, et occasione huiusmodi a persecutoribus fidei christiane, qui vobis assiduas ponut insidias, saepius molestati dampna sustineritis²² et rapinas, nos vestris iustis precibus inclinati, personas vestras cum familiis et aliis bonis vestris, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum... etc. usque communibus. Nulli ergo... etc. nostre protectionis... etc..

Si quis autem... etc. presentibus post quinquennium minime valituris.
Datum Reate XVII Kal. Iulii, Anno octavo.

10.

Reatae, 15 . VI . 1234

Iudicibus mandatur, et praedictos Latinos ab ullo molestari permittant.

ASV, Reg. Vat., vol. 17, fol. 187, nr. 110.

A. THEINER, *Monumenta Hist. Poloniae*, I, p. 25, n. 56.


POTTHAST, I, nr. 9473.

AURAY L., *op. cit.*, p. 1066, nr. 1961.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis... Decano... Preposito et... Scholastico Zandomirensibus sal. etc..

Cum dilectum filium Ulricum et fratres suos eorumque concives latinos in Kiow, qui, sicut accepimus, zelo fidei ed devotionis accensi se murum defensionis opponunt in ipsis partibus pro cultu divini nominis ampliendo etc.²³ ut supra usque: sub protectione suscipimus beati Petri et nostra, mandamus, quatinus non permittatis eosdem contra nostre protectionis tenorem ab aliquibus indebet molestatari, Molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam... etc.²⁴ Quod si non omnes... etc. Presentibus... etc..

Datum Reate XVIII. Kal. Iulii, Anno octavo.



²² Agitur de aliquibus tumultibus et pugnis religiosis, unde fratres Ordinis Praedicatorum Kiovia pulsi erant. Non constat unde nam haec «persecutio» proveniebat: an ex parte principis, vel ex parte Cleri et populi ritus orientalis. Cfr. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 30.

²³ Ut in epistula praecedenti, nr. 9.

²⁴ Disunio erat talis, quod fideles ritus orientalis adhuc cum censura ecclesiastica ab Ecclesia Romana inficta punire posse considerabantur.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
¶ Romae

INNOCENTIUS IV
(25,28.VI.1243 — 7.XII.1254)

i a n u e n s i s
(Sinibaldus Fieschi)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. IV

11.

Lugduni, 1245

Innocentius IV omnes christianos monet et hortatur, ut Tartaris in ipsorum terras intrumpentibus vias et aditus secludant.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 677, nr. 77.

A. THEINER, *Mon. Hungariae...* vol. I, p. 198, nr. 366.
MANSI J. D., *op. cit.*, vol. 23, col. 627-8.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cristiane religionis cultum longius latiusque per orbem diffundi super omnia cupientes, inextimabilis doloris zelo transfodimur, si quando aliqui sic nostro in hac parte obviant desiderio, affectu contrario et effectu, quod ipsum cultum delere penitus de terre superficie omni studio, totaque potentia moluntur. Sane Tartarorum gens impia christianum populum subiugare sibi vel potius pertinere appetens, collectis iam dudum suarum viribus nationum, Poloniā, Rusciam, Ungariā aliasque christianorum regiones ingressa, sic in eas depopulatrix insevit, ut gladio eius nec etati parcente, nec sexui, sed in omnes indifferenter crudelitate horribili debachante, inaudito ipsas extermilio devastavit, ac aliorum Regna, continuato progressu illa sibi, eodem in vagina otiari gladio nesciente, incessabili persecutione substernit, ut subsequenter in robore fortiores exercitus christianos invadens, suam plenius in ipsos possit sevitiam exercere, sicque orbato, quod abs't, fidelibus orbe, fides exorbitet, dum sublatos sibi gemuerit ipsius gentis feritate cultores.

Ne igitur tam detestanda gentis eiusdem intentio proficere valeat, sed deficiat, auctore Deo, potius, et contrario concludatur eventu, ab universis christicolis attenta est consideratione pensandum et procurandum studio diligenti, ut sic illius impediatur processus, quod nequeat ad ipsos ulterius quantumcumque potenti armato brachio pertransire.

Ideoque sacro suadente concilio, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente mandantes, quatenus viam et aditus, unde in terram vestram gens ipsa posset ingredi, sollertissime perscrutantes, illos fossatis vel et muris seu aliis edificiis aut artificiis, prout expedire videritis, taliter pre-munire curetis, quod eiusdem gentis ad vos ingressus patere de facili nequeat, sed prius apostolice sedi huic denuntiari possit adventus, ut ea vobis fidelium destinante succursum, contra conatus et insultus gentis ipsius tuti esse, adiutore Domino, valeatis.

Nos enim in tam necessariis et utilibus expensis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus christianorum regionibus, cum per

hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus; et nichilominus super his aliis Christi fidelibus, per quorum partes habere posset aditum gens predicta, litteras presentibus similes destinamus²⁵.

12.

Lugduni, 3 . V . 1246

Populus Russiae ad unionem cum Ecclesia Romana invitatur, misso legato ad voluntatem Pontificis significandam.

- ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 275, nr. 476.
 RAYNALDUS, *Ann. Ecclesias.*, ad an. 1246, § 29 (pars).
 TURGENEV J., *Monimenta Russiae*, I, p. 58-59, nr. 65.
Monumenta Hungariae Historica Diplom. XII, 211.
 RIPOLLI, *Bullarium Praedicatorum*, I, p. 163, nr. 140.
 GRUBER, *Orig. Livon.*, 277; *Scriptores rerum Livonicarum*, I, 406.
 BUNGE F. G., *Livl. UB III*, Reg. 14, nr. 214.
 POTTHAST, *op. cit.*, nr. 12097.
 BERGER E., *Les registres d'Innocent IV*, vol. I, p. 271 (summarium).
 PTASNIK J., *op. cit.*, p. 26-27, nr. 43.
 CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 88-89, nr. 19.

Universis Christi fidelibus in Russiae partibus constitutis²⁶.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum is, qui secundum suae omnipotentiam maiestatis nec loco potest nec tempore comprehendi, utpote incircumscribibilis et immensus stabilis manus, dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, coelorumque altitudine inclinata carnem assumens humanam pro eo, quod deliciae suae sunt esse cum filiis hominum, discipulos, quos elegerat, in mundum destinaverit universum, ut omni praedicarent evangelium creaturae, suo nos instruxit exemplo, ut eius sequentes vestigia cum assumpti simus in plenitudinem potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera, quasi Jethro usi consilio, dividamus, unicuique secundum virtutem propriam, quae variis temporibus imminent committendo.

²⁵ Documentum hoc partem constituit *Instructionis factae in Consilio Lugdunensi I* (1245), quarum prima erat sub titulo: «*De subsidio imperii Constantinopolitani*», altera vero, ut infra, titulum habuit: «*De tartaris*», et maxima parte fundabatur in relationibus Archiepiscopi rutheni Petri. Cfr. S. TOMASIVSKYJ, *Praecursor Isidori sive de Petro, Aceri filio, Metropolita rutheno hucusque fere ignoto* (1241-1245), in «*Analecta OSBM*», II, 3-4, p. 221; MONUMENTA GERMANIAE HISTORICA, *Scriptores*, v. XXVII, Berolini 1885, p. 447; CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 33-39; A. G. WELYKYJ, *Regia Danielis De Halyc coronatio*, in «*Analecta OSBM*», Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 646-648, Romae 1953.

²⁶ Agitur praesertim de Regno Galiciae et Volodimiriae, ubi princeps Daniel eiusque frater Basilius regnabant. Regnum hoc totam fere Ucrainam et Belorussiam hodiernam comprehendebat, et etiamsi a tartaris devastatum (1240-41), certam tamen independentiam a iugo tartarorum conservavit. Principes regni istius auxilium contra periculum hoc imminens apud Occidentem et Romanam Curiam quaerebant. Inde nata est unio ecclesiastica, sed d. Regis Danielis. Epistula haec, post Concilium Lugdunense I scripta, prima est in serie quae hac de re tractant. Cfr. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 39-57.

Sane cum in partibus vestris mores et ritus Grecorum, qui superstitione ac dampnabiliter ab unitate ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis observati, nuper, gratia favente divina illuminata sunt corda vestra, ut recognoscentes Romanam Ecclesiam matrem aliarum omnium et magistrum, ac Summum Pontificem successorem Petri, cui collate sunt claves Regni celestis, ligandi et solvendi, et Jesu Christi vicarium esse caput, quia cum unus sit dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus Ecclesiae militantis; corpus cum pluribus capitibus monstruosum et sine capite acephalum censeretur, ad devotionem et obedientiam Apostolicae Sedis et nostre redire, ut accepimus, affecteris, Nos ei assurgentes in laudem, qui oculos Tobiae per colivium ex felle piscis illuminare dignatus est, et aperire oculos ceci nati, ac exultantes cum muliere, quae iuxta veritatem evangelicam dragman, quae perierat, reinvenit.

Venerabilem Fratrem nostrum, Archiepiscopum Pruscie et Estoniae Apostolice Sedis Legatum,²⁷ virum itique secundum eorum honestate decoratum, litterarum scientia peditum, et consilii maturitate preclarum, qui vobis verba vite deferet, et nostram et fratrum nostrorum plenius voluntatem exponet, ad partes vestras commisso sibi in eisdem partibus plene legationis officio, duximus destinandum, concessa ei libera potestate, ut evelat ed destruat, dissipet et disperdet, edificet et plantet, prout secundum Deum viderit expedire.

Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente mandantes, quatenus eundem Archiepiscopum, quem speciali prosequimur praerogativa favoris, sicut legatum Sedis Apostolice immo Christi, cuius negotium specialiter in hac parte sibi promovendum committitur, benigne recipientes et honorifice pertractantes, impendendo ei super premissis consilium, auxilium et favorem, ipsius monitis et mandatis salutaribus devote ac humiliter intendatis. Alioquin sententiam quam idem rite tulerit in rebelles ratam habebimus etc. usque observari.

Datum Lugduni V nonas Maii, Anno tertio.

²⁷ Nomine Albertus; cfr. infra nr. 14.

²⁸ Agitur de principe Danieli de Halyč, filio Romani Principis Volhyniae et Galiciae († 1205). Nat. 1201. Post mortem patris profugus simul cum matre et fratre minore Basilio, primum in Hungaria et dein in Polonia, postquam proclamatus fuit princeps Galiciae (1205). Alia vice venit in thronum patris an. 1211, dein an. 1229-1231, 1235-6, et denum an. 1240, et remansit usque ad an. 1264. Anno 1219 uxorem duxit Annam, filiam Mstislai, et dein ante annum 1252 aliam duxit uxorem, nepotem Mindovh, sororem Tovtivil. Anno 1240, durante incursione tartarorum urbem Kioviam in sua potestate habuit. Tartaris irrumpentibus resistere non potuit. Misso legato suo ad Concilium Lugdunense ipse ad magnum chan tatarorum properavit obedientiam praestando. A tartaris bene exceptus fuit et in regno suo confirmatus. A tartaris redux Joannem Plano del Carpino in itinere ad tartaros invenit, cum quo colloquium habuit. Sed interea Innocentius IV, ut periculo tartarorum vires christianorum opponeret, etiam Danielem ad partes Europae occidentalis allicere studebat, eique epistulam hanc scripsit et Legatum a latere misit. Cfr. CURATYJ, op. cit., p. 39-57; PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom...*, II, p. 275-283; DR. A. ISCAK, *De conatibus unionis ecclesiasticae nec non de autocephaliae aspirationibus in Ucrainae terris a rege Daniele usque ad tempora Metrop. Isidori*, in «Bohoslovia» I (1923) 1, p. 17-41, etc.

13.

Lugduni, 3 . V . 1246

Innocentius Regi Danieli, Principi Galiciae, scribit eum ad Unionem cum S. R. Ecclesia hortando, cui Legatum suum mittit.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 275, nr. 477.

IBIDEM, ac in epistula praecedenti.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 27, nr. 44.

Illustri Regi Ruscie.²⁸

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum is, qui secundum suae omnipotentiam maiestatis²⁹ nec loco potest, nec tempore comprehendendi, utpote nihil deficit incircumscribibilis, et immensus, stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, coelorumque altitudine inclinata carnem assumens humanam pro eo, quod deliciae suae sunt esse cum filiis hominum, discipulos, quos elegerat, in mundum destinaverit universum, ut omni praedicarent evangelium creaturae, suo nos instruxit exemplo, ut eius sequentes vestigia, cum assorti simus in plenitudinem potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, tunc eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera, quasi Jethro usi consilio, dividamus, unicuique secundum virtutem propriam, quae variis temporibus imminent, committendo.

Sane cum in partibus tuis mores, et ritus Grecorum, qui superstitiose, ac dampnabiliter ab unitate ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis observati, et nuper, gratia favente divina, illuminatum fuerit cor tuum, ut recognoscens Romanam Ecclesiam matrem aliarum omnium, et magistrum, ac Summum Pontificem Successorem Petri, cui collate sunt claves Regni celestis, ligandi, et solvendi, et Jesu Christi Vicarium esse caput, quia cum unus sit Dominus, una fides, unum principium, unum corpus Ecclesiae militantis, corpus cum pluribus capitibus monstruosum, sine capite acephalum censeretur, ad devotionem, et obedientiam Apostolicae Sedis, et nostram redire, sicut accepimus, affecteris, Nos ei assurgentis in laudem, qui oculos Tobiate per collirum ex felle piscis illuminare dignatus est, et aperire oculos ceci nati, ac exultantes cum muliere, quae iuxta veritatem evangelicam dragmam, quae perierat, reinvenit.

Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Pruscie, et Estonie, Apostolicae Sedis Legatum, virum utique secundum cor nostrum, morum honestate decoratum, litterarum scientia praeditum, et consilii maturitate praeclarum, qui tibi verba vitae deferet, et nostram, et fratrū nostrorum plenius voluntatem exponet, ad partes tuas, commisso sibi in eisdem partibus plene legationis officio, duximus destinandum, concessa ei libera potestate, ut evellat, et destruat, dissipet, et disperdat, edificet, et plantet, prout secundum Deum viderit expedire.

Quocirca Serenitatem tuam regiam rogamus, monemus, et hortamur, attente mandantes, quatenus eidem Legato super his, et contra Tartaros impendas sibi consilium, auxilium, et favorem, quod exinde apud Deum meritum,

²⁸ Textus praesentis epistulae fere idem, mutatis mutandis, ac praecedentis.

et apud homines tibi compares nomen bonum. Nosque Serenitatem regiam dignis valeamus in Domino laudibus comedare.

Datum Lugduni, 5 Nonas Maii Anno 3º.

14.

Lugduni, 3 . V . 1246

Innocentius IV Archiepiscopo Livoniae committit munus legationis ad Regem Danielem, et ut legationem suam ad propagationem et corroborationem catholicae fidei exercere studeat.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 275v-276, nr. 478.

APP, *Miscellanea*, vol. 16, fol. 104.

RIPOLLI, *Bullarium Ordinis Praedicatorum*, I, p. 163, nr. 141.

TURGENEV J., *Historica Russiae monumenta*, vol. I, p. 60, nr. 66.

BUNGE F. G., *Livl. UB*, I, p. 449, nr. 191, Riga 1853.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 89-90, nr. 20.

Archiepiscopo Pruscie et Estonie Apostolice Sedis Legato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum is qui secundum sue omnipotentiam maiestatis, nec loco potest, nec tempore comprehendendi, utpote nihil deficit, incircumscripibilis, et immensus, stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos, et ministros, celorumque altitudine inclinata carnem assumens humanam pro eo, quod delicie suae sunt esse cum filiis hominum, discipulos, quos elegerat, in mundum destinaverit universum, ut omni praedicarent evangelium creature, suo nos instruxit exemplo, ut eius sequentes vestigia, cum assumpti sumus in plenitudinem potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, tunc eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera, quasi Jethro usi consilio, dividamus, unicuique secundum virtutem propriam, quae variis temporibus imminent, committendo.

Sane cum in partibus Ruscie mores et ritus Grecorum, qui superstitiose ac dampnabiliter ab unitate ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis observati, nuper, gratia favente divina, illuminata sunt corda eorum, ut recognoscentes Romanam Ecclesiam matrem aliarum omnium et magistrum, ac Summum Pontificem Successorem Petri, cui collatae sunt claves Regni celestis, ligandi et solvendi, et Jesu Christi vicarium esse caput, quia cum unus sit dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus Ecclesie militantis; corpus cum pluribus capitibus monstruosum et sine capite acephalum censeretur, ad devotionem et obedientiam Apostolice Sedis et nostrae redire accepimus affectati, Nos ei assurgentis in laudem, qui oculos Tobiae per collirium ex felle piscis illuminare dignatus est, et aperire oculos ceci nati, ac exultantes cum muliere, quae iuxta veritatem evangelicam dragmam, quae perierat, reinvenit, Te, de cuius prudentia indubitatam fiduciam gerimus, qui eis verba vite deferes et nostram et fratrum nostrorum voluntatem expones, ad partes illas, commisso sibi in eisdem partibus plene legationis officio, duximus destinandum, concessa tibi

libera potestate, ut evellas, destruas, dissipes et disperdes, aedifices, et plantes, prout secundum Deum viderit expedire.

Quocirca Fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus legationem ipsam pro Christo susceptam sic studeas in propagationem et corroborationem catholice fidei iuxta datam tibi a Domino gratiam laudabiliter exercere, quod exinde apud homines tibi compares nomen bonum, nosque diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus.

Datum Lugduni V Nonas Maii, Anno tertio.

15.

Lugduni, 3 . V . 1246

Eidem Legato committit instituere Episcopos ex Ordine Praedicatorum eiusque consecrationem impendere.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 276, nr. 479.

APF, *Miscellanea*, vol. 16, fol. 104rv.

O. RAYNALDUS ad an. 1246, § 30.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, 56 nr. 61.

RIPOLLI, *Bullarium Ord. Praedicatorum*, I, p. 163, nr. 142.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12093.

BUNGE F. G., *Livl. UB*, I, 248, nr. 190.

BERGER, *op. cit.*, I, p. 272, nr. 1819 (summarium).

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 87, nr. 15.

Eidem

(Archiepiscopo Pruscie et Estonie Apostolice Sedis Legato)

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Ut commissum tibi in Russiae partibus legationis officium liberius exequaris, praesentium tibi auctoritate concedimus, ut in eisdem partibus, prout expedire videris, tanquam Legatus Sedis Apostolice, episcopos latinos de Ordine Praedicatorum, vel Minorum, ac aliorum Religiosorum, et de Clericis saecularibus etiam instituere ac ordinare valeas, eis confirmationis, et consecrationis munus auctoritate apostolica impensurus. Contradictores etc.

Datum Lugduni 5 Nonas Maii, Anno tertio.

16.

Lugduni, 3 . V . 1246

Regem Danielem de Galitia eiusque Regnum sub protectionem Beati Petri Sedisque Apostolicae recipit.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 276, nr. 480.

APF, *Miscellanea*, vol. 16, fol. 104v.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 57 nr. 62.

Monum. *Hungariae historica Dipl.* XII, p. 120.

- POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12094.
 E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 272, nr. 1820 (summarium).
 PTASNIK J., *op. cit.*, p. 27, nr. 45.
 CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 87, nr. 16.

Regi Russie Illustris³⁰.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum Te, ac Regnum, utpote plantationem novellam proponamus prosequi speciali prerogativa gratiae, ac favoris tuis libenter annuimus, et peritiores tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus.

Tuis itaque supplicationibus inclinati personam tuam et Regnum predictum sub Beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus; nulli ergo... etc. nostrae protectionis.

Datum Lugduni 5 Monas Maii, Anno 3⁰.

17.

Lugduni, 3 . V . 1246

Innocentius IV duos Regi Danieli ad latus concedit Fratres ex Ordine Praedicatorum.

- ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 276, nr. 481.
 APF, *Miscellanea*, vol. 16, fol. 104v.
 TURGENEV, *op. cit.*, I, c. 57, nr. 63.
 RIPOLLI, *op. cit.*, I, p. 163, nr. 143.
 ERBEN, *Regesta Bohemiae*, I, p. 540, nr. 148.
 POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12095.
 E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 272, nr. 1821.
 CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 87-88, nr. 17.
 PTASNIK, *op. cit.*, p. 27-28, nr. 46.

Eidem (Regi Russiae Illustris)³¹

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cupientes tuis votis annuere, ac volentes in omnibus, quantum cum Deo possumus, tuae satisfacere voluntati, dilectos filios, Fratres Alexium, et . . ., Socium eius, qui cum ipso fuit in Boemia, Ordinis Praedicatorum, tibi ad morandum tecum duximus concedendos, committentes eis auctoritate praesentium eandem auctoritatem, quam habent ii, qui sunt ad Tartaros destinati.

Datum ut supra (*V. Nonas Maii, Anno tertio*).

³⁰ Danieli.

³¹ Danieli.

18.

Lugduni, 3 . V . 1246

*Fratrem Alexium et eius socium de predicta missione ad Regem Danielem
Innocentius IV certiorem facit.*

- ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 276, nr. 482.
- APF, *Miscellanea*, vol. 16, fol. 105.
- TURGENEV J., *op. cit.*, I, c. 58, nr. 64.
- ERBEN, *Regesta Bohemia*, I, p. 540, nr. 1149.
- POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12096.
- E. BERGER, *op. cit.* p. 272, nr. 1822.
- PTASNIK J., *op. cit.*, p. 28, nr. 47.
- CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 88, nr. 18.

Fratri Alexio, et . . . Socio eius, qui fuit cum ipso in Boemia, Ordinis Praedicatorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cupientes, clarissimi in Christo filii nostri . . . Regis Russie Illustris votis annuere, ac volentes in omnibus, quantum cum Deo possumus, sue satisfacere voluntati, vos sibi ad morandum secum diximus concedendos, committentes vobis auctoritate litterarum nostrarum eandem auctoritatem, quam habent, ii, qui sunt ad Tartaros destinati.

Quocirca mandamus, quatenus sine dilatione ad eiusdem Regis praesentiam accedatis, cum eo, quamdiu sibi placuerit, moraturi.

Datum ut supra (*Lugduni 5 Nonas Maii, Anno 3º*).

19.

Lugduni, 1 . X . 1246

Innocentius IV Episcopatui catholico Orientis iniungit, ut captivos christianos, Ruthenos etiam, ad pristinam curent restitui libertatem.

- ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 325rv, nr. 127.
- ERBEN, *Regesta Bohemiae*, I, p. 541, nr. 1153.
- POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12283.
- E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 316, nr. 2122.

Patriarchae Jerosolimitano Apostolicae Sedis Legato et Universis Archiepiscopis, Episcopis per Regnum Jerosolimitanum constitutis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum, sicut accepimus, nonnulli mercatores Januenses, Pisani, et Veneti de partibus Constantinopolitanis navigantes in Regnum Jerosolimitanum quam plures Grecos, Bulgares, Ruthenos et Blacos christianos, tam mares quam feminas, secum in navibus detulerunt, eosque venales quibuslibet etiam Sarracenis exponunt, ita quod multi de talibus detinentur a suis emptoribus

tamquam servi, et iidem christiani confugientes frequentant ad ecclesias et prelatos ipsorum, se liberos asseruerent et contra iustitiam in servitutem redactos, petantque instanter pristine restitui libertati, Universitati vestrorum mandamus quatinus, si est ita, predictos christianos, sic iniuste detentos, et ut evadant servitutis opprobrium, presidium Ecclesie taliter postulantes, benigne favorabiliter audientes, ad suam ipsos liberatem restitui, singuli vestrum in propriis civitatibus et dioecesibus faciatis. Contradictores etc.

Datum Lugduni Kal Oct., Anno quarto.

20.

Lugduni, 27 . VIII . 1247

Innocentius IV Danieli, Regi Russiae, eiusque fratri Wasylconi, Regi Lodomiae, terras, possessiones, aliaque bona, hereditario iure ad eos spectantia, concedit facultatem recuperandi.

ASV, *Reg. Vat.*, voll. 21, fol. 459v, nr. 172.

MARINI M., *Diplomata Pontificia*, Romae 1841, p. 60 B.

TURGENEV J., *op. cit.* I, p. 61, nr. 67; *Monumenta Hungariae hist. Diplom.*, XII, p. 233.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12668.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 485, nr. 3221.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 30, nr. 53.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 90-91, nr. 21.

Illustribus Danieli Ruscie et W. Lodomerie fratri eius,³² Regibus et Nato eiusdem Danielis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum producamus effectum.

Eapropter Carissimi in Christo filii, vestris iustis precibus inclinati recuperandi possessiones, terras et alia bona ad vos hereditario vel alio iure spectantia, que alii Reges, qui in Ecclesiae devotione non permanent, contra iustitiam detinent, et iniurias seculari potentia propulsandi liberam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare prae- sumperit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Lugduni VI Kal. Septembris, Anno V.

³² Basilius (Wasylko), frater Danielis, princeps Volhyniae. Natus an. 1203, obiit an. 1269. Ante an. 1229 uxorem duxit filiam principis Suzdaliensis Georgii II, et post mortem primae uxoris duxit aliam, filiam Lestconis, principis Poloniae, Helenam († 1265). Cfr. N. DE BAUMGARTEN, *Généalogies...*, p. 47.

21.

Lugduni, 27 . VIII . 1247

Prohibitur Cruciferis aliisque Ordinibus militaribus se in possessiones Regis Danielis introducere.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 459v, nr 173.

MARINI M., *Diplomata pontificia*, p. 60 C.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 62, nr. 69; *Mon. Hung. hist. Diplom.*, XII, p. 234.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12670.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 485, nr. 3222.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 91-92, nr. 23.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 30, nr. 54.

Eisdem

(Illustribus Danieli Russie et W. Landomerie fratri eius Regibus et Nato eiusdem Danielis).

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Exigentibus vestre devotionis meritis votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus.

Vestrис itaque supplicationibus inclinati, ut nullus cruciferorum vel aliorum religiosorum in terris vestris acquisitis et acquirendis de aliquo se intromittere vel possessionem aliquam acquirere absque beneplacito vestro valeat, auctoritate presentium indulgemus.

Nulli ergo... etc. nostre concessionis... etc..

Si quis... etc.

Datum ut supra (*VI Kal. Sptembr. Anno V*).

22.

Lugduni, 27 . VIII . 1247

Episcopis et Praesbyteris Russiae permittitur suum in omnibus conservare Ritum, qui catholicae fidei non obstat.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 459v, nr. 174.

O. RAYNALDUS, *Annales Eccl.* ad. an. 1247, § 29.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 61, nr. 68; *Mon. Hung. hist. Diplom.*, XII, p. 232.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12669.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 485, nr. 3223.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 30-31, nr. 55.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 91, nr. 22.

Danieli Regi Ruscie Illustri.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum te de cetero specialem inter devotos Ecclesie reputemus, petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, liberentur ad gratiam exauditionis admitemus, et votis tuis favorem benevolum impertimur.

Eapropter, Carissime in Christo fili, tuis supplicationibus inclinati Epis-

copis et aliis presbyteris de Ruscia, ut liceat eis more suo ex fermentato confidere et alios eorum ritus, qui fidei catholicae, quam Ecclesia Romana tenet, non obviant observare auctoritate presentium indulgemus.³³

Nulli ergo... etc. nostre concessionis... etc..

Datum ut supra (*Lugduni VI Kal. Sptembris. Anno V.*).

23.

Lugduni, 28 . VIII . 1247

Legato Apostolico conceditur facultas dispensandi a defectu natalium.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 459v, nr. 175.

RIPPOLLI, *Bullarium Ord., Praed.*, I, p. 176, nr. 181.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 63, nr. 70; *Mon. Hung. hist. Diplom.*, XII, p. 235, nr. 161.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12671.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 485, nr. 3224.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 31, nr. 56.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 92, nr. 24.

Archiepiscopo Livonie, Eustonie et Pruscie,
Apostolice Sedis Legato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Devotionis tue precibus benignum impertientes assensum dispensandi in Ruscie partibus cum patientibus genitoris defectum, dummodo non sint de adulterio vel incestuoso coitu procreati, ut ad sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere valeant, et etiam cum illis, qui irregularitatem aliquam incurrerunt ex tali casu, in quo consueverit Sedes Apostolica dispensare, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Datum Lugduni V Kal. Septembris, Anno V.

24.

Lugduni, 28 . VIII . 1247

Datur alia facultas eidem Legato consecrandi Episcopos etiam cum dispensatione propter defectum natalium.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 459v, nr. 176.

RIPPOLLI, *Bullarium Ord. Praed.*, I, p. 176, nr. 182.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 63, nr. 71; *Mon. Hung. hist. Diplom.*, XII, p. 235, nr. 162.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12672.

E. BERGER, I, p. 485, nr. 3225.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 31, nr. 57.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 92, nr. 25.

³³ Concessioni huic opponitur illa, qua Gregorius IX anno 1231 (cfr. nr. 5) Regibus Russiae iniungebat, ut «ritus et mores christianorum latinorum devote suscipiant et observent».

Eidem

(Alberto Archiepiscopo Livonie, Estonie, et Pruscie,
Apostolice Sedis Legato).

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum tibi, tam in Pruscia, quam in Ruscia ordinandi Episcopos plenam concessimus facultatem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum uno, quem ad pontificatus dignitatem dignum inveneris, super defectu natalium, dummodo de adulterio vel incestuoso coitu natus non sit, auctoritae nostra dispensas, ipsum valeas libere in episcopum ordinare.

Datum ut supra (*Lugduni V Kal. Septembr. Anno V*)

25.

Lugduni, 12 . IX . 1247

*Reges Daniel et Vasylko cum suis Regnis et possessionibus sub protectionem
S. Sedis recipiuntur.*

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 460v, nr. 187.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 65-66, nr. 74; *Mon. Hung. hist. Diplom.* XII, p. 238.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12688.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 487, nr. 3236.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 32, nr. 59.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 94, nr. 28.

Illustribus Danieli Ruscie et W. Laudemerie fratri eius
Regibus et Nato eiusdem Danielis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Etsi proponamus illustrium ac nobilium et aliorum Ecclesie devotorum personas, quantum cum Deo possumus, honorare, vos tamen, quos Deus et Dominus noster Jesus Christus per suam misericordiam ad unitatem ecclesiasticam revocavit, tante propensiore volumus prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, quanto in revocatione vestra ad devotionem ecclesiasticam non hominis sed divine potentie manus dinoscitur operata.

Eapropter, Carissimi in Christo filii, vestris precibus inclinati personas vestras et Regna, familias, possessiones, et alia omnia bona vestra tam mobilia quam immobilia, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, praestante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et ea vobis vestrisque heredibus in Ecclesie devotione persistentibus auctoritate apostolica concedimus et praesentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo... etc. nostre protectionis et confirmationis... etc.

Datum Lugduni II Id. Septembr. Anno V.

26.

Lugduni, 7 . IX . 1247

Committitur Legato Apostolico, ut Regem Denielem eiusque Regnum in unitatem Ecclesiae Catholicae et sub protectionem b. Petri et Sedis Apostolicae aggregaret.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 460v, nr. 188.

RIPOLLI, *op. cit.*, I, p. 176, nr. 183.

O. RAYNALDUS, *op. cit.*, ad an. 1247, § 28.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 64, nr. 72; *Mon. Hung. Hist. Dipl.*, XII, p. 236.

BUNGE F., *Livl. UB*, I, p. 254, nr. 195.

GRUBER, *Orig. Livon.*, p. 277; *Script. rerum Livonicarum*, I, p. 406.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12686.

E. BERGER, I, p. 487, nr. 3237.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 31-32, nr. 58.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 93, nr. 26.

Archiepiscopo Pruscie, Livonie, et Eustonie,
Apostolice Sedis Legato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Sicut omnes, quos extra archam invenit diluvium perierunt, ita omnes, qui sunt extra communionem Ecclesie, nisi conversi ad eius unitatem redierunt, in eterne dampnationis supplicium deportantur. Hac siquidem consideratione inductus Carissimus in Christo filius noster Daniel Rex Ruscie Illustris, cuius Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, sua misericordia illustravit per litteras speciales et nuntios, quos propter hoc transmisit nuper ad nostram presentiam, cum humilitate et instantia postulavit a nobis, ut ipsum et totam gentem ac Regnum eius hactenus a fidei unione praecisos ad unitatem ecclesiasticam et devotionem Ecclesie Romane, que aliarum omnium caput est et magistra, recipere de benignitate solita curaremus.

Quocirca mandamus, quatinus personaliter ad partes illas accedens, si praefatus Rex in tam sancto proposito perseverans, tam ipse, quam Archiepiscopi et Episcopi et alii magnates Regni sui, scismate quolibet penitus abiurato, promiserint, et iuraverint se de cetero in unitate fidei, quam Ecclesia Romana predicit et observat, eiusdemque Romane Ecclesie devotione perpetuo permansuros, eos auctoritate nostra et reconcilies, et tamquam speciales et devotos filios incorpores praedicte Romane Ecclesie, que mater est omnium unitati. Idque per loca et regna, in quibus expedire videris, publices et facias etiam publicari.

Datum Lugduni VII Idus Septembr. Anno V.

27.

*Lugduni, 7 . IX . 1247**Alberto, Archiepiscopo Prussiae, permittitur usus palli in partibus Russiae.*ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 462v, nr. 207.RIPOLLI, *op. cit.*, I, p. 177, nr. 184.TURGENEV, *op. cit.*, I, p. 65, nr. 73; *Mon. Hung. Hist. Diplom.*, XII, p. 237.VOIGT, *Geschichte Preussens*, III, p. 599;POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12687.

E. BERGER, I, p. 489, nr. 3256.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 93-94, nr. 27.

*Archiepiscopo Pruscie, Livonie et Eustonie,
Apostolice Sedis Legato.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Exigentibus tuae devotionis meritis votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus.

Tuis itaque supplicationibus inclinati utendi palleo in partibus Ruscie et Ecclesie Lubicensis, quam tibi commissimus, plenam tibi concedimus de speciali gratia facultatem. Hanc autem indulgentiam ad tuos extendi nolumus successores, ipsam te cedente vel decerente carere iuribus decernentes.

Nulli ergo... etc. nostre concessionis... etc. Si quis autem etc.

Datum Lugduni VII Id. Septembr. Anno V.

28.

*Lugduni, 5 . XII . 1247**Conceditur convalidatio matrimonii Regis Volodimiriae, Vasylko, propter tertii consanguinitatis gradus impedimentum.*ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 490v, nr. 419.TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 67, nr. 76; *Mon. Hung. Hist. Diplom.* XII, p. 240

POTTHAST, II, nr. 12775.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 52, nr. 3469.CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 95-96, nr. 30.

Carissimo in Christo Vasilconi Lodomerie Regi Illustri.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Etsi coniunctio copule coniugalnis in tertia et quarta consanguinitatis vel affinitatis linea sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super his interdum Romana dispensat Ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel eviden-utilitas id esposticit.

Cum igitur, Carissime in Christo fili, Dubrauce Regine Illustri, uxori tue, cui in tertio gradu consanguinitatis attines, ³⁴ matrimonialiter sic con-

iunctus, nos attendentes devotionem, quam habes ad Romanam Ecclesiam, quodque in ea manere desideras et inducere alios ad eadem, ut in huius matrimonio, non obstante impedimento praedicto, remanere libere valeas, tecum auctoritate presentium dispensamus.

Nulli ergo... etc. nostre dispensationis... etc..

Datum Lugduni Non. Decembr. Anno V.

29.

Lugduni, 5 . XII . 1247

Dubraucae, Reginae Volodimiriae, conceditur dispensatio remanendi in matrimonio cum Rege Vasylko, non obstante tertio gradu consanguinitatis. Eodem modo, mutatis mutandis.

ASV, Reg. Vat., vol. 21, fol. 490v, nr. 419.

IBID. ac epistula superior.

Dubrauce Regine Illustri,³⁴ uxori Carissimi in Christo filii nostri Wasilconis Lodomerie Regis Illustris.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Etsi coniunctio copule coniugalnis in tertia et quarta consanguinitatis vel affinitatis linea sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super his interdum Romana dispensat Ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposit.

Cum igitur Carissimo in Christo filio nostro Wasilconi Regi Lodomerie, cui in tertio gradu consanguinitatis attines, matrimonialiter sis coniuncta, nos attendentes devotionem, quam habes ad Romanam Ecclesiam, quodque in ea manere desideras et inducere alios ad eandem, ut in huius matrimonio, non obstante impedimento praedicto, remanere libere valeas, tecum auctoritate presentium dispensamus.

Nulli ergo... etc. nostre dispensationis... etc..

Datum ut supra (*Lugduni Non. Decembr. Anno V*).

³⁴ Agitur de filia principis Vladimiriensis et Suzdaliensis Georgii II (1212-1238), quae tamen anno 1248-9 vita functa est. Post eius mortem princeps Basilius aliam duxit uxorem, Helenam de Polonia, filiam Lestconis Bialy, quae obiit anno 1265. Cfr. N. DE BAUMGARTEN, *Généalogies...*, p. 47-48 cum bibliographia.

³⁵ Cfr. notam praecedentem.

30.

Lugduni, 22 . I . 1248

Innocentius IV Danieli Regi scribit, ut invigilaret motibus Tartarorum.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 555, n. 38.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 68, nr. 77; *Mon. Hung. Hist. Diplom.*, XIII, p. 267.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 12814.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 620, nr. 4088.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 96, nr. 31.

Danieli Regi Ruscie Illustri.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Quia pericula possunt facilius evitari, si contra ipsa per providentie clipeum muniamur, Serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur atente petentes pro munere speciali, quatenus quamcito tibi constiterit quod Tartarorum exercitus versus christianitatem dirigat gressus suos, id dilectis filiis fratribus de domo Theotonica in Pruscie partibus commorantibus intimare procures, ut cum hoc per eosdem fratres ad notitiam nostram pervenerit, qualiter ipsis Tartaris viriliter cum Dei adiutorio resistamus, possimus maturius cogitare.

Datum Lugduni XI Kal. Februarii, Anno V.

In eundem modum fratri³⁶ carissimi in Christo filii nostri Danielis Illustris Regis Ruscie.

31.

Lugduni, 22 . I . 1248

Innocentius IV Ordini Theutonico, ut nuntient de periculo incursionis Tar-
tarorum.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 21, fol. 555, nt. 39 (Curiales), nr. 40.

TURGENEV, *op. cit.*, I, p. 70, nr. 79.

VOIGT, *Cod. diplom. Prussiae*, I, p. 69, nr. 74.

POTTHAST, II, nr. 12813.

E. BERGER, *op. cit.*, I, p. 620, nr. 4089-90.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 966-97, nr. 32.

Magistro et fratribus de domo Theotonicorum
in Prusiae partibus constitutis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum Danieli Regi Rusciae Illustri et ... fratri eius³⁷ ... et nobili viro, Alexandro Duci Susdaliensi³⁸ nostras litteras dirigamus, ut cum eis consti-

³⁶ Basilio (Vasylkon).

³⁷ Cfr. epistulam praecedentem nr. 30.

³⁸ Alexander s. d. Nevskoj, magnus princeps Vladimiriae (1252-1263), antea Susdaliensis. Nat. 1220, obiit 14.XI.1263. cfr. N. DE BAUMGARTEN, *Généalogies...* (saec. XIII-XVI), p. 10-11.

terit quod Tartarorum exercitus versus christianitatem dirigat gressus suos, id vobis intimare procurent, ut cum hoc per vos ad notitiam nostram pervernerit qualiter ipsis Tartaris viriliter cum Dei adiutorio resistamus possimus maturius cogitare, quia pericula possunt facilius evitari si contra ipsa per providentiae clipeum muniamur; mandamus quod cum id vobis innotuerit per vos, vel aliquem eorundem nobis studeatis quantotius intimare.

Datum ut supra. (*Lugduni XI Kal. Februarii, Anno quinto*).

Eidem.

Cum Danieli Regi Rusciae Illustri et ... fratri eius, ac No. viro Alessandro Duci Susdaliensi nostras litteras dirigamus, ut cum eis constiterit etc. ut supra

32.

Asisii, 14 . V . 1253

Universis Archiepiscopis, Episcopis et Christifidelibus Russiae Innocentius IV precipit, ut in defensionem christianitatis contra Tartaros una cum aliis parati sint resistere.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 22, fol. 308v-309, nr. 25.

O. RAYNALDUS, *Annal. Eccl.*, ad an. 1253, § 21 (omisso initio).

A. THEINER, *Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. I, p. 51, nr. 107.

KLEMPIN, *Pommersches UB*, I p. 440, nr. 569 (omisso initio).

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 79, nr. 88.

ERBEN, *Regesta Bohemiae*, I, p. 613, nr. 1327.

POTTHAST, *op. cit.*, II, nr. 14972.

E. BERGER, *op. cit.*, III, p. 271, nr. 6791.

Cfr. M. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 97-99, nr. 34.

Archiepiscopis et Episcopis et aliis universis Christi fidelibus per Russiam constitutis.³⁹

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

Cum ad aliorum simus custodiam, disponente Domino, licet immeriti deputati, sollicitudinis nostre interesse dinoscitur non tam manifesta, quam suspecta vereri pericula, cordaque fidelium, ne preoccupari ab eis subito valeant, non sine multa instantia propulsare, ut sic prudenter se preparant, et contra ipsa providentie clipeo viriliter se accingant, ut si aliquando, quod absit, ex insperato ingruerint, ab ipsis ferantur facilius minusque noceant utpote iam previsa. Porro plagam, quam repentinus Tartarorum adventus⁴⁰ in nonnullis Christianitatis partibus crudeliter intulit, dolentes referimus, eoque magis ipsius reminiscimur lascrimosi, quo etati, persone ac sexui minime deferens, multis christiculis per eosdem Tartaros letaliter est

³⁹ In Registris Vaticanis epistula haec non datur in extenso, sed solum cum adnotatione: « In eundem modum ». Natanda est differentia inter epistulas scriptas ad « Universos Christifideles » aliarum regionum et epistulam nostram, scriptam in primo loco « Ad Archiepiscopos et Episcopos ». Cfr. M. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 57 etc.

⁴⁰ Annis 1240-1241.

inficta. Verum licet ipsum recessus⁴¹ ab illatis molestiis vobis aliquod intervallum temporis indulserit respirandi, quounque tamen in eiusdem ianuis christianitatis habentur, tamquam ad vos aditus deinceps eis non pateat revertendi, non debetis ymaginariam vobis securitatem promittere, ex qua possit vobis grave ruine dispendium de facili provenire. Sane nuper a Carissimo in Christo filio nostro, Rege Ruscie Illustri, quem locis vicinitas suorum secretorum plerumque reddit participem, per litteras suas accepimus, referente, prefatos Tartaros fore paratos ad delendas reliquias,⁴² quas divina benignitas in plerisque locis propter fuge presidium ab ipsorum clementer manibus liberavit, et ipsius vicinia christianitatis vesano spiritu, nisi Deus eis restiterit, conculcanda, propter quod ne tam infelicis propositi preconceptum sortiatur effectum, ne feralis eorum impetus in multorum debachetur excidium obsistentium robore non repressus, interest vestra precipue, qui prioribus ipsum incuribus estis expositi, sic disponi, quod per vos eorum conatibus, ne cervicosa ipsum amplius invalescat superbia irretrunsa, acie viriliter resistatur. Aliter eidem reipublice ac vestro detimento non parum accederet, si vobis negligentibus et eis non obserantibus hostium, cum possitis, ipsos ad alios christianos pestiferum per vos contigerit habere progressum. Ceterum etsi in tam discriminoso belli congressu arma materialia utiliter requirantur, non sunt tamen postponenda, immo preferenda salutifere crucis insignia, ut vos athlete Christi eis laudabiliter insigniti, cui duci deserviatis, evidenter appareat, ac per eius virtutem, in qua Christus debellavit aereas potestates, ipsum Tartarorum adversitas mirifice vobis cedat. Non videtur itaque prestolandus bucine clangor, non invitantis suggestio creditur opportuna, ut in tanto necessitatis articulo ad prelum hoc vos excitet preliandum, cum in vobis existimemus illius vigore rationis iudicium, quod, nullo etiam vos ad id invitante, maturato presidio casibus curabitis occurrere tam votivis. Verumtamen ne salutem vestram videamur negligere, ac sanguis vester requiratur a nobis gerentibus speculatoris officium, si eum, nobis tacentibus, gladius effuderit impiorum, dilectum filium... Abbatem de Mezano,⁴³ virum morum hanestate conspicuum, preditum scientia literarum, ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad vos provide duximus destinandum, ut per se ac alios, quos ad hoc idoneos noverit, in sapientia spiritus sibi divinitus attributa, vobis contra ipsos Tartaros, ac etiam alios paganos christianorum sanguinem non minus eisdem Tartaris sitientes, predicans verbum crucis ipsius insigni caractere vos studeat premunire.

Tollat ergo fidelis quilibet crucem suam sequens in splendore armorum Domini vexillum glorie Summi Regis, ad huiusmodi saltem abolendam verecundie maculam, quae vobis ascribitur, quod nunc miserabiliter infidelibus

⁴¹ Ab an. 1242 ad 1252. Hoc tempore Batu eiusque successores ad flumen Volga residentiam suam posuerunt, unde totam Europam orientalem in sua potestate et obedientia tenebant, exercitusque suos contra principes rebelles excurrere faciebant.

⁴² Agitur de expeditione ducis tartarorum Kuremsa, in primo loco, ut Daniele in obedientia tartarorum retineret. Huic Daniel fortiter restitutus eiusque exercitus fugavit, sed postea postulationibus tartarorum cedere debuit, nullo auxilio ex Occidente obtento. Inter conditiones pacificationis cum tartaris erat, ut videtur, illa ut cum principibus et Curia Romana relationes omnes rumperet. Cfr. M. CUBATYJ, *op. cit.*, p. 59-60, etc.

⁴³ Abbas de Mezzano, Opizo, Ordin's Benedictinorum.

terga datis, quibus nomen vestrum esse terribile consuevit. Ut autem nichil omnino desit ad tam salubre negotium prosequendum, omnibus qui ab ipso commoniti contra predictos Tartaros reperient signum Crucis, illam suorum peccatorum veniam illudque privilegium elargiuntur, que accendentibus in terre sancte subsidium conceduntur.

Datum Asisii II Id. Maii, Anno X.

In e.m. Universis Christi fidelibus per Regnum Boemie, Moraviam, Sarbiam et Pomoraviam constitutis.

In e.m. Universis Christi fidelibus per Polonię constitutis.

Cum ad aliorum... etc. usque « ad vos commisso sibi plene legationis officio, provide duximus destinandum, ut inibi, auctore Domino, tanquam diligens cultor agri dominici evellat et destruat, dissipet, ed disperdat, edificet, et plantet, prout sibi Dominus ministrabit, ut per se ac alios, quos ad hoc idoneos noverit, in sapientia spiritus sancti divinitus attributa, vobis contra ipsos Tartaros, ac etiam alios paganos, christianorum sanguinem non minus eisdem Tartaris sitientes, predicans verbum crucis, ipsius insigni caractere vos studeat premunire. Monemus itaque universitatem vestram attentius et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta presentia mandantes, quatinus ipsum tamquam Legatum Sedis Apostolicae, immo personam nostram ei eo recipientes hylariter et honeste tractantes, ipsius salubribus monitis et mandatis pronis mentibus obedire curetis, que inter vos statuenda duxerit, tamquam filii benedictionis firmiter observantes. Alioquin sententias, quas rite tulerit in rebelles... etc. Ut autem nichil desit... etc. usque in finem.

Datum Asisii XII Kal. Junii, Anno X. (21 Maii).





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

ALEXANDER IV
(12,20.XII.1254 — 25.V.1261)

a n a g n i n u s
(Rinaldus Signinus)

D O C U M E N T A A L E X A N D R I P P. I V

33.

Laterani, 11 . II . 1257

Episcopo Lubucensi, ut iurisdictionem super Latinos in Russia degentes exercere possit.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 25, fol. 14, nr. 111.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 83, nr. 93.

A. THEINER, *Monumenta Hist. Poloniae*, I, p. 73, nr. 144.

POTTHAST, I, 16726.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 102, nr. 39.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Lubucensi salutem etc.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Lubucenses Episcopi, predecessores tui, qui fuere pro tempore in possessione spiritualis iurisdictionis super omnes Latinos existentes in Ruscia⁴⁴, et aliorum legem colementium eorumdem, fuerint a tempore, cuius memoria non existit, et tu etiam in possessione adhuc existas eadem, ac propter magnam diffusionem terre ac perfidiam dominorum ipsius⁴⁵, nec non malitiam habitantium in eadem, non possis comode predictam diocesim visitare, providere in hac parte tibi et ecclesie tue, ne ex hoc ius ipsius ecclesie deperire contingat, apostolica diligentia curaremus.

Nos igitur tuis supplicationibus inclinati tibi et eidem ecclesie, ut nullum hac occasione vobis in posterum super ipsa iurisdictione preiudicium generetur, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo... etc. nostre concessio- nis... etc.

Datum Laterani III Idus Februarii, Anno tertio.

34.

Laterani, 13 . II . 1257

Alexander IV Regem Danielem de Halyč hortatur, ut iuramentis fidelis permaneat, beneficia recordando et poenas minando.

⁴⁴ Cfr. supra, nota 19.

⁴⁵ Alluditur, ut videtur, ad rupturam Danielis cum S. Apostolica, de qua exprobratur in epistula, data idibus Februarii eiusdem mensis et anni (cfr. infra, nr. 34).

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 25, fol. 14, nr. 110.

APF, *Miscellanea*, vol. 16, fol. 107-108.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 84-85, nr. 95.

LOYE ET CERNIVAL P., *Les Registres d'Alexandre IV*, II, Paris 1917, p. 520-521, nr. 1690.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 45-6 nr. 85.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 102-103, nr. 40.

ALEXANDER EPISCOPUS etc.

Danieli Regi Russiae timorem divini nominis, et amorem, (ut persistat in fide catholica, ad quam dudum conversus est, et servet iuramentum praesitum Romanae Ecclesiae)⁴⁶.

Inter alia, quae nobis ex iniuncto apostolatus incumbunt officio, animarum nos convenit praecipue invigilare saluti, ut eas Regum Regi, qui nos illarum, licet immeritos, voluit preesse regimini, lucrificare, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia non est Deo acceptum obsequium, quod sine fide prestatur, nec pervenitur operum edificium ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit ad propagandam eam, et corroborandam in mentibus omnium, et specialiter regum, et principum, intentione tota, omnique sollicitudine, ac verbi, et operis efficacia laborare debemus, ut christiana religione latius diffusa per orbem, Patris eterni Filius, multiplicatis servitoribus, plenius honoretur.

Sane tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, que, postquam etiam renatus fuisti fonte baptismatis, oculos tue mentis involuerant, ad lumen catholice fidei, sine qua nemo salvatur, et ad obedientiam Ecclesie Romane non sine divina inspiratione redire, iuramento prestito promisisti Ecclesie praedictae tanquam fidelis eius filius obedire, ac fidem catholicam, sicut alii orthodoxi mundi principes, observare. Propter quod Ecclesia eadem volens te in sui devotione congruis firmare favoribus, et condignis gratiis conlovere, personam tuam ad regalis dignitatis apicem sublimavit, faciendo te inungi sacri crysma oleo, tuoque imponi capiti regum⁴⁷ diadema; sed tu, sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione pervenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius Ecclesie immemor, tanteque gratie prorsus ingratus, prestiti iuramenti religione contempta, id, quod circa obedientiam eiusdem Ecclesie, ac praedictae observationem fidei promisisse dognosceris, observare postmodum non curasti in anime tue periculum, ipsius iniuriam fidei, Ecclesie praedictae contemptum, et obbrobrium Jesu Christi.

Super quo tanto vehemetius contristamur, quanto ferventius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus eiusdem fidei per orbem longius, latiusque diffusus, continuum, auctore Domino, suscipiat incrementum. Volentes igitur apostolicis apud te super hoc insistere monitis, et ad veritatem, que Christus est, paratis te persuasionibus revocare, ac sperantes, quod te graviter contra Deum, et eius Ecclesiam deliquesce considerans, dignae poeniteas, et errorem tuum corrigere studeas per te ipsum, magnitudinem tuam monendam duximus attentius, et hortandam, quatenus ad tuam

⁴⁶ Verba quae inveniuntur in parenthesi extant in copia S. Congregationis de Propaganda Fide.

⁴⁷ TURGENEV, op. cit. habet etiam « regium », secundum lectionem Albertrandi, quam sequitur etiam M. CUBATYJ, op. cit., p. 103.

memoriam revocans, quanto studio, quantaque sollicitudine circa exaltationem tuam sedes apostolica laboravit, considerans etiam, quod non Ecclesiam, sed te ipsum decipis, tuum in hac parte promissum dampnabiliter non servando, perditionis viam, qua graderis, non differas abiurare, et id, quod de ipsis observatione fidei, et praedictie Ecclesie obedientia, iuramento praestito promisisti inviolabiliter observare procures; ita quod nos tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi letitia, dulcia ipsius Ecclesie ubera, quae copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione suxisti. porriganus.

Alioquin vener. fratribus nostris, Olomucen., et Vratislavien. Episcopis, litteris nostris iniungimus, ut te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant, invocato nihilominus contra te auxilio brachii saecularis. Non obstan. aliquibus litteris apostolicis, cuiuscumque tenoris existant, per quas effectus praesentium impediri valeat, vel differri, et constitutione de duabus dietis, edita in Concilio generali.

Datum Laterani, Idibus Februarii Anno 3º.

35.

Romae, 13 . II . 1257

Alexander IV Olomucensi et Vratislaviensi Episcopis potestatem dat procedere contra Regem Russiae Danielem, Sedi Apostolicae infidelem.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 25, fol. 14, nr. 110, 2.

POTHAST, I, nr. 16732.

LOYE ET CERNIVAL, *op. cit.*, II, p. 521, nr. 1691.

CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 104 (nota).

Oломоуценси et Вратиславиensi Episcopis⁴⁸

ALEXANDER EPISCOPUS etc.

Inter alia quae nobis ex iniuncto apostolatus incumbunt officio⁴⁹... etc. *ut in alia usque:* Sane Daniel Rex Ruscie olim cupiens de infidelitatis tenebris, quae postquam etiam renatus fuit fonte baptismatis... etc. vobis competentem *mutatis usque* peragamus.

Quocirca fraternitati vestrae per a.s.m.⁵⁰ quatenus si memoratus Rex praemissa neglexerit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato nichilominus contra eundem Regem auxilio brachii saecularis. Non obstantibus... etc. *usque:* differri et constitutione... *usque:* generali. Quod si non ambo...etc.


Datum ut supra.

(Datum Laterani Idibus Februarii, Anno tertio).

⁴⁸ Episcopus Olomucensis in Moravia Bruno, et Episcopus Vratislaviensis in Silesia Thomas. Cfr. CUBATYJ M., *op. cit.*, p. 104.

⁴⁹ Cfr. supra sub nr. 34: ad Regem Danielem.

⁵⁰ « per apostolica scripta mandamus ».





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

IOHANNES XXII
(7.VIII,5.IX.1316 — 4.XII. 1334)

c a d u r c e n s i s
(Jacobus Duèse)

DOCUMENTA IOHANNIS PP. XXII

36.

Avinionae, 3 . II . 1317

Joannes XXII Duces Ruthenorum exhortat ad Unionem cum S. Romana Ecclesia amplectendam.

ASV, Reg. Vat., vol. 63, fol. 357v.

ASV, Reg. Av., vol. 2, fol. 3v, 4v., et 92 de Curia.

PTASNIK J., *op. cit.*, p. 204, nr. 138, nr. 102.

TAUTU L., *Acta Joannis PP. XXII*, in « *Fontes* », vol. VII, 2 Typ. polyglottis Vaticanae 1952.

Ducibus Ruthenorum⁵¹

IOHANNES EPISCOPUS etc.

Regnas in caelis triumphans Ecclesia, cui pastor est Pater aeternus, sibi constituit in terris vicariam Ecclesiam militantem, Unigenito Filio Dei vivi Domino nostro Iesu Christo ineffabili commercio copulatam. In hac enim ipse Christus a Patre progrediens per illustrationem Paracliti, qui ab utroque procedit, statuit fidei firmamentum ut ab ea velut a primitivo fonte ad nationes singulares orthodoxas eiusdem fidei rivuli deriventur. Ad huius quidem Ecclesiae regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputari ministrum cuius institutionem et doctrinam eloquio traditam evangelicae veritatis cuncti renati fonte baptismatis teneant et observent. Qui enim sub hac doctrina cursus vitae peregerint salvationis gratiam merebuntur, qui vero ab ea deviaverint damnationis sententiae subiacebunt.

Cupientes igitur, ut vos salutis vitato dispendio electorum mereamini consortio feliciter aggregari, nobilitatem vestram rogamus, monemus, et hor tamur in Domino, et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus quae Romana tenet, praedicat, et servat Ecclesia, derelictis schismaticorum erroribus, in quorum observatione a via lucis deviatis in tenebris amplecti, una cum subiectis vobis populis devote conversionis actibus studeatis. Ita quod plene divini nominis percipientes fragrantiam et per hoc efficacius ad amorem eius affecti, ad regni caelesti valeatis gloriam pervenire. Nos autem, si

⁵¹ Anno 1317, post assumptionem Joannis XXII ad Summum Pontificatum, ex omnibus principibus Russiae antiquae, quibus epistula similis cum aliquo fundamento dari potuit, modo speciali eminent principes-fratres Andreas et Leo II de Galicia et Volhynia (1316-1323), filii regis Georgii I de Halyč (1301-1316), ex matre Eufemia de Polonia nati. His itaque principibus, ut videtur, epistula Joannis XXII destinata erat. Cfr. PELESZ, *op. cit.*, 1, p. 285-6; *Encyclopedie Ucrainae*, p. 428, Monachii 1949, etc. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 60-62.

datum fuerit nobis desuper, ut mentibus vestris caelestis luminis illustratis splendoribus, ad eiusdem Ecclesiae gremium redeatis personas vestras gerere proponimus in visceribus caritatis, et eas quantum cum Deo poterimus favoribus apostolicis prosequemur.

Datum Avinione, III Nonas Februarii, Anno I.

37.

Avinionae, 15 XII . 1320

Joannes XXII Ecclesiae Kioviensi Latinorum, ut videtur, de Episcopo provideret.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 71, fol. 196, nr. 405.
THEINER, *op. cit.*, vol. I, p. 162, nr. 252.

IOHANNES EPISCOPUS etc.

Dilecto filio Henrico, electo Kyowiensi⁵² salutem

Ad regimen Universalis Ecclesiae superna dispositione vocati de universalis orbis ecclesiis et statu earum regendo salubriter et feliciter dirigendo, quantum nobis ex alto conceditur sollicite cogitamus attentius providendo, ut eis cum vacant per nostrae diligentiae studium pastores praeficiantur ydoni, qui sciant et possint illis praeesse utiliter et prodesse.

Sane pro parte tua nostro fuit apostolatu reseratum quod ecclesia Kioviensis in confinibus Ruthenorum et Tartarorum, qui antiquitus Galathae vocabantur, elapsis centum annis et apmlius propter scisma quod instigante maligno spiritu in illis partibus invaluit, infeliciter caruit pastore proprio clero et populo christianis. Cum autem civitas et dioecesis Kyoviensis novissimis temporibus⁵³, divina inspirante gratia, redire ceperit ad cultum fidei orthodoxae, venerabilis filius noster Stephanus, episcopus Lubucensis, asserens sibi fore per spirituale privilegium apostolicae sedis indultum, ut possit ecclesiis dictarum partium, quae de scismate redeunt ad sanctae matris ecclesiae unitatem de pontificalibus providere, consideransque quod tu tunc lector fratrum Ordinis Praedicatorum in Podwalle, Caminensis dioecesis, in dictis civitate et dioecesi, ubi et habitantibus in eis salubriter proficere poteras verbo pariter et exemplo, clero etiam et populo earundem civitatis et dioecesis sibi patrem et pastorem animarum suarum implorantibus, ab Epis-

⁵² De dioecesi Kioviensi pauca tantum noscuntur. Jam Gregorius IX an. 1232-3 Latinos Kiovienses in suam assumpsit protectionem. Sed postea fontes nihil habent. Series Episcoporum Kioviensium latinorum incipit tandem a nostro Henrico, Ordinis Praedicatorum, qui vita functus est an. circiter 1350. Ei subsecuta est tota series Episcoporum ex Ordine Praedicatorum. Anno 1784 ultimus Episcopus Kioviensis in cathedram illam ascensus est, Gasparus Christophorus Cieczewski. Postea Eparchia haec unita erat Dioecesi Lutetioriensi Latinorum. Cfr. *Encyklopedja Powszechna*, vol. III, p. 622-625.

⁵³ Fortasse agitur de successibus bellicis Gedimini, magni principis Lithuaniae (1315-1341), qui hoc tempore possessiones suas verus Kioviam et ultra extendere cepit, quo evenit, ut etiam Ecclesia Latina Kioviensis restaurari potuit.

copo antedicto concedi, de te, pretextu dicti privilegii, eidem ecclesiae Kyoviensis providit.

Tu vero de privilegio ipso merito haesitans, cum fides tibi facta non fuit de eodem, tuaeque saluti consulere cupiens, ad sedem praedictam prsonaliter accessisti, et iuri, siquidem ex provisione huiusmodi competebat, ccessisti libenter in manibus dilecti filii nostri Jacobi sancti Georgii ad Velum aureum diaconi cardinalis, de mandato nostro viva vocis oraculo sibi facto, cessionem huiusmodi admittens.

Nos igitur de praeficiendo ipsi ecclesiae personam ydoneam cogitare postmodum cepimus diligenter et post deliberationem cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus demum, in te autem litterarum scientiam, vi- tae munditiam, morum honestatem aliaque virtutum merita per fidetdigna testionia suffragari percepimus, intuitum convertimus nostrae mentis ac de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris huiusmodi tuorum exigentia meritorum accepta, ecclesiae praefatae de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis illico duximus procedendum, teque ipsi ecclesiae praeficimus in episcopum et pastorem, curam et admniscrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in eo qui retributor est bonorum omnium confidentes, quod dicta ecclesia sub tui cura regiminis Deo propitio salutis et prosperitatis votiva suscipiet incrementa.

Jugum itaque divinum humeris tuis impositum reverenter suscipiens et supportans humiliter curam ed admniscrationem huius gerere studeas fideliter et soliciter gregem dominicum inibi tuae commissum fidei doctrina verbi et operis informando, ita quod exinde pie divinae retributionis premium maximum et dictae sedis benedictionem uberem tibi vindices et ampliorem gratiam merearis.

Datum Avinioni XVIII Kal. Januarii, Anno quinto.

38.

Avinionae, 18 . II . 1321

Idem Electus Kiovensis in Episcopum consecratus iterum in sede Kiovensi confirmatur.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 72, fol. 192, n. 406 (pergam.).
THEINER, *op. cit.*, vol. I, p. 167, nr. 255.

Venerabili Fratri Episcopo Kyoviensi.

IOHANNES EPISCOPUS etc.

Nuper cum pro parte tua nostro fuisse apostolatui intimatum quod ci- vitas et dioecesis Kyoviensis consistentes in confinibus Ruthenorum et Tar- tarorum, qui antiquitus Galathae vocabantur, novissimis temporibus divina inspirante gratia de scismate redire ceperant ad cultum fidei orthodoxae,

quodque venerabilis frater noster Stephanus, Episcopus Lubucensis⁵⁴, asserens sibi fore per spirituale privilegium apostolicae sedis indultum, ut posset ecclesiis dictarum partium de scismate redeuntibus ad Sanctae Matris Ecclesiae unitatem, de pontificalibus providere; ac considerans, quod tu tunc lector fueris Ordinis Praedicatorum in Podwalle, Caminensis dioecesis, et in praedictis civitate et dioecesi Kyowiensi et habitantibus in eisdem poteris proficere salubriter verbo pariter et exemplo, Clero etiam et populo earundem civitatis et dioecesis suppliciter implorantibus sibi patrem et pastorem animarum suarum concedi ab Episcopo supradicto de persona tua Kyowiensi ecclesiae, quae centum elapsis annis et amplius propter scisma, quod instigante maligni spiritu in illis partibus viguerit caruerat infeliciter pastore proprio, ac clero et populo christianis pretextu privilegii providerat antedicti; tuque de privilegio ipso merito hesitans, cum tibi fides de illo facta minime extitisset, tuque saluti consulere cupiens, ad sedem apostolicam propterea postmodum accessisses ac iuri, si quod tibi ex provisione huius competebat, libenter ac sponte cessisses in manibus dilecti filii nostri Jacobi Sancti Georgii ad Vulum aurerum diaconi cardinalis de mandato nostro vivae vocis oraculo sibi facto cessionem huius admittentis.

Nos attentes quod propter litterarum scientiam, vitae munditiam, morum honestatem, et alia virtutum merita, quae tibi per fidedigna testimonia suffragari perceperimus, in dicta Kioviensi ecclesia tibi per vitae meritum dioecesisque clero et populo, suffragante divina gratia, proficere poteris per exemplum, te post deliberationem quam cum fratribus nostris habuimus diligentem, de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis eidem Kyoviensi ecclesiae praefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo.

Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium episcopum Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi fraternitati tuae per ap. scripturas nostras quantum ad praescripta ecclesiastica tuae gubernationi commissam cum nostrae gratia benedictionis accedens, sic eam prudenter et fideliter et sollicite regere studeas, quod ipsa ecclesia sub tuo vigili ministerio spiritualiter et temporaliter, annuente Domino, continuis proficiat incrementis, tuque proinde divinam et apostolicae sedis gratiam uberioris consequi merearis.

Datum Avignon. XII Kal. Martii, Anno quinto.

39.

Avinionae, I . III . 1327

Archiepiscopo Gnesnensi, ne Stephanum, Episcopum Lubucensem, per vicinos Episcopos molestari permittat.

ASV, Reg. Vat., vol. 83, fol. 72, nr. 1177.

A. THEINER, *Monumenta Hist. Poloniae*, I, p. 295, nr. 376.

⁵⁴ Dioecesis Lubucensis, primum fundata in confinibus Silesiae, dein translata est Sandomiriam versus (Opatow), unde iurisdictionem exercabant in terris Russiae (Ucrainae potius). Stephanus noster adhuc ius suum defendebat in hoc territorio.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Gneznensi⁵⁵ salutem etc. ,

Sua nobis Venerabilis frater noster Stephanus episcopus Lubucensis petitione monstravit, quod sedes episcopi Lubucensis in partibus minoris Galathe, que Ruscia nuncupatur, in loco videlicet dicto Flandemiria⁵⁶ (sic), ab antiquo extitit situata, et adhuc ibidem patent plura episcoporum sepulchra, ac episcopus Lubucensis, qui fuit pro tempore, a clericis et laicis catholicis partium predictarum proprius eorum episcopus recognitus extitit, et adhuc recognoscitur episcopus prelibatus, idemque Stephanus, dum noviter ad sedem apostolicam mandato nostro se personaliter contulit, in eisdem partibus existebat, et diutius antea extiterat, inivi speciale exercens officium, ecclesias edificando, altaria consecrando, Clericos ordinando, pueros baptizando et confirmando, sacerdotes perpetuos in ecclesiis instituendo, et fructum animarum multiplicem faciendo. Cum autem eumdem episcopum, qui fuit pro tempore, se propter multimodam scismaticorum rabiem ab eadem Flademiria et locis circumviciniis sepius oportuerit exulare, et ob hoc aliqui vicini episcopi et ultra fines dioecesium eorumdem in clericis et laicis catholicis incolis earumdem partium circa finem dicte Ruscie, prefato Lubucensi episcopo ab antiquo subiectos, spiritualem iurisdictionem sibi fecerint usurpare, et usurpent, ac huiusmodi pretextu prefatum Lubucensem episcopum contra iusticiam impediverint et impedian, quominus in eosdem sibi subiectos spiritualem iurisdictionem valeat exercere, dictus Stephanus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Quia vero nobis non constitit de premissis, fraternitati tue per apostolica scripta committimus, quatinus vocandis, qui fuerint evocandi, de finibus parcium et dioecesium predictarum de plano sine strepitu et figura iudicii te informans, si tibi constiterit ita esse, eidem Lubucensi episcopo efficacis presidio defensionis assistens, non permittas ipsum in predictis a talibus impediri, nec etiam molestari, impedidores et molestatores huiusmodi, neconu contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellazione postposita, compescendo, non obstantibus de duabus in concilio generali et felicis recordationis Bonifacii pp. VIII, predecessoris nostri de una dietis, et de aliquo extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis casibus in eis expressis, ad iudicium non vocando, et quibuslibet aliis constitutionibus in contrarium editis, dummodo aliquis extra suam civitatem et dioecesim ultra duas dietas auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspensi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Avinione, Kal. Martii, Anno undecimo.

⁵⁵ Archiepiscopus Gnesnensis tunc temporis erat fortasse Boryslav, qui anno 1327 obiit, vel iam eius successor, Joannes III vel Janislav qui vita functus est anno 1341. *Encyklopedia Powszechna*, vol. 2, p. 124.

⁵⁶ Agitur fortasse de Volodimiria in Volhynia, « in partibus minoris Galathe, que Ruscia nuncupatur ». Sed non potest etiam excludi agi de Sandomiria, ad medium Vistulam.

40.

Avinionae, 16 . VI . 1327

Wladislao Regi Poloniae, ut ducem Russiae a schismate ad Ecclesiae unitatem reducere curet.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 114, fol. 53, nr. 918.

A. THEINER, *Vet. Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, p. 299, nr. 383.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 111, nr. 112.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Wladislao⁵⁷ Regi Poloniae Illustri salutem etc.

Fame gloria crescis et merito, fili Carissime, multipliter profuturus tibi et aliis apud Deum, si ad incrementum fidei catholicae niteris, ad quod tanquam princeps catholicus piis considerationibus innitaris.

Cum itaque, sicut exaltatione pergrandi nuper audivimus, nobilis vir Boleslaus dux Russie, pronepos tuus⁵⁸, qui ex ritus imitatione graecorum ab universalis sancte Romane matris ecclesie unione dividitur, spiritum, Domino aspirante, conceperit ad unitatem ipsius ecclesie redeundi, nec bene conveniat, ut ex tue, quod absit, degeneratione prosapie arbor discrepet a radice: rogamus excellentiam Regiam, quantum affectuose possumus, et hortamur, te nichilominus in remissionem peccaminum obsecrantem, quatinus prefatum ducem, cui super hoc per alias nostras litteras scribimus, quod, relictu huiusmodi ritu erroneo, redeat seu veniat in sue salutis premium ad ipsius ecclesie unitatem, partenis et salubribus inducere monitis non ommittas.

Datum Avinione XVI Kal. Iulii, Anno undecimo.

41.

Avinionae, 16 . VI . 1327

Boleslao, duci Russiae, ut ad fidem catholicam se convertat.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 114, fol 52, nr. 919.

A. THEINER, *Vet. Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, p. 299 n. 384.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 111-112, nr. 113.

HOANNES EPISCOPUS etc. Boleslao Duci Rusie⁵⁹, spiritum consilii sanioris.

⁵⁷ Vladislau s. d. Lokietek (1319-1333), rex Poloniae.

⁵⁸ Boleslaus Trojdenovyc (1323-1340). Filius principis Trojden de Mazovia et Mariae filiae Georgii I, Regis Galiciae. Post mortem nempe Andreac et Leonis II (1323), qui nullum haeredem relinquerunt, filius illorum sororis Mariae ad thronum Galiciae praetendebat. Ei hoc in negotio Vladislau Lokietek obstabat. Tandem Boleslaus armis ius suum defendere debebat. Uxorem habuit filiam Gedimini de Lithuania, cum quo etiam in rebus politicis unum sentiebat. Sub finem vitae ob aliquas dissidias cum Nobilibus veneno e vivis sublatu est an. 1340. Cum eius morte linea principum Ucrainae extincta est. Regnum Boleslai Polonię et Lithuania inter subdivisum est. Cfr. *Encyclop. Ucrainae*, p. 428.

⁵⁹ Cfr. notam praecedentem, nr. 40. De hoc principe cfr. librum lingua russica conscriptum: *Boleslav-Jurij II, knjazj vsej maloj Rusi. Collectio documentorum et elucubrationum*, Peterburgii 1907.

Ineffabili exultatione cordis audito, quod sic iam spiritum tuum spiritus sanctus lumine sue revelationis accendit, quod a grecorum ritu scismatico, qui ab universali sancta Romana matre ecclesia dampnabiliter, proh dolor, te divisit, ab hactenus ad ipsius ecclesie venire desideras unitatem, rogamus nobilitatem tuam, hortamur et in virtute Altissimi obsecramus attente, quatinus ut erroris pristini tenebras effusi noviter luminis illustratione cognoscas, et in veritatis lucem salubriter dirigas, duce Domino, pedes tuos, accensum taliter spiritum penitudine animi vel sinistra occasione aliqua non extingas.

Datum Avinione XVI Kal. Iulii, Pontificatus Nostri Anno undecimo.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

BENEDICTUS XII
(20.XII.1334,8.I.1335 — 25. IV.1342)

gallus
(Jacobus Fournier)

DOCUMENTA BENEDICTI PP. XII

42.

Avinionae, 29 . IV . 1341

Episcopo Cracoviensi conceditur facultas relaxandi iuramentum Casimiro, Polonorum Regi, ut possit procedere contra occisores Boleslai, Principis Galiciae et Voliniae.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 129, fol. 171, nr. 154 (communia).

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. I, p. 434, nr. 566.
VIDAL, *Benoit XII*, II, p. 370, nr. 897I.

Episcopo Cracoviensi.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Cracoviensi, salutem etc.

Eximie devotionis affectus, quem carissimum in Christo filius Kazimirus⁶⁰, Rex Poloniae Illustris, ad nos et Apostolicam Sedem habere dinoscitur, promeretur, ut ad ea praesertim nos sibi reperiatur favorabiles et benignos, que anime sue salutem concernere dinoscitur. Ex oblate siquidem nobis petitionis eiusdem Regis serie nuper accepimus, quod cum dudum gens scismatica Ruthenorum quondam Boleslaum, Ducem Russie⁶¹, ipsius Regis consanguineum germanum, de fidelibus procreatum parentibus⁶², veneno impie, ac nonnullos alias Christi fideles eidem Duci, dum viveret, obsequentes immanneriter occidissent⁶³, idem Rex huiusmodi scelus abhorrens, et zelo ulciscende iniurie fidei christiane accensus, cum exercitu suo terram Russie dictam gentem expugnaturus intravit, ipsum eidem genti multis dampnis illatis... Capitanus⁶⁴ ipsius gentis ad Usbek⁶⁵, Tartarorum Imperatorem, cui gens ipsa tributaria dinoscitur, accedens, contra dictum Regem multitudinem Tartarorum adduxit, et nichilominus ab eodem Imperatore obtinuit, quod ad invadendum et detrudendum Regnum Poloniae magnum nimis dictorum Tartarorum exercitum destinaret, et tandem dictus Rex diligenter attendens, quod ad huiusmodi prosequendum negocium catholicorum principum vicinorum

⁶⁰ Casimirus (Magnus vel Restaurator): 1333-1370.

⁶¹ Cfr. notas 58 et 59.

⁶² Pater: Trojdenus I de Masovia, mater: Maria filia Georgii I de Halyč.

⁶³ Anno, ut videtur, 1340. Cfr. *Boleslav-Jurij II...* passim et in documentis alligatis.

⁶⁴ Agitur de Nobili Demetrio Dedko, palatino Peremysliensi, qui a tartaris adiutus in Galicia novum instauravit regimen: oligarchiam nempe Nobilium, quam tum Polonia tum Hungaria recognoscere debuit, propter magnum protectorem, Chan tartarorum, Uzbek. cfr. *Encyclop. Ucrainae*, p. 428-29.

⁶⁵ Uzbek-khan (1313-1341).

necessariam assistentiam, licet ipsam postulaverit, non habebat, premissis omnibus et aliis, que ex ipsis sequi poterant, attente pensatis, quodque Capitaneus et gens predicta se dicti Regis mandatis et beneplacitis coaptabant, iidem Rex et Capitaneus atque gens certa convenciones et pacta cum certis serviciis et subiectionibus eidem Regi exhibendis, concorditer invicem inierunt. Inter que quidem convenciones et pacta prefatus Rex prestito iuramento promisit, quod Capitaneum et gentem predictos in omnibus tueri debebat, ipsosque in eorum ritibus, iuribus et consuetudinibus conservare; verum quia dictus Rex, sicut asserit⁶⁶, dubitabat, se in his prevaricasse Domini voluntatem, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super his de salutari rime dio misericorditer dignaremur.

Nos igitur saluti anime dicti Regis, quantum cum Deo possumus, in hac parte salubriter providere volentes, Fraternitati tuae, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per Apostolica scripta comittimus et manda mus, quatenus huiusmodi iuramentum quantum ad huiusmodi pacta et convenciones illicita⁶⁷ per Regem prestitum supradictum auctoritate nostra relaxes, iniungens ipso Regi pro dicto iuramento temerario poenitentiam salutarem.

Datum Avinione, III Kalendas Iulii, Anno septimo.



⁶⁶ Casimirus tendentias suas politicas hic operit casu conscientiae, ut tandem manum liberam ad regionem illam plene subiugandam obtineret.

⁶⁷ Benedictus XII, ut regem tranquillum redderet, ei huiusmodi iuramentum relaxavit, sed solummodo « quantum ad huiusmodi pacta et convenciones illicita » (ib.), non vero quantum ad pacta mere politica.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CLEMENS VI
(7.19.V.1342 — 6.XII.1352)

gallus
(Petrus Roger)

DOCUMENTA CLEMENTIS P.P. VI

43.

Avinionae, 14 . III . 1351

Praelatis Poloniae decimae omnium ecclesiasticorum proventuum ad onera Ecclesiae Romanae sublevanda, ac regi Poloniae ad convertendos Ruthenos persolvendae, per quadriennium imponuntur.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 201, fol. 118, nr. 1632.

A. THEINER, *Monum. Poloniae, et Lithuaniae*, I, p. 531-533, nr. 702.

PTASNIK J., *Acta Camerae Apostolicae*, vol. 2, p. 52-54, nr. 80.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Gnez-nensi et universis Episcopis ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, et aliis ecclesiarum Prelatis et Rectoribus, Capitulis quoque, Collegiis et Conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum Ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis se-cularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per regnum Poloniae constitutis salutem etc.

Attendentes innumera grandia et onerosa negotia, quo mundi cursus un-dique quasi alvearibus decursibus in Romanam derivat ecclesiam, et quo hoc presertim tempore multa onera confluentia et imminentes sibi necessitates exposcunt ut eadem ecclesia circa plurima et diversa pie matris sedulitatem exhibeat, et officium ingentibus provisionis impendat, ad que levius soppor-tanda expedit subiectas ecclesias in auxilium matris exuberare suffragia et in sopportationem imminentium onerum fatigari, disponebamus pro predictis necessitatibus et oneribus levius perferendis decimam omnium reddituum, et proventum ecclesiasticorum in Regno Poloniae consistentium imponere per certi temporis spacium in relevationem onerum huiusmodi exigendam.

Verum quia sicut postmodum pro parte Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri, Regis Poloniae Illustris, per certos ipsius nuncios propositum exti-tit coram nobis, idem Rex, divino mediante auxilio, non sine gravibus sump-tibus et expensis infidelium Ruthenorum terras sive Ducatus, in quibus pos-sunt constitui et creari septem diffusi Episcopatus cum suo Metropolitano, sue potestati et dominio iam subiecit⁶⁸, et quod unus ex pocioribus Ducibus

⁶⁸ Post mortem, ut videtur, Demetrii Dedko, Palatini Peremysliensis an. 1349. Anno 1350 Casimirus iterum Galiciam ingressus est, cui econtra venit princeps lithuanus Lubartus Demetrius, qui Georgio II Boleslao affinis erat, et post eius mortem Volhyniam sibi subiecit.

dictarum terrarum cum sua gente et commitiva ad catholicam fidem, eodem Rege ad hoc ipsum inducente, conversus ceperit baptismatis sacramentum, et quod Tartari, christiani nominis inimici, qui Ruthenis dominabantur eisdem, occasione huiusmodi provocati, facta confederatione cum Lithuaniae⁶⁹ eiusdem fidei inimicis, qui eisdem Ruthenis confinat, post captionem ipsarum terrarum continue hostiliter dictas terras invadunt, propter quod, eisdem infidelibus prohibendo dictarum terrarum ingressum prefatum Regem oportet stipendiarios de necessitate tenere, prout tenet, et fortalicia fortificare et etiam communire, et quod nisi stipendiarii ibidem pro custodia et defensione dictatum terrarum continue teneantur, ac fortalicia fortificantur et muniantur, pro certo nedum dicte, se etiam tota Polonia per potentiam et insultum Tartarorum et Litwanorum predictorum vastari poterunt et etiam desolari, pro parte ipsius Regis nobis extitit humiliter supplicatum, ut sibi pro aliqui supportatione dictorum onerum, ac gubernatione et ampliatione ipsius Regni, quod ecclesie Romanae subiectum censuale fore dinoscitur (et) ad presens cum eisdem Infidelibus guerram habet, de aliquo decimali subsidio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur cupientes, ut tam ecclesie quam Regis predictorum necessitatibus huiusmodi aliquatenus consulatur, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligent, decimalam omnium Sanctorum proximo futuro in antea computandum, ab omnibus Archiepiscopis et Episcopis, ac Prelatis aliis, et personis ecclesiasticis quibuscumque, secularibus et regularibus, exemptis e non exemptis Regni eiusdem, cuiuscumque sint dignitatis, conditionis aut status, religionis vel ordinis, quibus et eorum alicui quo ad hoc nulla privilegia vel indulgentias volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, monasteria, prioratus, dignitates, personatus et officia, canonicatus et prebendas, ecclesias aut alia quecunque, qualiacumque et quotcumque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura in Regno eodem obtainentibus, vel obtenturis imposterum, qui in apostolice sollicitudinis partem assumpti, nobiscum emergentium undique negotiorum universalis ecclesie nostris humeris incumbentia onera sorciuntur, quique profundi et perutilis assiduitate consilii vigilantes assidue pro rebus publicis et privatis statui salutique fidelium student sedulitate continua providere, neconon a dilectis filiis... Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, propter hoc ad prestationem dicte decime exemptos esse volumus et immunes, exigendam iuxta morem, modum et consuetudinem in exactione huiusmodi hactenus observata, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica tenore presentium imponimus, volentes et etiam ordinantes, quod dicta decima inter nos pro nostris et eiusdem ecclesie Regemque predictum pro suis relevandis necessitatibus annis singulis dicti quadriennii equaliter, sicut inferius exprimitur, dividatur, quodque huiusmodi decima per te frater... Archiepiscope, et dilectos filios... Decanum et Arnaldum de Lacauyna, Scolasticum ecclesie Cracoviensis, in dicto Regno nostrum et dicte sedis nuncium, quibus collectionem huiusmodi decime per alias nostras litteras provi-

⁶⁹ Demetrius Lubartus, filius Gedimini, qui filiam Volodimiri III, principis Volhyniae († 1315), uxorem habuit (Euphemia-Ofka). Cfr. N. DE BAUMGARTEN, *Généalogies...*, p. 47-47.

dimus committendam, seu per subcollectores super his deputandos a te, Archiepiscope, Decano et Arnaldo predictis clericos dumtaxat, in duobus terminis annuis eiusdem quadriennii, videlicet pro medietate huiusmodi decime cuiuslibet anni in omnium Sanctorum, et pro alia medietate in Ascensionis Domini, ex tunc proximo subsequenti, festivitatibus, (quas) vobis omnibus et singulis ad predictam solvendam decimam presentium tenore prefigimus et etiam assignamus, colligatur et etiam exigatur per Archiepiscopum et eosdem Decanum et Arnaldum Scolasticum, de ipsorum redditibus et proventibus ecclesiasticis quos in dicto Regno obtinent, iuxta morem observatum hactenus persolvatur, et cum in singulis eisdem terminis decima ipsa collecta fuerit, et per te, Archiepiscope, et dictos Decanum et Arnaldum de vestris redditibus et proventibus, ut premittitur, persoluta, medietatem ipsius decime pro nobis et eadem ecclesia in nostrorum et ipsius relevatione onerum convertendam, illi vel illis, quem vel quos ad eam recipiendam a te, Archiepiscope, Decano et Arnaldo predictis deputaverimus, et medietatem alteram prefato Regi vel alteri de ipsius certo mandato, sublato quolibet difficultatis obstaculo, assignatis.

Nos enim omnes et singulos, cuiuscunque preminentie, dignitatis aut status existant, qui aliquid de pecunia dictae decime aliter receperint, excommunicationis sententiam incurgere volumus ipso facto.

Quocirca Universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in Domino, vobisque nichilominus per apostolica scripta mandamus, quatenus tam ecclesie memorate quam Regis prefati necessitates huiusmodi devota consideratione pensantes, ac eisdem ecclesie atque Regi pio super hoc complices affectu, prefatam decimam de vestris et proventibus supradictis in eisdem duobus terminis per singulos annos eiusdem quadriennii, prout superiorius est expressum, sine difficultate qualibet pro nostra et apostolice sedis reverentia persolvatis.

Dat. Avinione II Idus Marcii, Pontificatus Nostri Anno nono.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

INNOCENTIUS VI
(18.30.XII.1352 — 12.IX.1362)

gallus
(Stephanus A u b e r t)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. VI

44.

Avinionae, 18 . I . 1353

Nicolaus Ruthenus ecclesiae Premisliensi in Episcopum, a Clemente VI preefector, confirmatur, et de more commendatur.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 244, fol. 173.

A. THEINER, *Monum. Poloniae, et Lithuaniae*, I, p. 543, n. 720.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Rutheno, Electo Premisliensi⁷⁰, salutem etc.

Etsi cunctis, que de sedis apostolice providentia processerunt, congruus debeatur effectus, illis tamen, que circa provisiones ecclesiarum, maxime cathedralium et presertim ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentium, pastore parentium per sedem ipsam provide facta sunt, tanto celerioris executionis efficacis plus debetur, quanto ex earum retardatione maiora ipsi ecclesiis imminent detimenta.

Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI, Predecessor noster, cupiens ecclesie Premisliensi ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, cuius tunc regimini bone memorie Yvanus, Premisliensis Episcopus, presidebat, cum eam vacare contigeret, operationis sue ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesiae ordinationi et dispositioni sue duxit ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attemptari.

Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Yvani Episcopi, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, idem predecessor vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter ipsum ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne

⁷⁰ Dioecesis Peremysliensis ritus latini Episcopos suos canonicos habet tantummodo ab anno circiter 1380. Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 3, p. 679-682. Inde nominationes hae quasi ad praehistoriam huius dioecesis pertinent. Immo ipsa nomina, quae prounicationem ucrainicam habent (Nicolaus Ruthenus, Yvanus), ad dioecesim ruthenam cogitare sinunt. Fortasse postquam Galicia a Casimiro occupata erat, ipse de persona alicuius catholici providere intendebat, ubi antea fortasse Episcopus disunitus residebat. Considerationis digna est expressio: «...ecclesiae Premisliensi ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti...». Sed quoquomodo res se haberet, documentum hoc in nostra collectione collocare nobis opportunum visum est, quia ipsa sedes dioecesis in territorio invenitur Ucrainae occidentalis, et inde ad beneficium populi ibi habitantis instituta fuit.

dicta ecclesia prolixe vacationis exponeretur incommodis, solerter intendens, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus suis sancte Romane ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tunc habuit diligentem, demum ad te, Priorum fratrum Ordinis Predicatorum Sandomiriensium. Cracoviensi dioecesis, in sacerdotio constitutum, de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud eundem Predecessorem fide dignorum testimonio commendatum, direxit oculos sue mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Premisiensi ecclesie de predictorum fratrum suorum consilio, videlicet II. Idus Maii Pontificatus sui Anno decimo auctoritate apostolica providit, teque illi prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Premisiensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo.

Cum autem predecessor ipse, literis apostolicis super his non confectis, fuerit, sicut Domino placuit, morte preventus, nos, eodem disponente Domino, ad apicem summi apostolatus assumpti, volentes, quod dicta provisio suum sorciatur effectum, ac in illo, qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, et grata suscipiet incrementa, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iugum domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia Premisiensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retributionis premium et benevolentie nostre gratiam uberius consequi merearis.

Datum Avinione XV Februarii, Anno primo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Premisiensis ad ecclesiam Romanam nullo medio pertinentis, Clero et populo civitatis et diocesis Premisiensis et Vassalis ecclesie Premisiensis etc.

In e. m. Carissimo in Christo filio Kazimiro, Regi Polonie Illustri, idem Nicolaus commendatur.

45.

Avinionae, 16 . XI . 1353

Nicolao de Crosna ex Ord. Minor. Vicario Russiae; ut fratres sui Ordinis, sine alia licentia, ad partes Russiae ducere possit.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 244A, fol.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 551, nr. 726.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao de Crosna, vicario Ruscie, Ordinis fratrum minorum, salutem etc.

Exibita nobis pro parte tua et dilectorum filiorum Ordinis fratrum minorum commorantium in partibus Scismaticorum Ruscie petitio continebat, quod numerus fratrum eiusdem Ordinis, qui ad conversionem Scismaticorum, et conservationem et instructionem fidelium in dictis partibus morabantur, tam per nonnullorum ex eis obitum, quam recessum, est multipler diminutus in grande dispendium catholice fidei et turbationem ac periculum animalium fidelium predictorum.

Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc de apostolice provisionis remedio dignaremur. Nos igitur, qui fidem ipsam ubique propagari cupimus, et prout possumus procuramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue triginta fratres Ordinis supradicti, vita et moribus commendabiles, de quibusunque nationibus, de quibus tibi videbitur, quique sponte ad easdem partes voluerint proficiisci absque licentia obtenta vel petita suorum prelatorum, semel tantum recipiendi, eosque ad dictas partes Ruscie moraturos in eis ad Dei et fidei servitium conducendi, non obstantibus regula et constitutionibus eiusdem Ordinis et aliis contrariis quibusunque, plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Datum Avinione XVI Kal. Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

46.

Avinione, 23 . XI . 1353

Duci Mazoviae, ne a suis subditis infideles Lithuanos et Ruthenos contra Magistrum et fratres Teutonicos faveri permittat.

ASV, Reg. Vat., vol. 244A, fol. , nr. .

A. THEINER, Monum. Poloniae et Lithuaniae, I, pag. 551-52, n. 727.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro... Duci Mazovie salutem etc.

Gravis querela pro parte dilectorum filiorum... Magistri et fratrum hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani nobis nuper exposita continebat, quod licet ipsi, ut est notorium, contra infideles Litwanos et nonnullos Ruthenos scismaticos, subiectos eisdem, impugnantes ipsos fratres et alios christianos, bellum continuum prosequantur, tamen nonnulli subditi tui inter terras eorundem Magistri et fratrum, ac Litwanorum et Ruthenorum consistentes, apparatus et progressus eorundem Magistri et fratrum ex vicinitate locorum sepius sentientes, illos eisdem Litwanis notificant, et ut se defendant ac gentes dictorum fratrum offendant et preprendiant, reddunt premonitos et etiam premunitos; et e contra, cum iidem Litwani contra ipsos fratres et terras eorum procedunt hostiliter, eos amicabiliter recipiunt et pertractant, ipsis victualia et ducatum in locis inviis et solitudinibus exhibendo, in magnum detrimentum eorundem Magistri et fratrum ac fidei christiane; super quibus fuit nostre provisionis remedium postulatum. Quare nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, nichilominus tibi per apo-

stolica scripta mandantes, quatinus dictos subditos tuos, ut desistant a predictis et aliis favoribus eisdem infidelibus impendendis, studeas pro reverentia Dei sueque fidei et honore tuo sic fideliter et realiter coercere, quod non oporteat per apostolicam sedem super hoc aliter provideri.

Datum Avinione VIII Kal. Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

47.

Avinionae, 23 . XI . 1353

Elisabeth reginae Hungariae super eodem argumento.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 244A, fol. , nr. .
A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 552, n. 728.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissime in Christo filie Elizabet Seniori⁷¹, Regine Ungarie Illustri, salutem etc.

Gravis querela pro parte dilectorum filiorum... Magistri et fratrum hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani nobis nuper exposita continebat, quod licet ipsi, ut est notorium, contra infideles Litwanos et nonnullos Ruthenos scismaticos subiectos eisdem, impugnantes ipsos fratres Ducis Mazovie et subiecti tui inter terras eorundem etc. *ut supra usque:* postulatum. Unde nos dictum Ducem per litteras nostras rogamus et hortamur attente, nichilominus sibi per apostolica scripta mandantes, quod dictos subditos suos, ut desistant a predictis et aliis favoribus eisdem infidelibus impendendis, studeat pro reverentia Dei sueque fidei, et honore ipsius sic fideliter et realiter coercere, quod non oporteat per apostolicam sedem super hoc aliter provideri. Quare devotam serenitatem tuam, cui non dubitamus talia displicere, affectuose rogamus, quatinus tam circa Ducem, quam subditos suos prefatos super his pro dicta reverentia apponas remedium oportunum.

Datum ut supra.

48.

Villanova, Avignonensis dioec., 12 . VIII . 1354

Nicolao Rutheno, electo Premisiensi indulgetur, ut a quocunque Antistite catholico consecrari possit.

ASV, *Reg. Aven.*, vol. 127, fol. 502.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 555-556, n. 736.

⁷¹ Elisabeth Senior, filia Vladislai Lokietek, regis Poloniae, soror regis Casimiri (1333-1370), regina Hungariae. Nata an. 1306, uxor Caroli Roberti Anjou, regis Hungariae (an. 1320). Post mortem Caroli (1342) educationi filiorum se dedit, ex quibus Ludovicus erat rex Hungariae. Obiit an. 1380 Budae. In historia regnum Poloniae et Hungariae maximum habuit influxum. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 8, p. 237-241.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Rutheno⁷², Electo Premisliensi, salutem etc.

Dudum felicis recordacionis Clemens papa VI, Predecessor noster, Premiliensi ecclesie, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, tunc pastoris regimine destitute, de persona tua, sibi et fratribus suis eiusdem Romane ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tuorum exigencia meritorum accepta, de fratrum ipsorum consilio auctoritate apostolica providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem postmodum dictus predecessor, nondum tibi munere consecrationis impenso, viam fuerit universae carnis ingressus, nos divina favente gracia ad apicem summi apostolatus assumpti, ad ea, que ad tue comoditatis augmentum cedere valeant, favoribiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite, graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis, similem graciam et communionem habentibus, munus consecrationis apud dictam sedem vel extra recipere valeas, ac eidem antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod idem antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret.

Datum apud Villamnovam, Avignonensis diocesis, II Idus Augusti, Pontificatus Nostri Anno secundo.

49.

Villanova, Avignonensis dioc., 23 . VIII . 1354

Eidem licentia a curia Romana ad suam ecclesiam datur recedendi.

ASV, *Reg. Aven.*, vol. 128, fol. 555.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 556, n. 737.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc., Venerabili fratri Nicolao, Episcopo Premisliensi salutem etc.

Pridem ecclesia Premisliensis solatio destituta pastoris etc. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Carminnensem tibi apud sedem apostolicam fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam Premisliensem cum

⁷² Cfr. supra nota 70.

nostre benedictionis gracia te personaliter conferens, sic te in administracione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retribucionis eterne premium nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris.

Datum apud Villamnovam, Avignonensis diocesis, X Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

50.

Avinionae, 2 . V . 1358

Petrus ecclesiae Volodimiriensi in Episcopum praeficitur et commendatur.

ASV, Reg. Aven., vol. 138, fol. 318.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 586-587, n. 786.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Petro, Episcopo Ladimiensi⁷³, salutem etc.

Inter cetera, que suprema disposizione nobis imminent peragenda, ad id nimirum solicii reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriad et solicitudinem circumspectam indemnitati earum provideatur salubriter, et ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis.

Dudum siquidem ecclesia Ladimiriensis tanto et tam longevo tempore pastoris solacio destituta, quod eius disposicio et provisio esset, prout est, ad sedem apostolicam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, sed cum ultimi eciam Ladimiriensis Episcopi, qui eidem ecclesie prefuit, noticia seu memoria non habeatur, Venerabilis frater noster Augustinus, Episcopus Salubriensis, cui Venerabilis frater noster Guillelmus Patriarcha Constantinopolitanus credens, ut dicitur, provisionem ipsius Ladimiriensis ecclesie ad eum ea vice pertinere, providendi eidem ecclesie de pastore idoneo dederat potestatem, ignorans, prout asseritur, provisionem ipsius ecclesie ad sedem predictam fore, ut premittitur, devolutam, auctoritate potestatis predicte de te Ordinis fratrum Predicotorum professore, in sacerdocio constituto, prefate ecclesie, licet de facto, providit, teque illi prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; tuque devolucionis huiusmodi eciam inscius, tui superioris super hoc obtenta licencia, provisioni predicte de te, ut premititur, facte, consensisti, et demum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Misnensem pretextu commissionis super hoc ei facte, ut dicitur, per ipsum Patriarcham, in diocesi Misnensi obtinuisti tibi munus

⁷³ Prout patet ex verbis ulterioribus, ubi Patriarcha Constantinopolitanus latinus sibi ius vindicat providendi de hac Ecclesia, agitur verosimiliter de Eparchia ruthena. Cfr. de his negotiis librum ABRAHAM W., *Powstanie organizacji Kościola lacinskiego na Rusi*, Lwów 1904.

consecrationis impendi, et deinde huiusmodi devolucione ad tuam deducta noticiam, tu ad predictam sedem personaliter accesisti, et huiusmodi provisionis, prefectionis et consecrationis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis.

Nos igitur provisionem et prefectionem huiusmodi, prout erant, irritas reputavimus et inanes, et ad provisionem ipsius ecclesie, ne ulterioris vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam super hoc cum nostris fratribus sancte Romane ecclesie Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te religionis zelo, litterarum sciencia peditum, aliisque grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, sicut fidei dignis testimoniis accepimus, Altissimus insignivit, duximus oculos nostre mentis; quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et nichilominus huiusmodi munus consecrationis tibi, ut predictitur, impensum auctoritate predicta approbamus, in illo, qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod ipsa ecclesia Ladimiriensis pertineat circumspeditionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia per tue cooperacionis studium fructuosum votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, tuque proinde divinam, prefate sedis ac nostram benedictionem et graciam uberioris consequi merearis.

Datum Avinione VI Non. Maii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

In e. m. Clero et populo Civitatis et diocesis Ladimiriensis, ut eidem obedientiam, etc. exhibeant.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

b. URBANUS V
(28.IX, 6.XI.1362 — 19.XII.1370)

gallus
(Gulielmus de Grimoard)

D O C U M E N T A U R B A N I P P. V

51.

Montefiascone, 4 . VIII . 1370

Nicolao de Melsac, Ord. Minor., conceditur, ut ad partes Russiae, Lithuaniae et Valachiae XXV fratres sui Ordinis conducere possit.


ASV, *Reg. Vat.*, vol. 260, fol. 144.

A. THEINER, *Monum. Hung.*, II, p. 102, n. 201.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao, dicto Melsac, Ordinis fratrum Minorum professori, salutem, etc.

Ad excolendum Dominicam vineam in partibus Ruscie, Lituvanie et Wallachie, quas scismatici et gentiles inhabitant, multos mittendos operarios necessarium extimantes, illos ad hoc aptos et promptos per personas discretionis et fidelitate pollentes recipi cupimus et apostolica sollicitudine procuramus. De tuis igitur circumspectione ac fidelitate nobis fideidigno testimonio commendatis gerentes in domino fiduciam plenioram, tibi viginti quinque fratres Ordinis Minorum, cuius profesor existis, quos vita, discretionis et literatura idoneos ad hoc fore putaveris, et de quibus cum personis eiusdem Ordinis vel aliis quibuscumque te valeas informare, de quibuscumque nationibus et conventibus assumendi et recipiendi ac ducendi seu mittendi ad easdem partes, in quibus moram longam traxisse asseris, eisdemque fratribus, postquam per te assumti fuerint et recepti, ad easdem partes proficiendi, in eisdem morandi pro propagatione et conservatione catholice fidei fideliter laborando, quorumcunque suorum prelatorum seu superiorum licentia minime requisita, non obstantibus regula et constitutionibus prefati Ordinis et aliis contrariis quibuscumque, plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Datum apud Montemflasconem, II Nonas Augusti, Anno octavo.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

GREGORIUS XI
(30.XII.1370, 5.I.1371 — 26.III.1378)

gallius
(Petrus Roger de Beaufort)

DOCUMENTA GREGORII PP. XI

52.

Avinionae, 19 . XI . 1371

*Archiepiscopo Gnesnensi eiusdemque collegis, ut fratres Minores verbum Dei
in partibus Russiae praedicantes foveant et defendant.*

ASV, Reg. Vat., vol. 263, fol. 339.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 668-669, n. 900.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Gnez-
nensi⁷⁴ et... Cracoviensi⁷⁵ ac... Czeretensi⁷⁶ Episcopis, salutem etc.

Iustis potentium desideriis, illis presertim, que defensionem et augmen-
tum catholice fidei respicere dignoscuntur, libenter annuimus, et ut conse-
quantur effectum, favorem apostolicum impertimur. Sane dilecti filii Nico-
laus de Crosna, Vicarius partium Ruscie, et alii fratres Ordinis fratrum Minor-
um in eisdem partibus comorantes, nobis significare curarunt, quod licet
ipsi et quilibet ipsorum in dictis et nonnullis aliis partibus Scismaticorum
et infidelium baptizandi et alia sacramenta ecclesiastica conferendi, ac ligandi
et absolvendi, et nonnulla alia spiritualia faciendi habeant a sede apostolica
plenariam facultatem, cuius vigore nonnullas personas utriusque sexus par-
tium predictorum, per eos ad catholicam fidem et ad obedienciam sacro-
sancte Romane ecclesie matris et magistre cunctorum fidelium reductas bapti-
zarunt, eisque huiusmodi alia sacramenta ecclesiastica contulerunt, ac ipsas
absolverunt a peccatis earum, et alia fecerunt secundum predictam eis tradi-
tam facultatem, quidam tamen Iohannes, presbiter Wratislaviensis diocesis,
in civitate Lamburgensi⁷⁷ dictarum partium Ruscie, sacerdotem catholicum
verbis se asserens, sed factis negans, invidie, ut creditur, stimulis concitatus,
in agro dominico sicut inimicus homo letalia zizania seminans, ponendo sci-
smata et errores inter fideles et filios Romane ecclesie prelibate, et eos a
dicta fide recedere, et ad infidelitatem seu dampnabilem ritum Scismatico-
rum redire temere et dampnabiliter faciendo, ac obviando, ne alii infideles
et Scimatici ad prefatas fidem et obedienciam convertantur, publice coram

⁷⁴ Tunc temporis erat nomine Jaroslaus de Skotnik. Obiit an. 1376.

⁷⁵ Nomine Florianus Mokrski. Obiit an. 1378.

⁷⁶ Episcopatus Ceretensis, postea Bacoviensis, in civitate Seret ad flumen eiusdem
nominis in partibus Valachiae. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 3, p. 601-602; ABRAHAM, *op.
cit.*; etc.

⁷⁷ Hodie Leopolis in stylo Curiae. Apud ucrainos: Lviv, poloni vero vocant: Lwów,
in lingua germanica in usu est: Lemberg. Capitalis Ucrainae occidentalis. Sedes trium
Archiepiscoporum: Latinorum, Ruthenorum (Ucrainorum), Armenorum.

fidelibus necnon Scismaticis et infidelibus predicavit et predicare presumit, quod iidem Vicarius et fratres predictam baptizandi et alia sacramenta ecclesiastica conferendi, necnon ligandi et absolvendi facultatem non habebant, et quod baptizati per eos erant rebaptizandi, et eis alia sacramenta ecclesiastica predicta conferenda de novo, et absoluti iterum absolvendi, cum gesta per eos efficaciam non haberent, propter que multi ex eisdem conversis et absolutis ad infidelitatis et scismatis vomitum sunt reversi, et alii a conversione salutifera retrahuntur, alii vero de suo statu, quem credunt dubium, non sine multa perplexitate vacillant in ipsis Iohannis et multorum aliorum, quos in eterne mortis precipicium secum trahit, animarum periculum et manifestam damnationem, ac scandalum gravissimum fidelium partium predictarum.

Quare iidem Vicarius et fratres nobis humiliter supplicarunt, quatinus super his providere de oportuno remedio paterna diligencia dignaremur. Nos igitur de premissis merito perturbati, ac intendentes circa ea apostolice solicitudinis studium adhibere, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in dicta civitate Lamburgensi et alibi, ubi videritis expedire, coram quibuscumque populis tam fidelibus, quam infidelibus et Scismaticis ex parte nostra publicari et dici solemniter faciatis, quod iidem Vicarius et fratres baptizandi et alia sacramenta ecclesiastica conferendi, necnon ligandi et absolvendi et nonnulla alia spiritualia exercendi, que in concessis eis a memorata sede continentur privilegiis, habent plenariam facultatem, dictumque Iohannem presbiterum, et alios, si qui forte similia attemptarent, cuiuscumque preeminencie, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existant, eciam si pontificali vel alia qualibet prefulgeant dignitate, ut desistant ab huiusmodi falsis assencionibus et quorumcunque seductione, per censuram ecclesiasticam ac suspensionem ac interdictum a predicationis officio et privationem quorumlibet aliorum suorum officiorum et beneficiorum, necnon carcerationem et alia oportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII, Predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium (non) evocandis, aut aliis editis, que vestre possent, in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, seu si aliquibus coniunctim vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi aut interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia indulgencia dicte sedis generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis

explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque totu[m] tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Avinione, XIII Kal. Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

53.

Villanova, Avinionensis dioec., 14 . VII . 1372

Archiepiscopis et Episcopis Poloniae, ut de statu Haliciensis, Primisliensis, Laudimiriensis et Chelmensis Ecclesiarum Pontificem certiorem reddant.

ASV, *Reg. Aven.*, vol. 187, fol. 131, nr. 238.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 116, nr. 117.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 675, nr. 908.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus⁷⁸... Archiepiscopo Gneznensi,... Cracoviensi ac... Plocensi, Episcopis, salutem etc.

Intelleximus per relationes quorundam, quod Halicziensis, Primislien-sis. Laudimiriensis et Chelmensis ecclesie cathedrales fore noscuntur, non nullis aliis pretendentibus, ecclesias ipsas non cathedrales, sed dumtaxat par-rochiales ecclesias existere. Nos de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati vestre, de qua in his et aliis specialem in domino fiduciam obti-nemus, per apostolica scripta committimus et mandavimus, quatenus de his, videlicet an prefate ecclesie cathedrales vel dumtaxat parrochiales existant, et an populum christianum habeant. nos diligenter informare curetis, et quicquid per informationem huiusmodi reperietis. nobis per vestras litteras patentes, manu publica confectas vestrisque sigillis signatas, harum seriem continentates quantocius describere non tardatis. Quod si non omnes his exe-quendis potueritis interesse duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, II Idus Iulii, Anno secundo.

54.

Villanova, Avinionen. dioec., 19 . VII . 1372

Episcopo Cracoviensi, ut Episcopos schismaticos in terra Russiae, si qui ibi inveniantur, amoveat.

ASV, *Reg. Aven.*, vol. 187, fol. 131.

TURGENEV J., *op. cit.* I, p. 116-117, nr. 118.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 676, n. 910.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri⁷⁹... Episcopo Cracoviensi, salutem etc.

Ecclesiarum regimini presidentes ad hoc assidue debent haberi solliciti,

⁷⁸ Agitur de Jaroslao Gnesnensi, Floriano Cracoviensi et Dobieslao Sowka Plocensi.

⁷⁹ Floriano Mokrski. Obiit anno 1378.

ut ipsum possit provenire subsidiis, quod ubique vigeat gloria catholice puritatis. Sane nuper ad nostrum non sine mentis turbatione pervenit auditum, quod in terra Russie quamplures Episcopi scismatici fore noscuntur. Nos cupientes super hoc, prout tenemur, ex debito pastoralis offici salubriter providere, fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta comittimus et mandamus, quatenus omnes et singulos Episcopos predice terre Russie, quos per summariam informationem scismaticos esse repereris, ab eorum ecclesiis et episcopatibus auctoritate apostolica prorsus amoveas atque prives⁸⁰, contradictores auctoritate nostra per censuram ecclasiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quidquid autem in premissis peregeris, et nomina illorum, quos per te forsan privari contigerit, per tuas patentes literas, manu publica confectas, tuoque sigillo sigillatas harum seriem continentes nobis quantocius rescribere non postponas.

Datum apud Villamnovam, Avignonensis dioecesis, XIII Kal. Augusti, Anno secundo.

55.

Villanova, 22 . VII . 1373

Vicario Ord. Minorum in partibus Russiae sacramenta fidelibus et neophytis illarum partium ministrandi facultas datur.

ASV, Reg. Vat., vol. 265, fol. 62.
A. THEINER, op. cit., II, p. 140, nr. 277.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio... Vicario dilecti fili... Ministri generalis Ordinis fratrum Minorum in partibus Russie deputato salutem etc.

Animarum periculis et quorumlibet fidelium, presertim Neophytorum, scandalis ac litigiosis concertacionibus oportunis obviare remediis cupientes, tibi et aliis fratribus Ordinis Minorum, cuius professor existis, quos ad hoc duxeris deputandos, in terra Lamburge⁸¹ et aliis partibus Russie ministrandi eidem fidelibus seu Neophytis ecclasiastica sacramenta, ac omnibus aliis privilegiis vobis ab apostolica sede concessis usque ad beneplacitum dicte sedis utendi, non obstante contradictione Venerabilis fratris nostri Episcopi Lubuzanensis seu Lubucensis, qui in eisdem partibus ordinariam iurisdictiōnem habere se asserit, et alterius cuiuscumque, auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem.

Datum apud Villamnovam, Avignonensis dioecesis, XII Kal. Augusti, Anno tertio.

⁸⁰ Non constat, utrum aliquis Episcoporum amotus fuerit. Cfr. de his eventibus opus W. ABRAHAM, Powstanie organizacji Kościoła łacińskiego na Rusi, Leopoli 1904.

⁸¹ Leopoli, in Ucraina occidentali.

56.

Villanova. 22 . VII . 1373

Universis Neophytis in terra Leopoliensi et aliis Russiae partibus de ipsorum conversione ad fidem catholicam congratulatur.

ASV, Reg. Vat., vol. 265, fol. 63.

A. THEINER, op. cit., II, p. 141, nr. 278.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis universis et singulis Neophytis quarumcunque nacionum in terra Lamburge et aliis Russie partibus constitutis salutem etc.

Letamur in Domino, filii, et nostrorum cordis holocaustum et labiorum vitulum immolamus, quod de infidelitatis tenebris et heresi ac scismaticis erroribus vos misericorditer eduxit ac produxit ad lumen catholice veritatis. Ea propter vestrorum animarum obviare periculis, ac vestris consolationi et saluti providere salubriter cupientes, vestris precibus inclinati, dilecto filio... Vicario dilecti filii ministri generalis Ordinis fratrum Minorum in partibus Russie deputato vobis ministrandi ecclesiastica Sacra menta, ac omnibus aliis privilegiis eis ab apostolica sede concessis usque ad beneplacitum dicte sedis utendi, non obstante contradictione Venerabilis fratris nostri... Episcopi Lubuzanensis seu Lubucensis, qui in eisdem partibus ordinariam iurisdictionem habere se asserit, et alterius cuiuscunque, auctoritate apostolica hodie concessimus facultatem. Quare fidelitatem vestram hortamur in Domino, quatenus conversionis vestre ad fidem catholicam eximiam gratiam vobis datum a Deo in humilitatis spiritu et virtute constancie recognoscentes, perseverantes sitis in fide prefata, nec ab ea propter temptationes et scandala recedatis; sed cum invocatione divine gracie per vestre perseverancie, et aliorum vestrorum bonorum operum exempla alios de nacionibus vestris in huiusmodi tenebris, et erroribus persistentes ad dictam fidem adducere satagatis, ut post huiusmodi vite exitum non solum vestras, sed eorum animas mereamini Altissimo presentare.

Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, XII Kal. Augusti, Pontificatus Nostri Anno tertio.

57.

Avinionae, 13 . II . 1375

Ladislao, duci Opuliensi, de ecclesiis cathedralibus Haliciensi, Premisiensi, Laudimiriensi et Chelmensi respondetur.

ASV, Reg. Vat. vol. 271, fol. 10.

A. THEINER, Monum. Poloniae et Lithuaniae, I, p. 712-713, nr. 963.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio, nobili viro, Ladislao Duci Opuliensi et Principi Ruscie⁸², salutem etc.

⁸² Vladislaus Opolskyj, ex principum Silesiae, de dinastia Piast. Post mortem regis Casimiri de Polonia, nominatus a novo rege Poloniae Ludovico locumtenens pro terra

Litteras tue nobilitatis, in quibus nobis supplicasti, quod super statu Halicziensis, Primisliensis et Laudimiriensis ac Chelmensis ecclesiarum constitutarum in tua terra Ruscie, de quo in Romana Curia questio vertebatur, dignaremur ad animarum salutem et amplificationem fidei catholice providere, dudum benigne recepimus et devotas preces tuas, prout hucusque fieri potuit, ad exauditionis gratiam duximus admittendas. Declaravimus autem dictas ecclesias existere cathedrales, easque exemimus ab omni iurisdictione, si qua Venerabili fratri nostro... Episcopo Lubecensi existenti pro tempore competeteret in eisdem, prout in nostris literis inde confectis plenius continetur.

Intendentes autem eisdem ecclesiis de personis utilibus providere, et eas illis preficere in earum Antistites et pastores, Venerabilibus fratribus nostris ... Archiepiscopo Gneznensi ac ... Cracoviensi et ... Plocensi Episcopis per alias nostras litteras committimus et mandamus,⁸³ quod communicatis tuis consilio et informatione de personis idoneis, timentibus Deum et zelum habentibus animarum, in lege Domini eruditis, ac scientibus idioma partium predictarum, seu aptis ad illud addiscendum, vos, quamcito commode poteritis, informare et informationem huiusmodi sub suis sigillis nobis destinare curetis, ut nos vestra informatione recepta possimus dictis ecclesiis de idoneis pastoribus utilius providere. Quocirca nobilitatem eandem rogamus et hortamur in Domino, ut in tanto Dei ac tuo et populi tui negotio, omni prorsus acceptance personarum et affectione carnali remota, pro inveniendis ad hoc et dictis Archiepiscopo et Episcopis nominandis huiusmodi personis idoneis studeas solicite laborare ac sollicitare, quod huiusmodi informatio fideliter et discrete fiat nostroque apostolatui remittatur.

Datum Avinione, Idibus Februarii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

58.

Avinionae, 13 . II . 1375

Ecclesias Haliciensem, Peremisliensem, Volodimiriensem et Chelmensem in partibus Russiae fuisse et esse cathedrales Pontifex declarat, et Haliciensem ecclesiam in earum archiepiscopalem seu metropolitanam erigit.

ASV, Reg. Vat. vol. 267, fol. 5.

A. THEINER, Monum. Poloniae et Lithuaniae, I, pag. 713-714, nr. 964.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum siquidem ad audienciam nostram fidedigna relatione perduto, cum gregem divina dispositione commissi exposcit, et solicitat mentem nostram, ut ea, que dicti gregis salutem prepediunt, prout nostre possibilitati

Galiciae (1372-1378). Plurimis gaudebat privilegiis et iuribus, propriam habuit monetam, sigillum et se nominavit « atocratorem » et « Dominum et haeredem Russiae ». Favebat colonis e Germania et Polonia. Anno 1378 a Ludovico destitutus fuit. Cfr. Encyclop. Ucrainae, p. 429.

⁸³ Cfr. epistulas sequentes.

conceditur, amoventes, illa disponamus providencia sollicita et sollicitudine provida, per que cum favore gratie Dei salus ipsa valeat facilius provenire, ac lites et discordie, presertim inter personas ecclesiasticas, celerius sopiantur.

Datum siquidem ad audienciam nostram fidedigna relatione perducto, quod clare memorie Kazimirus Rex Polonie partes Ruscie vicinas regno Polonie, in quibus Principes dominabantur et populi habitabant non solum scismatici, sed diversarum heresum erroribus irretiti, pugnando viriliter contra eos, de ipsorum Principum dominio, dextera Domino secum faciente virtutem, per suam et aliorum fidelium potentiam eripuerat, ac sibi et dicto regno utique catholico acquisiverat, et quod tempore acquisitionis huiusmodi, et post ipsam multe persone utriusque sexus dictarum partium ex gratia Dei misserentis pereuntium animarum et operacione dicti regis, necnon prelatorum ac clericorum et religiosorum eiusdem regni, relictis scismate et erroribus prelibatis, ad orthodoxam fidem et obedientiam, ac unitatem sancte catholice et apostolice ecclesie converse fuerant et reducte, in eisque devota perseverancia permanebant, et quod Halicziensis, Primisiensis, Ladimiriensis et Chelmensis ecclesie, que in illis partibus consistebat, prout consistunt, cathedrales erant, et ante acquisitionem huiusmodi per scismaticos et hereticos antistites detinebantur, quodque aliqui predecessores nostri, Romani Pontifices, ipsis ecclesiis de personis catholicis providerant⁸⁴, preficiendo eas illis in Episcopos et pastores, et quod Venerabilis frater noster Episcopus Lubucensis asserens dictas ecclesias non cathedrales, sed dumtaxat parochiales, et sibi iure diocesano subiecta fore, seque esse in earum possessione vel quasi, provisionibus huiusmodi se opposuerat, prout tunc etiam opponebat; ortaque super his inter Episcopos per eosdem predecessores promotos, seu aliquos ex eisdem ex una parte, et prefatum Episcopum Lubucensem ex altera materia questionis, et causa seu causis huiusmodi in Romana curia ex concessionibus apostolicis diutius ventilata seu ventilatis, et tandem tam pro parte dilecti filii nobilis viri Ladislai Ducis Opuliensis, sub cuius temporali dominio dicte partes consistere asseruntur, quam nonnullorum aliorum fidelium, propagationem dicte fidei et salutem animarum optantium, nobis humiliter supplicato, ut super his providere ex debito nostri officii dignaremur.

Nos Venerabilibus fratribus nostris... Archiepiscopo Gneznensi et... Cracoviensi ac... Plocensi Episcopis nostris dedimus litteris in mandatis,⁸⁵ ut se, an videlivet dicte ecclesie cathedrales, an tantum parochiales existarent, et populum christianorum haberent, diligencius informarent, et quidquid per informacionem huiusmodi reperirent, nobis per suas litteras quantocius rescribere non tardarent, ipsique Archiepiscopus et Episcopi super hoc pro informatione recepta nobis per suas litteras rescripserunt, se per informationem huismodi reperisse, quod prenominate ecclesie cathedrales existabant et quod habebant in civitatibus earum populum christianum.

Cum autem postmodum carissimus in Christo filius noster Ludovicus, Rex Ungarie et Polonie Illustris, et prefatus Dux nobis per suum nuncium et litteras supplicarint, quod si dicte ecclesie reputarentur cathedrales et sin-

⁸⁴ Cfr. supra nr. 44, 48, 49, 50.

⁸⁵ Responsum ad epistolam nr. 53.

gule ipsarum habeant multum populum christianum, indigentem utique regimine pastorali, et per multas dietas a civitate et dioecesi Lubucensi distarent, et propter huiusmodi distanciam idem Episcopus Lubucensis raro eciā multis annos consueverit ire ad ecclesias prelibatas, et etiam si essent parochiales, nequeat eis utiliter pontificalis officii ministerium exhiberi, in gravissimum animarum periculum, diminucionem dicte fidei et scandalum plurimorum, super his providere celeriter ex dicto officio dignaremur.

Nos super hoc salubri et celeri remedio provisionem debitam adhibere, et questiones ac lites huiusmodi, ne ipsarum pretextu prefati populi pastorum, qui eos in fide consolident, et crebrius confoveant pabulo verbi Dei, et alias eis debitum officii pastoralis absolvant, oportunis solaciis defraudentur, penitus terminare volentes ac, attendentes, quod quanto in dictis partibus plures erunt catholici antistites, tanto fructuosius per eos intendetur circa regimen animarum, cultus dicte fidei defendetur validius, et diffusius extendetur, et habentes statum causarum huiusmodi et alia omnia in his necessaria pro expressis, etiam dictorum Regis et Ducis in hac parte supplicationibus inclinati, matura super his cum fratribus nostris deliberacione prehabita, tenore presentium auctoritate apostolica declaramus, easdem Halicziensem, Primisiensem, Laudimirensem, et Chelmensem ecclesias fuisse et esse cathedrales, et loca, in quibus consistunt, fuisse et esse civitates, et ipsas ecclesias ad cautelam de novo in cathedrales⁸⁶, et eadem loca civitatum nominibus, titulis et honoribus insignimus, ac decernimus esse perpetuo civitates, dictasque ecclesias pro cathedralibus et loca ipsa pro civitatibus perpetuo volumus reputari, et si forsitan Episcopo pro tempore existenti et ecclesie Lubucensi iurisdictio, dominium aut potestas in eisdem Halicziensi, Primisiensi, Laudimirensi et Chelmensi ecclesiis, aut earum civitatibus, et dioecesis, vel ipsarum aliquibus aliquo tempore de consuetudine, vel de iure aut quovis alio modo competierit, vel nunc competit, ipsas ecclesias ac civitates et dioeceses earundem ab omni huiusmodi iurisdictione, dominio et potestate dictorum Episcopi et ecclesie Lubucensem perpetuo eximus ac eciā liberamus, decernentes antistites scismaticos, si qui forsitan sint in eis, tamquam reprobos et indignos esse, ab illis penitus amovendos, ac ipsos tenore presentium auctoritate predicta amovemus, ipsamque ecclesiam Halicziensem in Archiepiscopalem seu Metropolitanam erigimus,⁸⁷ statuentes, quod eodem Primisiensis, Laudimirensis et Chelmensis ecclesie dicte Halicziensi Metropolitane ecclesie sint perpetuo suffraganee et Metropolitico iure subiecte, privilegiis, indultis, constitutionibus et consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque.

Et insuper cupientes eisdem ecclesiis, que omnes pastoribus catholicis vacare dicuntur, utiles et fructuosas per apostolice sedis providenciam presidere personas, que velint, sciant et valeant errores huiusmodi de predictis Ruscie partibus penitus extirpare, ac fideles in eisdem partibus commorantes exemplo vite et salvifico pabulo verbi dei confortare, provisionem earundem ecclesiarum ordinationi et dispositioni nostre hac vice specialiter reser-

⁸⁶ ABRAHAM W., *Powstanie organizacji Kościola łacińskiego na Rusi*, Leopoli 1904.

⁸⁷ Cfr. ABRAHAM W., *Jakób Strepa, arcybiskup halicki 1391-1409*, Kraków 1908; - *Powstanie organizacji Kościola łacińskiego na Rusi*, Leopoli 1904.

vamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, etc..

Datum Avinione, Idibus Februarii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

59.

Avinionae, 16 . II . 1375

Archiepiscopo Gneznensi et Cracoviensi ac Plocensi, Episcopis, ut se informent, utrum Luceoriensis, Thuroviensis et Kyoviensis Ecclesiae consueverunt esse cathedrales, an parochiales, et rescribant.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 267, fol. 6.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, pag. 718-719, n. 966.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Cracoviensi ac ... Plocensi Episcopis,⁸⁸ salutem etc.

Intelleximus per relationes quorundam, quod Luczensis,⁸⁹ Thurensis⁹⁰ et Kyoviensis ecclesie cathedrales fore noscuntur, nonnullis aliis pratendentibus ecclesias ipsas non cathedrales, sed dumtaxat parochiales existere. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati vestre, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de his, videlicet an prefate ecclesie cathedrales vel dumtaxat parochiales existant, et an populum christianum habeant, nos diligenter informare curetis, et quatenus quid per informationem huiusmodi reperiretis, nobis per vestras patentes litteras, manu publica confectas, vestrisque sigillis signatas, harum seriem continentibus, quantocius rescribere non tardetis. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nichilominus esequatur.

Datum Avinione, XIV Kal. Marcii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

60.

Avinionae, 3 . III . 1375

Iisdem Praelatis, ut de Sede Archiepiscopali Haliciensi in oppidum Lembergae transferenda se informent et rescribant.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 288, fol. 16.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, I, p. 719, nr. 967.

⁸⁸ Idem ac in nota 78.

⁸⁹ Luceoriensis in Volhynia, ubi iam erat Eparchia ritus orientalis.

⁹⁰ Turoviensis in Polissja, ubi etiam a temporibus antiquis erat Eparchia ritus orientalis, quae etiam postea permansit suosque habuit Episcopos.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Cracoviensi ac ... Plocensi Episcopis, salutem etc..

Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii, nobilis viri, Laudizlai, Ducis Opuliensis et Ruscie, peticio continebat, quod civitas Haliciensis, que Archiepiscopalit et infra limites terre Ruscie eiusdem Ducis consistit, est locus sine muris et ab aliis civitatibus et locis circumstantibus remotus, habens infideles Tartaros ex una, ac Lithuanos etiam infideles et Scismaticos ex aliis partibus, quodque locus Lambergensis,⁹¹ diocesis Haliciensis, qui principalis et insignior dicte terre Ruscie, muris clausus et alias bene munitus, et populo plenus extitit, sufficientior et aptior pro sede archiepiscopali et pro Achiepiscopo, qui esset pro tempore, ac ipso Duce et Catholicis foret, quam sit Haliciensis civitas prelibata, quare idem Dux zelo christiano religionis inductus, nobis humiliter supplicavit, ut sedem et civitatem archiepiscopalem Aliciensem ad locum Lamburgensem predictum transferretur, ac locum ipsum in sedem et civitatem archiepiscopales erigere auctoritate apostolica dignaremur.

Nos igitur, quia de premissis certam noticiam non habemus, fraternitati vestre, de qua in his et aliis speciale in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis huiusmodi negotium continentibus, presertim an si translatio et erection huiusmodi fierent utiles, expedientes existerent, et an in preuidicium alterius redundarent, auctoritate apostolica diligencius vos informentis, et que per informationem huiusmodi reperiretis in premissis, nobis clare, particulariter et distincte per vestras litteras in publicam formam redactas, vestrisque sigillis sigillatas, harum seriem continentes, quantocius intimare curretis, ut vestra super his informatione instructi, in premissis consultius agere valeamus. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Datum Avinione, V Nonas Marcii, Pontificatus Nostri Anno quinto.



⁹¹ Leopolis, sive Lviv, capitalis Ucrainae occidentalis.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

IOHANNES XXIII
(17.25.V.1410 — 29.V.1415, dep.)

neapolitanus
(Baldassar Cossa)

DOCUMENTA IOHANNIS XXIII

61.

Romae, 28 . VIII . 1412

Translatio Ecclesiae Metropolitanae Haliciensis et erectio ecclesiae parochialis Leopoliensis in Cathedralem et Metropolitanam.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 346, fol. 122.

ASV, *Armarium XXXII*, vol. 21, fol. 119-120v.

A. THEINER, *Monum. Poloniae, et Lithuaniae*, II, fol. 5-6, n. 8.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam.

In eminenti specula militantis ecclesie Romanus Pontifex, beati Petri celestis clavigeri successor, ac in terris ab eo, qui celum terramque regit, solus habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, et trono sue ineffabilis potencie constitutus super universas orbis ecclesias terreque latitudinem precipuum facultatis obtainens principatum, pervagilis more pastoris sue providentie ovulis universum orbem terrarum ac nationum in illo degencium qualitates paterna consideratione discutiens, ac examinans diligenter, ex iniuncto sibi desuper pastoralis officii onere singulorum salutem appetens et exquirens, superna fulctus potencia diversis diversa pro mundanorum eventuum casibus, ac pro meritis premia distribuens, quosdam exaltat et sublevat, et ad alta rerum fastigia magnitudine dignitatis attollit, et tanquam dispensator munificus donis specialibus ac affectivis muneribus erga devotos filios sinum aperit apostolice largitatis, presertim erga loca illa, in quibus in agro irriguo ecclesie sancte Dei novelle plantationis in odorem suavitatis fructus in ubertate succedit, et que fidelis ex nova plantatione huiusmodi et celeber incolit populus, in his precipue, que exaltationem catholice fidei ac etiam ecclesiarum incrementa respicere dinoscuntur, ut si et quemadmodum ipsarum ecclesiarum necessitas exigat, catholici populi profectus exposcat, requirat animarum salus, et accedat commoditas populorum, ac locus alias populositate ac reliquis ad humane vite commodum necessariis celeber ac insignis, ubi sedes Episcopalis aut Metropolis non consuevit existere, videatur merito illustrandus decore precipuo, ecclesiarum in illo statum immutet, ac illis per erectionis ac translationis ministerium titulum adaugeat sublimioris excellencie atque gradus, honoris, tituli pariter et decoris, ut per hanc distributionem providam partes sibi credite sollicitudinis, prout in Altissimo conspicit expedire, salubriter exequatur.

Cum itaque nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Wladislai⁹² Regis Polonie Illustris ac domini Russie nobis expositum fuerit, et summa

⁹² Vladislaus Jagello, Rex Poloniae (1386-1434).

cum instancia supplicatum, ut pro defensione fidei orthodoxe, ac etiam incremento fideliumque salute, ac reductione ad ovile dominicum infidelium et aberrantium populorum oppidum Lamburga, alias Lywowne seu Leopole vulgariter nuncupatum, in partibus Russie, Haliciensis diocesis in civitatem, et parrochiale ecclesiam sancte Marie in dicto oppido situatam in cathedralem et metropolitanam ecclesiam erigere, et Civitatis ac Metropolis dignitatum titulis decorare, ac Haliciensem metropolitanam ad Leopolienses ecclesias et locum utpote celebriorem ac insigniorem, et cunctis oportunitatibus et populi magnitudine atque frequencia potiorem transferre de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur attentes maximum ex premissis profectum catholice fidei emersurum, ac paterna illis benignitate ac maturitate discussis, suadentibus nonnullis aliis rationabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum, ac prefatis Regis in hac parte supplicationibus inclinati, matura cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus super hoc deliberatione prehabita, ac de eorundem consilio et assensu, et de apostolice potestatis plenitudine, ac ex certa sciencia ad honorem omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti, beate semperque virginis Mariae, sub cuius vocabulo prefata Leopoliensis ecclesia fundata fore dinoscitur, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum totiusque celestis Curie laudem, gloriam et exaltationem statum nostri et ecclesie sancte Dei, divini cultus augmentum, fideliumque salutem, prefatum oppidum Lamburga, alias Leopoliense seu Lywowne vulgariter nuncupatum, in civitatem Leopoliensem, ac prefatam parrochiale ecclesiam beate Marie in cathedralem atque Metropolim auctoritate apostolica presencium tenore erigimus, ac ipsum oppidum Leopolien sis civitatis, et ipsam ecclesiam beate Marie metropolitice dignitatis, honoris et decoris titulis de specialis dono gracie decoramus ac etiam insignimus, et ipsam Leopoliensem ecclesiam in memoriam indelebilem eorum, que in hac parte gerentur, metropolitanam perpetuis futuris temporibus volumus nuncupari, ac prefatam Haliciensem ecclesiam, sedemque metropoliticam cum Electo ipsis,⁹³ cui nuper est de ipsa Haliciensi ecclesia per nos gratiouse provisum, prout in aliis nostris desuper confectis litteris plenus continentur, ad sedem Leopoliensem atque Metropolim supradictam de consilio ac scientia et auctoritate prefatis transferimus per presentes, statentes, quod de cetero, qui dicte preficientur ecclesie Leopoliensi imperpetuum Archiepiscopi Leopolienses nuncupari debeant et censeri, ac archiepiscopalia et metropolitica insignia gerere, iura, iurisdictiones et cetera exercere, administrare ac exequi valeant, que Metropolitani in eorum civitatibus, diocesibus atque provinciis de iure possunt, ac etiam sciencia et auctoritate prefatis de eorundem fratrum nostrorum consilio nostras filias predilectas Premisiensem, Chelmensem, Camenecensem Wlodimirensem, Ceretensem e Kyoviensem ecclesias et earum quamlibet, ipsarumque Episcopos tam presentes quam futuros, qui eis pro tempore preesse contigerit, et quascunque alias in partibus illis secundum ritus grecorum viventes ecclesias, earumque Episcopos cum earum et cuiuslibet ipsarum civitatibus et diocesibus, iuribus et perti-

⁹³ Primus Archiepiscopus Leopoliensis in nova sede erat Joannes Rzeszowski. Obiit an. 1436. - Cfr. Enc. Powszechna, vol. 2, p. 124-128.

nenciis universis ipsi Leopoliensi ecclesie tanquam ipsarum Metropoli, et Archiepiscopo Leopoliensi pro tempore existenti pro eorum Suffraganeis atque Provincia harum serie decernimus perpetuo fore et esse subiectos atque subiectas, et subiicimus per presentes, ita quod de cetero ad illa omnia et singula teneantur, et astricti sint eisdem Metropoli et Archiepiscopo Leopoliensi pro tempore existenti, ad que Suffraganei suis metropolitane ecclesie atque metropolitano tenentur Archiepiscopo secundum canonicas sanctiones, necnon quod Archiepiscopus, ecclesia et Capitulum Leopolienses huiusmodi, qui sunt pro tempore, de cetero omnibus privilegiis, exemptione graciis ac indultis apostolicis et aliis quibuscumque potiantur et gaudent, quibus de iure metropolitane ecclesie et Archiepiscopi et eorum Capitula possunt, et que poterant etiam ante erectionem et translationem huiusmodi Archiepiscopus, ecclesia et Capitulum Halicienses huiusmodi, necnon prefata parochialis ecclesia beate Marie Leopoliensis ac Rector, qui ei pro tempore preerat, quodque cuncti Suffraganei, clerici et layci Leopolienses prius Haliciensis provincie Archiepiscopis Leopoliensibus, qui erunt pro tempore, tanquam Metropolitanis eorum debitos obedientiam, reverenciam et honores exhibeant, sicut Archiepiscopis Haliciensis, qui fuerunt pro tempore, exhibere hactenus consueverunt, ac etiam debuerunt, et quod nullus ipsius prius Haliciensis ecclesie seu Metropolis possessiones auferre, aut ablatas retinere, seu minuere, aut ipsos Archiepiscopum, ecclesiam et Capitulum Leopolienses aliquibus molestiis fatigare seu perturbare presumat, sed omnia eis integra et illibata serventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis perpetuis temporibus profutura, sedis apostolice licentia semper salva, huiusmodi et aliis privilegiis, indultis et concessionibus eisdem Haliciensi, Leopoliensi, Premisiensi, Chelmensi, Camenecensi, Wladimirensi, Ceretensi et Kyoviensi, et aliis ecclesiis supradictis concessis, que possent presentibus obviare, non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem statuentes, quod, si qua ex Premisiensi, Chelmensi, Camenecensi, Wladimirensi, Ceretensi, et Kyoviensi seu aliis secundum ritus grecorum viventibus ecclesiis supradictis alicui Metropoli christianorum subiecta existeret, quoad subiectam unam seu plures ecclesias, presens concessio pro Suffraganeis, ceteris tamen in suo robore duraturis, nullius existat efficacie vel valoris, decernentes ex nunc irritum et inane, si securus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo... etc. nostre erectionis, decorationis, translationis, statuti, constitutionis, subiectionis et voluntatis infringere... etc. Si quis... etc..

Datum Rome apud Sanctum Petrum, V Kal. Septembris, Pontificatus Nostri Anno tercio.

Gratis de mand. D. N. Pape.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

MARTINUS V
(11.21.XI.1417 — 20.II.1431)
r o m a n u s
(Odo Colonna)

D O C U M E N T A M A R T I N I P P . V

62.

Constanciae, 5 . V . 1418

Vladislaum, regem Poloniae, Pontifex in regno Poloniae et partibus Russiae suum in temporalibus Vicarium generalem constituit.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 348, fol. 79.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 117-118, nr. 119.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, f. 20-21, nr. 25.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Wladislao⁹⁴ Regi Polonie Illustri in Magnanovagroda et Plisscov, civitatibus, et earum dominis Russie pro nobis et Romana ecclesia in temporalibus generali vicario, salutem etc.

Etsi de cunctis negociis cure atque regimini nostris humeris superna dispositione iugiter incumbentibus nos cogitare conveniat ex apostolice servitutis officio, circa illa tamen propensioribus vigilancia atque cura extenderem compellimus mentis nostre vigilias, per que orthodoxe fidei profectus, ac infidelium detestanda malignitas ad patrem luminum et ad unitatem apostolice sedis conversio, auctore Domino, valeant incrementis salutaribus atque felicibus salubriter provenire.

Cum igitur, sicut manifeste didicimus, plurimorum et catholico Rege dignissimorum operum ab effectu, tua Serenitas exponens iugiter se ac sua nullis abstinentia laboribus aut impensis erga consecutionem pacis et unionis in eadem universalis ecclesia sancta Dei, ac pro tutela et incremento orthodoxe fidei et conversione infidelium quorumque ad ovile dominicum, unionis orientalis ecclesie ad veritatem et integratatem catholice, sacrosancte et universalis ecclesie, ut fiat, tuo cooperante regali ministerio, ovile unum et pastor unus, non desierit nec desinat incessanter exponere totius regalis vigilancie sue curas, et propterea intendentes, ut eo vigilantioribus circa premissa et eorum affectum eadem tua Serenitas valeat insudare, quo per nos et sedem apostolicam maiori fuerit auctoritate munita, et ut exemplo huiusmodi laudabili ac honorabili ceteri Reges et principes Christianitatis excitentur ad similia imposterum peragenda, premissis et nonnullis causis rationabilibus ad hec animum nostrum moventibus inclinati, personam tuam in Regno Polonie et ceteris partibus tuo regali dominio suppositis, ac in terris et locis scismaticis Russie, et pro conversione infidelium quorumcunque ad cultum prefate fidei, et maxime ac presertim in Magnanovagroda et Plisscow

⁹⁴ Vladislaus Jagello (1386-1434).

civitatibus et earum dominiis Russie, quo ad vitam duxeris in humanis, eadem Serenitate tua tam in nostra ac successorum nostrorum, Romanorum Pontificum canonice intrantium et eiusdem ecclesie fidelitate, devotione et obediencia permanente, cum iurisdictione, potestate et officio, oneribus et honoribus aliis vicariis in temporalibus in civitatibus et partibus predictis hactenus per sedem apostolicam deputatis, in eisdem temporalibus auctoritate apostolica tenore presentium generalem vicarium ordinamus, constituius et etiam deputamus, eidem Serenitati tue nichilominus in Regno et partibus huiusmodi contra scismaticos et infideles, ac hostes prefatos et adherentes, complices et sequaces eorum, ac pro conversione eorundem et aliorum quorumcunque oberantium ad ovile dominicum, ac unione orientalis ecclesie ed eandem Romanam et universalem ecclesiam, et ab his dependentibus et connexis, dicto vicariatu durante, omnia et singula faciendi, gerendi et exercendi ac etiam exequendi, que eadem tua Serenitas viderit salubriter expedire, et que ad huius modi vicariatus officium de consuetudine vel de iure spectare noscuntur, plenam et liberam facultatem et potestatem harum serie concedentes, ac mandantes Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Electis, Administritoribus, Abbatis ceterisque ecclesiarum et monasteriorum Prelatis, ac universis et singulis Christifidelibus in virtute sancte obediencie, ac pro incremento dicte fidei orthodoxe, quantenus per viscera misericordie Domini nostri, ac nostram et apostolice sedis reverenciam eidem tue Serenitati tamquam nostro et eiusdem ecclesie in temporalibus vicario in civitatibus et partibus supradictis, quoties requiri contigerit, Patriarche, Archiepiscopi, Episcopi, Electi, Administratores, Abbates ceterique ecclesiarum et monasteriorum Prelati per censuras ecclesiasticas et alia juris remedia contra obstinatos, appellatione cessante, et alio quocunque modo, reliqui autem quibusvis presidiis faveant in cunctis oportunitatibus fideliter ei assistant, ut fructus uberrimi, Altissimo inspirante divinitus, per tue celstitudinis studium iuxta desideratam conceptamque spem valeant provenire ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, statum et honorem militantis ecclesie, ac nostros, tranquillitatem et pacem civitatum et partium et dominiorum predictorum et christifidelium quorumcunque.

Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Gneznensis fidelitatis debite et de huiusmodi officio solerter ac regaliter, prout speramus et cipiimus, exercendo pro nobis et eadem Romana ecclesia recipientis prestare debeas in forma solita iuramentum.

Tua igitur Serenitas, sicut abunde concipimus, onus officii huiusmodi prompta devotione suscipiens, sic illud studeat in singulis, exaltationem statutus et incrementa fidei, ecclesie, nostrique pariter et christifidelium quorumcunque concernentibus, regaliter ac saluberrime exercere, ut apud Altissimum, qui solus Regibus et principibus dat salutem, ultra nostram et ipsius sedis benedictionem et graciā palmarē sempiterne beatitudinis et gloriam valeat promereri.

Datum Constancie, tertio Idus Maii, Pontificatus Nostri Anno I.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

EUGENIUS IV
(3.III.1431 — 23.II.1447)
venetus
(Gabriel Condulmer)

D O C U M E N T A E U G E N I I P . P . I V

63.

Reginae Poloniae, Sophiae, conceditur gratia, ut in Missis coram ea celebrandis Nobiles rutheni interesse possint.

ASV, AA. Arm. I-XVIII, nr. 1274, fol. 287v-289.

EUGENIUS etc. Ad futuram rei memoriam.

Illius qui pro Dominico grege in pretium immolari non abnuit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ad id nostri (f. 288) praecipue cordis vota dirigimus, ut pro quibus salvandis omnium summus rerum opifex languores humanos perpeti voluit, Nos quibus huiusmodi gregis curam, regimenque commisit huiusmodi saluti quorumlibet, divina cooperante gratia, iugiter intendamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte carissimae in Christo filiae nostrae Sophiae, Reginae Poloniae Illustris, petitio continebat plerosque Ruthenos, qui de obedientia Graecorum sunt, eandem Reginam visitare et accedere consueverunt, coram quibus illarum partium sacerdotes Missas, et alia divina officia celebrare pertimescunt, ipsaque Regina fiduciam spemque gerit in Domino, quod si dicti Rutheni praesertim Nobiles, tempore quo coram ea Missas et officia huiusmodi celebrari contigerit, illis interesse (f. 288v) permittantur, ipsi facilius etiam Reginae directione, monitis et exhortationibus orthodoxam fidem nostram, illius traditiones prorsus amplecti, et profiteri curabunt, ac plurimarum inde verisimiliter salus succedet animarum. Nos eiusdem Reginae in hac parte supplicationibus inclinati, quod ipsi Rutheni nobiles tempore praemisso, dummodo aliud eis canonicum non obsistat, cum praefata Regina Missae et officiorum huiusmodi celebrationi interesse, nec non sacerdotes ibidem illa etiam coram ipsis celebrare, et peragere licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum etc. contraire. Si quis autem etc. (f. 289) incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quadrigentesimo trigesimo quarto, tertio Nonas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno quarto.

64.

Florentiae, 20 . X . 1434

Metropolitae Kioviensi Gerasimo eiusque Legatis dantur ab Eugenio IV litterae passus, ut se Romam conferre possint.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 373, fol. 110rv.

EUGENIUS etc.

Universis et singulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Plebanis, Rectoribus aliisque ecclesiarum et monasteriorum Prelatis ipsorumque vices gerentibus. Capitulis quoque et communictatibus ecclesiarum et monasteriorum virorum ceterisque personis ecclesiasticis saecularibus et regularibus Ordinum quorumcumque exemptis et non exemptis. Nec non carissimis in Christo filiis Regibus et nobilibus viris, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Baronibus, Comitibus, Senescallicis, Iustitiariis, Potestatibus, Capitaneis, Officialibus ceterisque Dominis temporibus ac eorum locum tenantibus. Universitatibus quoque et communictatibus Castrorum, terrarum et villarum et aliorum quorumcumque locorum, et aliis universis et singulis ad quos presentes littore pervenerint, salutem etc.

Cum Venerabilis frater noster Gerasimus Ruthenorum Metropolitanus pro ordinis christiane fidei et nostris ac Romanae Ecclesie negotiis ad presentiam nostram venire vel oratores suos mittere desideret, Nos in presens ipsos Metropolitanum sive oratores praesentes ostensorum cum sociis et famulis suis usque ad numerum quadraginta et cum equis immunitate et securitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos rogamus et hortamur attente, quatenus predictis cum sociis, et famulis suis usque ad numerum quadraginta et cum equis, armis, valisis, arnesis et bonis et rebus aliis pro nostra et sedis apostolice reverentia benigne recommendatos habentes nulla vis in personis, bonis, et rebus eorum inferatur, iniuriam, molestiam, vel offensam nec ab aliis quantum in vobis sunt permittatis inferre, sed eos potius cum equis, rebus et bonis predictis venendo, morando, et loca vestra, absque contradictione vel impedimento quocumque transire et morari libere permittatis, sine solutione alicuius dacii, passagii, gabelle, theloniei, angarii, (f. 110v), perangarii, vel alterius oneris vel gravaminis exactione, ut eis sancte sicut de si-curo conductu, si a nobis petieretur, sic libere providere pro nostra et apostolice sedis reverentia studiatis, quod vostra possit exinde apud nos et sedem predictam devotio commendari.

Presentibus post annum minime valiturus.

Datum Florencie, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadragesimo trigesimo quarto, tertio decimo Kal. Novembbris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

IA. BRANCHATIUS

Item similis littera concessa fuit dilecto filio Boleslao Lithuanie Magno Duci... usque ad numerum quadraginta... presentibus post annum etc. et datum immediate precedenter... anno supradicto.

JO. BELSER

Grego-
rius VII
Demetrio
-Izjaslao
de
Kyjiv
anno
1075
suum
dat
auxilium
(cfr. nr. 1)

Data Rome. xii. t. mai. l. nd. xiiij.
GREGORIUS Ep̄s seruus seruorum dī Demetrio regi
rusorum. & regine uxori cī Silvā. & ap̄bndā. F ilius
ūr lumina apostolorū uisitans ad nos uenit. & qd regnū illud
dono sc̄i petri p̄ manus m̄as uellet optimere. cide beato
petro apostolorū principi debita fidelitate exhibita de
uotis p̄cib; postulauit. indubitan̄ asseuerans illā
sūi petitionē uo consensu ratā fore ac stabile. si
ap̄tice auctoritatē ḡa ac munimine donaretur.
Curus uotis & petitionib; qd iusta videbantū exē
sensi uo. u ex deuotione p̄sentis tande assensū p̄.
būimus. & regnū uī gubernacula sibi ex parte beati
petri tradidimus. cū uidelicet intentione atq; deside
rio caritatis ut beatus petrus uos & regnū uīm om̄ia q̄
uita bona sua apud dñm in cessione custodiet. & cū
om̄i pace honorē q̄q & gl̄a idem regnū usq; in finē uo
uīt tenet uos faciat. & huic militie finito cursu
imperiet uob apud supnū regē gl̄i in sempiternam.
Quin etiā nos partissimos ēē nouit uīt nobilitatis se
rentas. ut ad quē curiā iusta negotia huius sedis au
ctoritatē p̄ sua necessitate petierit. p̄ cul dubio conti
nuo petitionū suū ēsequit effectum. Preterea ut
huc & alia multa quē litteris n̄ continent cordibus
uīt artus infigant. misimus hos nuntios n̄os quōq; un
ūr notis ē & fidus amicis. q̄ & ea quē litteris sunt di
ligentē uob exponent. & quē minus sunt una uoce
explebunt. Quib; p̄ recuenterū beati petri eius Lega
ti sunt uos m̄tes & affabiles p̄beatis. & q̄qd uob di
xerint ex parte m̄a patient audiatis. utq; indubitan̄
credatis. & quē ibi ex auctoritate ap̄tice sedis ne
gotia tractare uoluerint. & statuere. nullorū malo
ingenio turbare p̄mittatis. sed potius eos sincera e. uita
re suiendo iuuetis. Om̄ps dī memores uās illuminet. atq;
p̄ temporalia bona facie uos transire ad gloriam sempiternā
Data Rome. xv. t. mai. l. nd. xiiij.

65.

Florentiae, 6 . VII . 1439

Bulla Unionis Ecclesiae Graecae et Latinae in Concilio Florentino conclusae, quae postea tantum habuit momentum in historia Ecclesiae Catholicae Ucrainae. Unio s. d. Berestensis nisi applicatio principiorum Unionis Florentinae considerari potest.

- BIBL. MEDICEA LAURENTIANA FLORENTIAE, *Cassetta Cesarini*, nr. 1 (exempl. orig.).
Giornale storico degli archivi Toscani 1 (1857) 210-223.
 W. von GOETHE, *Studien und Forschungen über das Leben und die Zeit des Kardinals Bessarion*, I, 1, Iena 1871, p. 201-215.
 A. THEINER-F. MIKLOSICH, *Monumenta spectantia ad unionem ecclesiastrium graecae et romanae*, Vindobonae 1872, p. 46-56.
 G. HOFMANN, S.J., *Documenta Concilii Florentini de Unione Orientalium*, I, Romae 1935, p. 9-25 (textus latinus et graecus).

EUGENIUS EPISCOPUS. Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad Infrascripta carissimo filio nostro Iohanne Palaeologo romaeorum imperatore illustri et locatenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, et caeteris orientalem ecclesiam repraesentantibus.

Laetentur caeli et exultet terra. Sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque dividebat ecclesiam, et pax atque concordia rediit; illo angulare lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo caritatis et pacis utrumque iungente parietem, et perpetuae unitatis foedere copulante ac continente; postque longam moeroris nebulam, et dissidii diuturni atram ingrataisque caliginem, serenum omnibus unionis optatae iubar illuxit.

Gaudet et mater ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes iam videt in unitatem pacemque rediisse; et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti deo gratias referat.

Cuneti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui christiano censemur nomine, matri catholicae ecclesiae collaetentur.

Ecce enim occidentales orientalesque patres, post longissimum dissensio- nis atque discordiae tempus, se maris ac terrae periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum ycumenicum concilium desiderio sacratissimae unionis et antiquae caritatis reintegrandae gratia, laeti alacres- que convenerunt. Et intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem spiritus sancti clementia ipsam opta- tissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt.

Quis igitur dignas omnipotentis dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis tantae divinae miserationis divitias non obstupescat? Cuius vel ferreum pectus tanta supernae pietatis magnitudo non moliat? Sunt ista prorsus di- vina opera, non humanae fragilitatis inventa; atque ideo eximia cum vene- ratione suscipienda, et divinis laudibus prosequenda.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni sponsae tuae catholicae ecclesiae contulisti, atque in generatione nostra tuae pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mi-

rabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis deus largitus est; oculisque vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere ne- quiverunt.

Convenientes enim latini ac graeci in hac sacrosancta synodo ycumenica, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina spiritus sancti processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur.

Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium et occidentalium, aliquibus quidem ex patre et filio, quibusdam vero ex patre per filium procedere dicentibus spiritum sanctum, et ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis graeci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt spiritum sanctum ex patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant filium; sed quia eis videbatur, ut aiunt, latinos asserere spiritum sanctum ex patre et filio procedere tanquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo absti- nuerunt a dicendo, quod spiritus sanctus ex patre procedat et filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere spiritum sanctum ex patre filioque procedere, ut excludant patrem, quin sit fons ac principium totius deitatis, filii scilicet ac spiritus sancti, aut quod id, quod spiritus sanctus procedit ex filio, filius a patre non habeat; sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes, sed ut unum tantum asserant esse principium unicamque spirationem spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam et deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem concordarunt et consenserunt.

In nomine igitur sanctae trinitatis, patris et filii et spiritus sancti, hoc sacro universalis approbante Florentino concilio, diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, siveque omnes profiteantur, quod spiritus sanctus ex patre et filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex patre simul et filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit.

Declarantes, quod id, sancti doctores et patres dicunt, ex patre per filium procedere spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, filium quoque esse secundum graecos quidem causam, secundum latinos vero principium subsistentiae spiritus sancti, sicut et patrem.

Et quoniam omnia, quae patris sunt, pater ipse unigenito filio suo gi- gnendo dedit, praeter esse patrem; hoc ipsum, quod spiritus sanctus procedit ex filio, ipse filius a patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam ge- nitus est.

Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum filioque, veritatis declarandae gratia, et imminentे tunc necessitate, licite ac rationabiliter sim- bolo fuisse appositam.

Item, in azimo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum domini corpus conficere debere, unum- quemque scilicet iuxta sua ecclesiae sive occidentalis sive orientalis con- suetudinem.

Item, si vere poenitentes in dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas

poenis purgatoriis post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosinas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta.

Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurserunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.

Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis ycumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus caeterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum romanum pontificem tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum.

Datum Florentiae in sessione publica synodali, solemniter in ecclesia maiore celebrata. Anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo nono, pridie nonas iulii, pontificatus nostri anno nono.

Signum (« Rota ») Eugenii IV Papae cum inscriptione: Sanctus Petrus, Sanctus Paulus. Adiutor et protector meus es tu, Domine. Ne derelinquas me, domine.

† Ego Eugenius catholicae ecclesiae episcopus ita diffiniens subscripsi.

† Ego Antonius episcopus Ostiensis cardinalis Bononiensis supradictas definitiones veras et catholicas esse affirmo, et illis me subscripsi.

† Ego Branda episcopus Portuensis subscripsi.

† Ego Nicolaus cardinalis Sanctae Crucis subscripsi.

† Ego F(ranciscus) tituli Sancti Clementis presbyter cardinalis subscripsi.

† Ego A(ngelottus) tituli Sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.

† Ego Julianus tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

† Ego Prosper Sancti Georgii diaconus cardinalis subscripsi.

† Ego Dominicus Sanctae Mariae in via lata diaconus cardinalis subscripsi.

† Ego Blasius patriarcha Ierosolymitanus subscripsi.

† Ego Marcus patriarcha Gradensis subscripsi.

† Ego Iohannes episcopus Morinensis, illustrissimi principis domini ducis Burgundiae et Brebanciae orator subscripsi.

Ego Iohannes episcopus Nivernensis, eiusdem domini ducis orator, signavi et interfui.

† Ego Bartholomaeus archiepiscopus Spalatensis subscripsi.

† Ego Fantinus archiepiscopus Cretensis subscripsi.

- † Ego Julianus archiepiscopus Pisanus subscrispi.
 † Ego Andreas archiepiscopus Colossensis subscrispi.
 † Ego Nicolaus archiepiscopus Capuanus subscrispi.
 † Ego Ludovicus archiepiscopus Florentinus subscrispi.
 † Ego Latinus de Ursinis archiepiscopus Tranensis subscrispi.
 † Ego Raymundus archiepiscopus Conezanus subscrispi.
 † Ego Iacobus episcopus Adriensis subscrispi.
 † Ego Petrus episcopus Paduanus subscrispi.
 † Ego Daniel episcopus Concordiensis subscrispi.
 † Ego Antonius episcopus Portugalensis subscrispi.
 † Ego Bartholomaeus episcopus Valvensis subscrispi.
 † Ego Thomas episcopus Farense subscrispi.
 † Ego Christophorus episcopus Ariminensis subscrispi.
 † Ego Amicus episcopus Aquilensis subscrispi.
 † Ego Petrus Dignensis episcopus subscrispi.
 † Ego Iohannes Ferrariensis episcopus subscrispi.
 † Ego Valentinus episcopum Ortanus et Castellanus subscrispi.
 † Ego Iohannes episcopus Orbensis subscrispi.
 † Ego Benotius episcopus Fesularum subscrispi.
 Ego Karolus episcopus Senensis subscrispi.
 Ego Andreas Hispanus Portugalensis episcopus Megarensis.
 Ego Karolus episcopus olim Mutenensis.
 Ego N. episcopus Tiburtinus subscrispi.
 Ego Antonius episcopus Grassensis subscrispi.
 Ego Laurentius episcopus olim Achayensis.
 Ego Zenonus episcopus Bayocensis subscrispi.
 Ego Ludovicus episcopus Trevesinus subscrispi.
 Ego Iohannes de Mella electus confirmatus Legionensis subscrispi.
 Ego Guillelmus electus confirmatus Andegavensis subscrispi.
 Ego Damianus episcopus Assisiensis subscrispi.
 Ego Angelus episcopus Parentinus scripsi.
 Ego Petrus episcopus Ausarensis scripsi.
 † Ego Mathaeus episcopus Zapatenis subscrispi.
 † Ego Angelus de Grassis episcopus Arianensis subscrispi.
 † Ego Petrus episcopus Massanensis subscrispi.
 † Ego Bartholomaeus episcopus Cavalicensis subscrispi.
 † Ego Robertus de Adimaris de Florentia episcopus Vulterranius subscrispi.
 Ego Antonius episcopus Cesenatensis subscrispi.
 Ego Donatus episcopus Pistoriensis subscrispi.
 † Ego Scipio episcopus Mutinensis subscrispi.
 † Ego Christophorus episcopus Coronensis subscrispi.
 Ego Andreas episcopus Conversanus subscrispi.
 Ego Alexius episcopus Clusinus subscrispi.
 † Ego Garsias episcopus Tudensis subscrispi.
 † Ego G. episcopus Granatensis subscrispi.
 † Ego Aymericus episcopus Montis Regalis subscrispi.
 † Ego Baptista electus Theatinus subscrispi.
 Ego Nicolaus episcopus Tricharicensis.

Ego Iohannes electus Agennensis subscrispsi.
 † Ego Iohannes electus Osiliensis subscrispsi.
 Ego Guillelmus electus Leonensis subscrispsi.
 † Ego Andreas episcopus Possaniensis.
 Ego Matthaeus episcopus Cortonensis subscrispsi.
 Ego Iulianus electus Sistaricensis subscrispsi.
 Ego Iohannes episcopus Daynensis subscrispsi (?).
 Ego Tadaeus episcopus Acquinatensis subscrispsi.
 Ego Petrus Elia archiepiscopus Trecensis, ambassiator domini ducis Burgundiae et Brebanciae etc.
 Ego Ambrosius generalis ordinis camaldulensium subscrispsi.
 Ego frater Guillelmus generalis Minorum.
 Ego frater Conradus generalis Augustiniensium.
 Ego Placidus generalis ordinis Vallisumbrosae subscrispsi.
 Ego Gomecius abbas Florentinus subscrispsi.
 Ego Iohannes de Ursinis abbas Farfensis subscrispsi.
 Ὁ τῆς Κρυπτοφέρρης μονῆς πέτρος ὑπέγραψα.
 Ego Antonius abbas Sancti Capraesii.
 Ego Franciscus abbas Sancti Leonardi.
 Ego Fredericus abbas de Berceto.
 Ego Georgius abbas de Ferentino.
 Ego Antonius abbas de Alfiolo.
 Ego Bartholomaeus abbas Campifullonis.
 Ego Sepulcrus abbas de Uzano.
 Ego Angelus abbas de Sexto.
 Ego Paschasius abbas Sancti Sepulchri.
 Ego Benedictus abbas de Choneo.
 Ego Jacobus abbas Sancti Salvii.
 Ego Aloysius abbas Sancti Pauli ad ripam arni Pisarum.
 Ego Iohannes abbas Tyro.
 Ego Daniel abbas de Saviliano.
 Ego Benedictus abbas Sancti Pancratii.
 Ego Franciscus abbas S. Mariae de Pactiano.
 Ego G. Giovannes abbas de Ripolis.
 Ego Angelus abbas Sancti Michaelis de Pistorio.
 Ego Nicolaus abbas monasterii Sancti Modesti Beneventini subscrispsi.
 Ego Iacobus abbas Sancti Salvatoris de Faventia.
 Ego A. abbas Montis Piani Pistoiensis diocesis subscrispsi.
 Ego Petrus abbas Sancti Felicis de Florentia.
 Ego M. abbas Sanctae Mariae de Diciano.
 Ego Bartolomaeus abbas de Bibona.
 Ego Laurentius de L. abbas de Culros.
 Ego Fredericus abbas monasterii Sancti Pantaleonis de Luca.
 Ego Luchas abbas Sanctae Mariae in Alpibus.
 Ego dominus Lucas abbas Faerariensis.
 Ego Iacobus abbas monasterii Sancti Petri de Massa.
 Ego Frater Iohannes abbas sanctorum martyrum Cordubensium.
 Ego Guillelmus abbas Sancti Salvatoris Burdegalensis.

Ego Georgius abbas S. Petri de Eugubio.

Ego Antonius abbas Sanctorum Salvatoris et Vigili de Senis.

Abbas Sanctae Mariae de Morrona.

(Ego?) abbas Gondae.

Ego Gabriel abbas Sancti Iacobi de Pontida.

Ego Dionysius abbas Sanctae Mariae de Bono dioc. Sarzanensis.

Ego Timotheus abbas Sancti Andreae de Mantua subscrispi.

(In originali nomina Graecorum grecce exarata sunt).

Ioannes Palaeologus, in Christo deo fidelis rex et imperator Romaeorum.

Antonius humilis metropolita Heraclaeae, praesidens metropolitarum (cf. DUCANCE, Glossarium II 1640) et exarchus (visitator) totius Thraciae et Macedoniae et locumtenens apostolicae sedis sanctissimi patriarchae Alexandriae definiens subscrispi.

Gregorius, sacerdos monachus, locumtenens apostolicae sedis patriarchae Alexandriae, et domini mei domini Philothei, et magnus protosyncellus et (pater) spiritualis, subscrispi.

Isidorus, metropolita Kieviensis et totius Russiae, ac locumtenens apostolicae sedis sanctissimi patriarchae Antiocheni domini Dorothei, libenter approbans subscrispi.

Dositheus, metropolita Monembasiensis et locumtenens apostolicae sedis sanctissimi patriarchae Ierosolymitani Ioachim, secutus subscrispi.

Dorotheus, metropolita Trapezunti, secutus subscrispi.

Metrophanes, metropolita Cyzici, subscrispi.

Bessarion, miseratione Dei archiepiscopus metropolis Nicaeae, secutus subscrispi.

Macarius, metropolita Nicomediae, subscrispi.

Methodius, humilis metropolita Lacedaemonos, subscrispi.

Dorotheus, metropolita Mitylenae, et locumtenens metropolitae Sidensis secutus subscrispi.

Ignatius, metropolita Tornoviensis, secutus subscrispi.

Damianus, metropolita Moldovalachiae, et locumtenens metropolitae Sebastianensis, subscrispi.

Ioasaph, humilis metropolita Amasiae, subscrispi.

Nathanael, metropolita Rhodi et Cycladum Insularum, subscrispi.

Callistus, metropolita Distrae, secutus subscrispi.

Matthaeus, metropolita Melenici, secutus subscrispi.

Gennadius, metropolita Gani, secutus subscrispi.

Dositheus, metropolita Dramae, secutus subscrispi.

Sophronius, metropolita Anchiali, subscrispi.

Bessarion metropolita Nicaeae per mandatum scriptum et subscriptum a Manuele Chrysococco diacono Magno Sacellario, eandem depositionem (Manuelis) hic subsignando loco eius hic demonstro, eum nobiscum sapere et consentire, ac omnes, qui hic sunt, sequi.

Theodorus Xanthopulus diaconus Magnus Custos Sacrarii (cum cimeliis, vasis sacris) subscrispi.

Michael Balsamon, Magnus Custos archivi et archidiaconus.
 Silvester Syropulos diaconus, Magnus Ecclesiarcha (praeses choi) et iudex, subscrispsi.
 Georgius Cappadox diaconus, Primus Defensor, subscrispsi.
 Humilis episcopus Avraam Susdalensis subscribo.
 Constantinus protopapas et locumtenens Maldovalachiae subscrispsi.
 Moyses, sacerdos monachus ecclesiarcha venerabilis ac sacrae imperialis Montis Sancti (Athos) Magnae Laurae locumtenens, subscrispsi.
 Dorotheus, sacerdos monachus et locumtenens venerabilis et sacri magni monasterii Montis Sancti Vatopedii.
 Gerontius, sacerdos monachus abbas venerabilis et sacri imperialis monasterii Christi Regis universi, subscrispsi.
 Athanasius, abbas quondam monasterii Spectabilis (SS. Mariae), subscrispsi.
 Germanus, abbas S. Basilii, subscrispsi.
 Pachomius, sacerdos monachus et abbas S. Pauli, subscrispsi.

Adiuncta sunt sigillum plumbeum Eugenii IV et aureum Iohannis VIII imperatoris.

BLONDUS

66.

Florence, 17 . VIII . 1439

Isidorus Kioviensis et totius Russiae Metropolita Legatus a latere in Lithuania, Livonia et Russia constituitur.

ASV, *Armarium XXXIX*, vol. 6, fol. 46.

TURGENEV J., *op. cit.*, I, p. 120-121, nr. 121.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 41, nr. 56.

HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 74-75 (partim).

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Isidoro Kiewi ac totius Russie metropolite,⁹⁵ in Lithuanie, Lyvонie et Russie provinciis ac in civitatibus,

⁹⁵ Isidorus Metropolita Kioviensis (1436-1458). Obiit anno 1463, die 27 Aprilis et sepultus in Basilica Vaticana. Ab an. circiter 1441 Cardinalis S. R. E. tit. SS. Marcelli et Petri, postea ab an. 1451 (7.II) Card. Episcopus Sabinensis. Hoc tempore vocatus Romae Cardinalis «Russensis» vel «Ruthenus» vel «Ruthenensis». Sub anno 1443 ita habetur adnotatum: «Julii 11. Isidorus tit. SS. Marcelli et Petri, Praesb. card. «Ruthenus» vulgo nuncupatus intravit civ. Senarum sine capello rubeo, associatus a 13 cardinalibus usque ad palatium domini nostri papae, a quo ibidem receptus est ad osculum pacis in consistorio generali et datus ei capellus; et associatus per dictos cardinales, deferens capellum rubrum, ivit ad domum habitationis suaee» (ASV, *Armarium XXXI*, vol. 52); cfr. EUBEL, *Hierarchia catholica medii aevi: Cardinales sub Eugenio IV*. 10 Isidorus Kioviensis. «Aug. 28. Card. "Ruthenus" secessit de Senis, gressus suos dirigens versus partes Graeciae et Russiae» (loc. cit.). Anno 1452: «Maii 20. Isidorus Card. Russiensis secessit de Urbe iturus versus Contantinopolim...» (l. cit.); Anno 1456: «Maii 13. Isidorus Card. Rutenus exivit Urbem iter suum dirigens versus Venetias...» (l. cit.). Anno 1460: «...Card. Ruthenus... discessus a Mantua (gressus suos dirigens versus Orientem)...» (ibid. fol. 28). Anno 1463: «Apr. 27, die Mercurii. Card. Ruthenus appellatus, Isidorus, Romae diem suum clausit extremum...» (*Arm. XXXI*, vol. 52, fol. 28). Anno 1457-8 Metropoliae Kioviensi renuntiavit; cfr. infra respectiva documenta. Cfr. B. BUCYNSKYJ, *Studiji z cerkovnoji uniji: I. Isidorova unija*, in «*Zapysky N.T.S.*», vol. 85, p. 21-42, vol. 86, p. 5-30.

diocesibus, terris et locis Lechie, que tibi iure metropolitico subesse noscuntur, apostolice sedis legato,⁹⁶ salutem etc..

Salvator noster dominus Ihesus Christus, Filius Dei vivi ex alto celorum throno descendens exemplum nobis reliquit, ut quemadmodum discipulos, quos elegeret, in universas mundi partes destinavit, ut omnibus creaturis evangelium predicarent, et sacris christiane fidei institutis humanum genus edocerent, ita nos, qui licet immerit eius vices in terris gerentes christiano generi presidemus, quantum ab ipso nobis conceditur, per suas semitas incidentes, ad absentes fideles nostre considerationis intuitum dirigimus, mittendo ad ipsos personas ydoneas, que executionem voluntatis et solicitudinis nostrae per suas bonas operationes, Deo propicio exequi valeant et eciam adimplere.

Cum itaque iuxta desiderium cordis nostri et diutinam operam per nos impensam per ineffabilem Dei misericordiam et Spiritus Sancti gratiam, qui, ubi vult, spirat, Grecorum ecclesia nobiscum unita sit, ita ut deinceps unum ovile et unicum eis pastorem oves christifidelium recognoscere habeant, Nos cupientes, ut longique et extere nationes huius unitatis suavitatem sentiant et odorem, et ut in ea, Deo auctore, edificantur, utque in vera fide Christi in melius reformati, et illa in eis fiant, per que exaltatio fidei orthodoxe, animarum salus, pax et concordia populorum ac disciplina morum uberius subsequantur, et nomini Christi proveniat incrementum, te, cuius virtus et diligencia in hac sancta unione admodum cognovimus profuisse, et quem Dei benignitas preclaris virtutum dotibus illustravit, ac vite integritate ac morum, nec non magnitudine consilii, rerum agendarum experientia, prudenter quoque et sacrarum litterarum doctrina plurimum exornavit, in Lithuaniae, Livonie, ac totius Russie provinciis necnon in civitatibus, diocesibus, terris et locis Lechie, que tibi iure metropolitico subesse noscuntur, de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane Ecclesie Cardinalium consilio pro statu universalis ecclesie atque nostro nostrum et apostolice sedis legatum de lettere cum plena potestate auctoritate apostolica facimus, constituius et etiam ordinamus, tibi nichilominus in eisdem provinciis et locis edificandi, plantandi, reformati, corrigendi et statuendi omnia et singula, que ed extirpationem heresum, exaltationem atque augmentum catholice fidei, pacem atque unitatem Christifidelium, statum universalis ecclesie, conservationem auctoritatis nostre et apostolice sedis, ecclesiasticam libertatem, morum reformationem profutura cognoveris, prout celestis gratie infusio tuaque tibi sapientia ministrabunt, facultatem et potestatem plenariam concedentes, firma spe fiduciaque conceptis, quod actus tuos dirigente eo, qui novit prava in directa et aspera convertere in vias planas, in dictis provinciis subsequetur fructus Deo laudabilis, quem speramus, ita ut a nobis et sede apostolica meritam gratiam et a Deo eterna premia consequaris, Contra-

⁹⁶ In hac sua legatione Unionem Florentinam Ecclesiarum proclamare debuit. In partibus occidentalibus suae Metropoliae sat bene exceptus fuit, sed postquam Moscoviam venit, a principe Moscoviae Basilio exprobratus fuit et in carcерem detrusus. Unde aufugens in Lithuaniae venit, quam tamen mox relinquere debuit. Demum Romanam se contulit, ubi Cardinalis E. Romanae creatus est.

dictores quoslibet et rebelles auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Datum Florencie, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo tricesimo nono, sexto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno nono.

67.

Florence, 17 . VIII . 1439

Salvus conductus pro eodem Metropolita.

ASV, Reg. Vat., vol. 365, fol. 227v.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 41-42, nr. .

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere nostre pervenerint, salutem etc.

Cum venerabilis frater noster Isidorus metropolita Kyevi ac totius Russie, sedis apostolice legatus, accedat de presenti ad ecclesiam suam, Nos cupientes eundem metropolitam et legatum cum omni sua comitiva ac equis, salmis, valisiis, libris, auro, argento, iocalibus ac aliis omnibus et singulis rebus et bonis suis in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate atque immunitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in Domino, subditis vero et gentium armorum capitaneis nostris districte precipiendo mandamus, quatenus eundem metropolitam et legatum cum sociis et familiaribus, equestribus et pedestribus quibuscumque necnon salmis, valisiis, auro, argento, iocalibus, rebus et bonis suis anis quibuscumque per civitates, terras, castra, oppida, villas, territoria, districtus, passus, portus, pontes et loca alia tam nostra quam vestra, et tam per aquam quam per terram cum sociis, familiaribus, salmis, valisiis, rebus et bonis predictis ire, transire, morari et redire pro nostra et sedis apostolice reverencia sine aliqua dacii, telonei, pedagii, tundi navis et gabelle, aut alterius oneris cuiuscumque exactione et solucione libere permittatis, nullamque tibi, sociis et familiaribus huiusmodi in personis, equis, rebus aut bonis predictis inferatis iniuriam, molestiam vel offendam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri; sed eis potius de libero et seculo transitu, receptu et salvo conductu, si opus fuerit, sic liberaliter providere cures, quod vestra exinde devotio veniat apud nos et sedem predictam merito commendanda.

Datum Florencie, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo tricesimo nono, sextodecimo Kalendas Septembris, Anno nono.

68.

Florentiae, 28 . XI . 1439

Metropolita Isidorus in patriam rediens Johanni Paleologo commendatur.

BIBL. VAT., Vat. gr., vol. 133, fol. IV-V (pergamen.).

EUGENIUS EPISCOPUS. Servus Servorum Dei. Carissimo in Christo filio

Johanni Paleologo, Romeorum Imperatori, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum esset profecturus Venerabilis frater Isidorus, Ruthenorum Archiepiscopus, ut per Hungariam et Germaniam rediret in patriam, casus accidit mortis clare memorie Alberti Romanorum et Hungarie et Boemie Regis. Quam ob rem consultum est predicto Archiepiscopo a Dominio Venetorum, certisque qui illa neverunt itinera, fore tutius sese navigationis longitudini atque periculis exponere, quam illud terrestre iter ingredi per quod, guerris implatum et latrociniis obsessum, maiora et certiora subiret pericula. Nos etiam audito de suspitione ipsa que dicto Archiepiscopo erat proposita, eiusdem fuimus sententie. Veniet itaque, Domino et Deo nostro protegente, Constantiopolim, viis que tibi sibique videbuntur tum tutiores tum etiam commodiores, in patriam accessurus. Quare licet sciamus tuam celsitudinem optime intelligere magnam esse ipsius viri virtutem, non dubitemusque te illum ex corde diligere, tamen cum nos etiam eum amemus, quem novimus et in obtainenda unione multum fideliter et diligentissime laborasse, et speramus plurimum ea conservanda profuturum, non potuimus obstinere, quin has ad te daremus, predictum Archiepiscopum singulari quodam modo commendantes. Nihil enim hoc tempore nobis acceptius facere poteris, quam si predictum Archiepiscopum in hac sua profectione necessariis favoribus etc. prosequeris.

Datum Florentie, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadrage-

simo tricesimo nono, quarto Kal. Decembris, Pontificatus Nostri Anno nono.

A. de Carbonibus

69.

Florentiae,..... 1442

Consiliario Regis Sigismundi Poloniae Doldio, Baroni, de in et excarceratione Metropolitae Isidori Kiovensis. Ex fragmendo Cod. Vat. gr. vol. 1018, secundum lectionem et restorationem J. Metrcati.

BIBL. VAT., *Vat. gr.*, vol. 1018 (sub involucro).

MERCATI GIOVANNI, *Scritti d'Isidoro il Cardinale Ruteno*, in « *Studi e Testi* » nr. 46, Roma 1926, p. 158.

Dilecto filio, nobili viro, Doldio Baroni,
dilecti filii, nobilis viri, Cassimiri Magni Lituanie Ducis consiliario.

EUGENIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio, nobili viro, Doldio Baroni dilecti filii, nobilis viri, Cassimiri Magni Lituanie Ducis consiliario, salutem et apostolicam benedictionem.

anxietate carere donec sentiamus dilectum filium
nostrum Isidorum tit. Sanctorum Petri et Marcellini presb. card.
. in pristinam libertatem reductum fuisse. Hic profecto nepharius
casus plurima molestia ac precipuo dolore
ione Occidentalis et Orientalis ecclesie vigilo et constanti animo incubuit et tam
salutari fidei christiane negotio per honore et . . .

et ab eodem captivatus fuerit et ex possessione sui Archiepiscopatus electus. Auget etiam dolorem nostrum sed nobis et sedi apostolice illata existit. Sed in hac tanta animi perturbatione assumimus dilectus filius *Carissimus magnus Lituaniae Dux tanquam catholicus princeps, cui efficaces litteras scribimus, non patietur consolationem nostram, quia tu ipsius Regis consiliarius existis, qui ad ea que Dei honorem ac es. Itaque Nobilitatem tuam et hortamur in Domino ex corde ut ob reverentiam zelum Sedis Apostolice reverentiam apud prefatum Ducem ad id ut firmiter credimus bene dispositum fil. . . . , instes nq. as ut hanc Dei et fidem causam assumat magno animo et dictum Cardinalem etiam entia que maxima est in pristianam libertatem reducat. Verum cum multa ad Dei laudem prefat erunt, nulla ex suis laudibus maior erit, nullaque amplior quam si memoratum Cardinalem a te idem Cardinalibus postulamus, hoc requirimus et etiam expectamus, ut non modo litteris gloriostius efficere poterit, et nos et sedem predictam ad suos et suorum honores liberetur ut tua etiam mobilitatis huius laudis et meriti particeps sit, et apud Deum*

Datum Florentie Anno Incarnationis Dominice quadringentesimo quadragesimo secundo Pontificatus Nostri Anno . . . ,

Saeculo adhuc XVII existebat alia epistula Eugenii IV ad Regem Casimirum in Codice Vat. greco 807. Hodie tamen non amplius reperiri potest. Nec prostat aliqua copia in Registris Vaticanis Eugenii IV, quia sat conspicua pars Registrorum eius perierat.

70.

Romae, 11 . VI . 1445

Hortatur Isidorus Cardinalis S. Petri et Marcellini, ut frequenter de rebus et negotiis ecclesiasticis perscribat.

BIBL. VAT., Vat. gr., vol. 133, fol. 400v-401 (pergamen.).

Dilecto filio Isidero tit. Sanctorum Petri et
Marcellini presbitero cardinali.

EUGENIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Isidero tit. Sanctorum Petri et Marcellini presbitero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratum nobis est quod crebro ad nos scribas, ac certiores non facias de his presertim rebus, que istic geruntur, sive ad ecclesiasticam, sive ad secularem statum pertineant, teque id sepius facere volumus, nam cum hanc curam ecclesiarum ac infidelium destructionis impense geramus, acceptum nobis ac gratum

est scire in dies quo in statu res se habent, ut favente Domino, in quantum fieri potest, provideamus.

Te vero, filii, exhortamur in Domino ut in facto unionis tibi similis sis, tecum ipse certes ac te in dies superes, nam si antequam sacrosancte Romane ecclesie filius essemus tantum unionis studio invigilabas quantum nos ipsi nominis intelliges profecto quantum nunc debeas cum eiusdem ecclesie non parvum iam membrum etc. factus es.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Mille-simo quadringentesimo quadragesimo quinto, tertio Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno quintodecimo.

B. de Urbino





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

NICOLAUS V
(6.19.III.1447 -- 24.III.1455)
sarzanensis
(Thomas Parentucelli)

DOCUMENTA NICOLAI PP. V

71.

Romae, 6 . IX . 1448

Nicolaus V decernit Catholicos Ritus Latini non posse transire ad Ritum Graecum et viceversa.

ASV, *Registrum Bullarum Nicolai PP. V.*

Bullarum Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum amplissima collectio
opera et studio Caroli Cocquelines, Romae 1743 sq., vol. III, pars III, p. 64.
Bullarium Romanum, ed. Taurinensis, vol. V, p. 100.

NICOLAUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilectis filiis haereticae pravitatis Inquisitori, et Provinciali Provinciae Graeciae Ordinis Praedicatorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae Catholicis in Graecia subiecta sunt, multi Catholici unionis praetextu ad Graecos impudenter transeunt ritus, mirati admodum sumus, mirarique non desistimus, nescientes quid sit quod eos a consuetudine ac ritibus, in quibus nati, enutritique sunt, in alienigenarum ritus transposuit. Nam etsi laudalibes orientalis Ecclesiae ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum ritus permiscere, neque in unquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit.

Quas ob res, quibus quamvis immeritis, huiusmodi rerum omnium cura divinitus imposita est, cupientes citius ne malum longius serpat, huic rei providere, vobis et utrique vestrum sub virtute sanctae obedientiae districte mandamus, ut auctoritate Apostolica in omnibus locis praedictis, cum ea ex officio vestro visitatis, permixtionem Rituum omnino prohibeatis, convocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, contradictores censuris ecclesiasticis, et omnibus aliis iuris remedii compescendo.

Datum Romae apud Sanctam Pudentianam, Anno Incarnationis Domini cae Millesimo quadrigentesimo quadragesimo octavo, octavo Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

72.

Romae, 31 . I . 1450

Monasterium S. Blasii datur Isidoro Metropolitae Kiovensi et Cardinali in commendam.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 414, fol. 18-19.

NICOLAUS etc. Dilecto filio Ysidoro tituli Sanctorum Petri et Marcellini presbiterio Cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Exigit tuorum excellentia meritorum, quam in multis magnis et arduis negotiis Romanae Ecclesie, cuius honorabile membrum existis, iugiter experimur. ut ea tibi favorabiliter concedamus, que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Hinc est quod Nos motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate monasterium Sancti Blasii in Cantustequo alias de la Panygrotta de Urbe, quod olim Ordinis Sancti Benedicti existens cum omnibus iuribus et pertinentiis suis mense capitulari Basilice principis apostolorum, etiam de Urbe, auctoritate apostolica sub certis modo et forma annexum, unitum et incorporatum fuit. et quod dilecti filii Capitulum dicte Basilice unionis, annexionis et incorporationis earundem vigore tenent et possident cum omnibus suis domibus, ortis et aliis bonis illi circum adiacentibus. cum quibus dumtaxat dictum monasterium a prefata mensa harum serie quoad hoc separamus, tibi per te quoad vixeris (f. 18v) una cum Sanctorum Petri et Marcellini, que tamen cardinalatus existit, nec non aliis quibus preesse dinosceris monasteriis quoque prioratibus, dignitatibus ceterisque beneficiis ecclesiasticis secularibus et Ordinum quorūcumque regularibus, que etiam ex quibusvis dispensationibus et concessionibus nunc obtines et in posterum obtinebis, quecumque quotecumque et qualiacumque etiam fuerint. tenendum, regendum et possidendum dicta auctoritate apostolica tenore presentium commendamus. committimus et concedimus, ita quod ipsum monasterium ac ipsius domos huiusmodi inhabitare et de illis et ortis aliquaque circumadiacentibus predictis disponere et ordinare libere et licite valeas, sicut de eis prefati Capitulum disponere et ordinare poterant, alienatione tamen illorum tibi penitus interdicta. Non obstantibus constitutionibus etc. quibuscumque.

Volumus autem quod reliqua bona predicti monasterii ad prefatam mensam spectent et pertineant ac dicti Capitulum ex illorum fructibus, redditibus et proventibus ecclesie monasterii huiusmodi in divinis deservire facere et quecumque eiusdem monasterii onera supportare omnino teneantur. Quodque te cedente vel decedente aut monasterium ipsum alias quomodolibet dimittente, dictum monasterium cum domibus, ortis, et circumadiacentibus praefatis ad predictam mensam revertatur ut prius.

Datum Rome apud Sanctum Petrum. Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, pridie Kal. Februarii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

Grat's propter personam D. Cardinalis
Jo. de Cremonensis

73.

Romae, 8 . II . 1450

Provisio Ecclesiae Sabinensis in persona Isidori Metropolitae Kioviensis, cum retentione in commendam Ecclesiae Kioviensis.



Legatio Petri-Jaropolk, filii Izjaslai, Romam an. 1075.
 Ex "Codice Gertrudiano,, saec. XI, in Cividale, fol. 5v.

NICOLAUS etc. Venerabili fratri Isidoro, Episcopo Sabinensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad exercendum universalis Ecclesie regimen divina dispositione vocati circa quarumlibet ecclesiarum statum aciem sollicite considerationis extendimus partes officii vigilantius adhibentes, ut singule pastoribus committantur ydoneis ac rectoribus providis disponatur quatenus eorum circumspectione et providentia circumspecta huic cooperante clementia qui pastor agnoscitur et bonorum est omnium largitor spiritualium et temporalium proficere valeant incrementis. Cum sane (f. 274v) nuper Sabinensis ecclesia per obitum bone memorie Amedei Episcopi Sabinensis, qui extra Romanam Curiam decessit, pastoris solatio destituta, Nos volentes obviare dispendiis quae ex diutina vacatione solet viduatis ecclesiis imminere, sperantes quoque quod ecclesia ipsa per tuam circumspetam providentiam, iuvante Domino, utiliter regi valeat, et salubriter gubernari, de te qui Sancti Petri et Marcellini de Urbe quam in praesbiteratus et cardinalatus ordine obtinuisti et Russien, cui praefuisti ecclesias hactenus laudabiliter registi et gubernasti a vinculo quo eidem ecclesie Russensi tenebaris de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad paefatam ecclesiam Sabinensem auctoritate apostolica transferimus, providemus teque illi praeficimus in Episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sabinensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma concepta fiducia speque indubia subgerente quod praedicta ecclesia Sabinensis per tue circumspectionis industriam, quam in magnis et arduis continuo experimur, defendetur a noxiis, preservabitur ab adversis, nec non in spiritualibus et temporalibus, auctore Domino, salutaribus proficiet incrementis.

Reverenter itaque iugum Domini recipere studeas et eius suavi oneri colla submittere non obmittas manumque mittere ad sortia ipsius administrationis ecclesie Sabinensis laudabiliter exequaris et commissi tibi Dominici gregis custodiam cures prosequi diligenter sicque te in omnibus que tuo incumbunt officio habiturus, ut regimen patris altissimi ab origine mundi paratum electum accipere ac eiusdem gregem ad uberioris meriti fructum et ad retributionis meriti titulum introducere merearis. Nos enim tibi ut etiam postquam regimen et administrationem honorum seu maioris partis eorum dicte ecclesie Sabinensis assecutus fueris, ecclesiam Russiensem, cui tempore provisionis huiusmodi preeris in commendam quandiu vivis una cum dicta Sabinensi et Sanctae Balbinae de Urbe et quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis ac beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et Ordinum quorumcumque regularibus, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et in posterum forsan obtinebis ac de isthic fructibus, redditibus et preventibus debitibus ex eis illius supportatis oneribus disponere et ordinare sicuti veri dicte ecclesie Russiensis Archiepiscopi, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque honorum mobilium dicte ecclesie Russiensis tibi penitus interdicta, libere et lice possis et valeas. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non ecclesiarum et monasteriorum praedictorum (f. 248), iuramento, confirmatione apostolica tenore praesentium de spirituali dono gratie concedimus, pariter et indul-

gemus, proviso quod propter commendam huiusmodi debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera antedicta.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, sexto Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

Jo. de Cremonensibus





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CALLISTUS III
(8.20.IV.1455 — 6.VIII.1458)

hispanus
(Alonsus de Borja)

D O C U M E N T A C A L L I S T I P P . I I I

74.

Romae, 24 . III . 1457

Ut provideatur de aliquo subsidio pro substendatione expensarum Cardinalis Isidori, datur ei in commendam monasterium Cisterciensium S. Mariae de Nogara, in dioecesi Messanensi.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 451, fol. 279v-281.

CALISTUS etc. Venerabili fratri Isidoro, Episcopo Sabinensi, salutem etc.

Ad personam tuam quam divina clementia precipuis illustravit gratiarum muneribus paterne dirigentes considerationis intuitum, et attente prospicientes quod tu Romane ecclesie, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum quin immo debitum reputamus, ut eam tibi reperias in exhibendis gratiis benignam et in tuis opportunitibus munificam, ac etiam liberalem.

Dudum siquidem omnia monasteria quorum fructus redditus et proveniens ultra ducentos florenos auri de camera secundum communem es. valeant annuatim hec vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his aliquis quavis auctoritate scienter vel ignoranter (f. 280) contingeret attemptari. Cum itaque postmodum monasterium Beate Marie de Negaria Cisterciensis Ordinis, Messanensis dioecesis cui quondam Andreas de Manelli illius Abbas dum viveret presidebat, per obitum eiusdem Andree, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacet ad presens, nullusque de illo preter Nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, Nos attendentes quod licet cardinalatus prefulgeas dignitate ad supportandas tamen expensarum onera, que te iugiter de necessitate subire oportet rerum non affluis ubertate, tibi ut onera predicta facilius perferre valeas de aliquo subventionis auxilio providere spiritualemque gratiam facere volentes, motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate monasterium predictum quod conventuale existit, cuiusque fructus, redditus et proventus quingentorum florenotum auri de Camera pror... va.an. ut accepimus non excedi sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persone seu per liberam dicti Andree vel, alicuius alterius de illo in dicta Curia vel extra eam et coram Notario publico et testibus sponte factis resignatione, aut constitutione fe.re. Johannis PP. XXII, Predecessoris nostri, quae incipit: *Execrabilis, vel assecutione alterius ecclesiastici beneficii quavis auctoritate collati vacet et si tanto tempore vacavit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta*

Concilii ad Sedem Apostolicam devoluta ipsumque monasterium specialiter vel alias generaliter reservatum et in ipso abbatialis dignitas principalis curata et electiva existat, et ad illud consueverit quis per electionem assumi eique cura incumbat animarum, super eoque inter aliquos lis in dicta Curia vel extra eam, lis eiusque statum presentibus nostris volumus pro expressis, pendeat indecisa cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis tibi per te quoad vixeris una cum Sabinensi, cui preesse dignosceris ac ilius ecclesiis, monasteriis, prioratibus, officiis, canonicatibus et prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus cum cura et sine cura que obtines vel obtinebis quemque quotcumque et qualiacumque fuerint, tenendi, regendi et gubernandi ita quod debitorum et consuetorum ipsius monasterii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, et proventibus, disponere et ordinare, sicut veri illius monasterii abbates, qui fuerunt pro tempore de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium ipsius monasterii tibi penitus interdicta, libere et licite valeas, apostolica auctoritate commendamus, decernentes prout omnino irritum et (f. 280v) inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsitan est hactenus vel in posterum contigerit attemptari.

Non obstantibus pie me, Bonifacii PP. VIII, Predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus, et quod tu eiusdem Ordinis professor non existis, nec non statutis et constitutionibus monasterii et Ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de monasteriis huiusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel Legatorum eius literas impetrarunt et si per eas ad inhibitionem, resignationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in assecutione dicti monasterii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem monasterii aut beneficiorum aliorumque preiudicium generari. Scusi Venerabili fratri nostro Episcopo Messanensi et dilectis filiis conventui dicti monasteri pro tempore existenti vel quibusvis aliis eorum vel divisim ab eadem sit Sede indulatum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de monasteriis huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis eorum collationem provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantem nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differi, et de quacumque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis, proviso quod propter huiusmodi commendam monasterium ipsum debitum non fraudetur obsequiis et animarum cura in eo, si qua illi imineat, nullatenus negligatur, sed illius consueta onera congrue supportentur. Nullus ergo etc. infringere etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCCLVII nono Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno tertio.

75.

Romae, 24 . III . 1457

Episcopo Cartaginensi aliisque committitur introductio Isidori cardinalis in possessionem monasterii Cisterciensis S. Mariae de Nogaria, ei in commendam dati.

ASV, Reg. Vat., vol. 451, fol. 280v-281.

CALISTUS etc. Venerabilibus fratribus Foliarum et Cartaginen. Episcopis ac dilectis filiis Francisco Copule Canonico Siracusano, salutem etc.

Hodie Venerabili fratri nostro Isidoro, Episcopo Sabinensi, monasterium Beate Marie Nogaria Cisterciensis Ordinis Messanensis diocesis tunc per obitum quondam Andree de Mannelli, olim ipsius monasterii Abbatis, eidem dum viveret presidenti, extra Romanam Curiam defuncti vacans et antea dispositioni apostolice reservatum cum omnibus fructibus et proventibus suis apostolica auctoritate motu proprio una cum Sabinensi, cui preest ac aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus etc. et gubernandi commendavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum si et postquam litere predicte vobis presentate fuerint per vos vel alium seu alios eundem Isidorum Cardinalem vel procuratorem suum eius nomine et temporalibus possessionem monasterii iuriumque et pertinentium predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore facientes ipsum Isidorum Cardinalem vel pro eo procuratorem praedictum ad dictum monasterium ut de moris admitti sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvenientibus universis integre respondere. Non obstantibus omnibus que in dictis literis voluimus non obstare, aut si Venerabili fratri nostro Episcopo Messanensi et dilectis filiis conventui dicti monasterii vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sede sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Datum ut supra.

Gratis propter personam Cardinalis

A. Trapezuntinus

M. de Casalcono

76.

Romae, 21 . IV . 1457

Archiepiscopo latino et civitatis Leopoliensis Christifidelibus latinis conceditur gratia celebrandi Missas, coram S. Sacramento exposito, et una in mense publicam cum eo facere processionem.

ASV, Reg. Vat., vol. 461, fol. 259rv.

CALISTUS etc. Venerabili fratri Gregorio, Archiepiscopo Leopoliensi, salutem etc.

Cum populum Dei spiritualibus epulis desiderio spirituali pascere delectemur, eo tamen singularius in Misse ministerio illum reficere nos delectat, quo inibi pro cunctis Christifidelibus omnium Salvator immolatur et eucaristie sacramentum universalem gratiam significans ostenditur et ab eisdem adoratur.

Sane pro parte tua ac dilectorum filiorum Communitatis et hominum civitatis Leopoliensis nobis nuper exhibita petitio continebat quod in civitate predicta, que in metis Tartarorum sita et eorum insultibus maximum repugnaculum ac versus plagam illam ultima christianorum civitas diversis aliis nationibus infidelibus murus existit, plurimi scismatici commorantur (f. 259v), qui si aliqua apparenti devotione allicerentur forsan eorum depulsis erroribus ad christianam fidem se converterent.

Quare pro parte tua et dicte Communitatis nobis fuit humiliter suppli-
catum ut super hoc opportune providere paterna diligentia curaremus. Nos
igitur qui eiusdem fidei propagationem et argumentum supremis affectibus de-
sideramus huiusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tue et Successori-
bus tuis pro tempore existentibus Archiepiscopis Leopoliensibus singulis quin-
tis feriis solemnem Missam de corpore Christi in maiori ecclesia Leopoliensi
ad illius altare maius celebrari et semel in mense eadem feria processionem
solemnem, ac Missa predicta durante sacramentum corporis Domini in mon-
strantia transparenti supra dictum altare tenendi et etiam eadem feria semel
quolibet mense processionem solemnem in qua dummodo sine ignominia fieri
possit, super quo tuam et dictorum successorum tuorum conscientias onera-
mus, sacramentum predictum cum reverentia et devotione populi consueta
circumquaque dictam ecclesiam deferri. Constitutionibus et ordinationibus
apostolicis etc. nequaquam obstantibus, plenam et liberam auctoritate apos-
tolica tenore presentium concedimus facultatem.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCLVII undecimo
Kal. Maii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

77.

Romae, 3 . IX . 1457

*Calistus III Praesbyteros graecos inter Missarum solemnia Romani Pontificis
nomen elata voce canere, integrumque « Credo » iuxta Romanae Ecclesiae
Ritum dicere obligatos fore decernit.*

Bullarum Privilegiorum etc., Romae 1743, vol. III, p. III, p. 90-91.
Bullarum Romanum, ed. Taurinensis, vol. V, p. 139-140.

ASV, *Registrum Bullarum Calisti PP. III, de Curia*, vol. XIII, f. 130.
ASV, *AA. Arm. I-XVIII*, nr. 1280, fol. 102-104.

CALISTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Reddituri de commisso nostre sollicitudini grege fidelium illi, qui nobis licet immeritis eundem sua bonitate commisit, in extremo iudicio rationem, summis, ut tenemur, studiis illos, quos plerumque a fidei catholice saluberrimis institutis tortuosus coluber humani generis aemulus venenosis suggestiobibus divertere, et deviare molitur, Salvatori nostro, qui non mortem, sed

conversionem, et vitam desiderat peccatoris restituere, et ad viam veritatis que Christus est, reducere procuramus, atque toto nisu exquirimus id pro eorum salute, et reductione efficere, per quod animarum suarum profectibus consulatur, nosque in ratione reddenda divine iustitie possimus evadere ultionem.

Sane licet nostris temporibus, dum minori fungeremur officio, Orientalis Grecorum Ecclesia in Concilio generali per Latinos et Grecos Florentie celebrato Sacrosancte Romane Ecclesie coniuncta fuerit, et unita, qui tamen inter cetera ex his, que in ipso Concilio sancita, et salubriter decreta fuerunt, aliqua per ipsos Grecos, quemadmodum fieri decebat, minime observantur, cupientes pro salute animarum decreta predicta ad cunctorum notitiam deduci, et ea ubilibet inviolabiliter observari, ne oblivione incuriaque causantibus successu temporis a memoria axcidant, et neglectui data vilescant, ac periculum pariant animarum, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus, et ordinamus, quod ex nunc in antea omnes et singuli Presbiteri et Sacerdotes graeci ubilibet existentes intra Missarum solemnia nomen Romani Pontificis in loco deputato alta, et intelligibili voce exprimere, ac pro ipsius, et S.R.E. incolumitate, statuque pacifico orare teneantur, et debeant iuxta doctrinam Salvatoris nostri, qui in Petri et Apostolorum personis figurare nos instruit, dicens: qui vos recipit, me recipit, et qui recipit me, recipit Patrem meum; ex quo recte elicetur, Petrum et Successores suos recipientes beatitudinem adepturos; de Petro enim super alios dixit, quia post Apostolos Cephas, et Caput in Ecclesia universalis mansurus erat, cuius oppositum ipsa veritas in eodem loco disseruit, cum ait, qui non recipit vos, non recipit me, et qui non recipit me, non recipit Patrem meum, ex quo pariformiter infertur, tales incurrire damnationem eternam, de quo iterum Salvator pulchre in Evangelio clarius exprimit, dicens: oves mee vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et ee cognoscunt me, et ego do eis vitam aeternam; vox enim Christi a fidelibus audiatur, cum in ore Sacerdotum nomen Vicarii Jesu Christi, qui ipsius vices gerit in terris, et cui pascendarum ovium cura commissa est, publice nuntiatur; omnes namque per obedientiam Pastorem agnoscunt, Pastor vero Summus Pontifex Claviger, et Ostiarus Regni Celestis, et ostium paradisi aperit, et ad perpetua beatitudinis pascua fideles per mandatorum semitas incidentes salubriter introducit; divino namque iure sancitum est, ac omnium Sacrosancte Catholice Ecclesie Doctorum sententia comprobatum, ut singula membra capiti, id est Romano Pontifici Apostolico se debeant per omnia reconformare, a quo nostrum est querere quid credere, quid tenere debeamus, quoniam ipsius solius est statuere, disponere, solvere, et ligare, qui vice Christi fungitur, et ab eo vobis in Pastorem dedicatus existit, cui omnes Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, ceterique Christicole tanquam indubitato Vicario Jesu Christi obtemperant.

Demum ut illa vetustissima, periculosaque, et damnanda opinio in eodem, et aliis Conciliis continuo reprobata, qua nonnulli minus veraciter affirmare presumebant, Spiritum Sanctum a Patre solo procedere, penitus eradiciari valeat, et quod Sacrosancta Romana Ecclesia profitetur, tenet pariter, et affirms, eundem videlicet Spiritum Sanctum ab eodem Patre, et Filio equaliter procedere, sicuti beatus Athanasius, lumine eiusdem Spiritus illus-

tratus, edocuit, dicens, eundem Spiritum Sanctum non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre et Filio eternaliter procedere, pectoribus singulorum fidelium pro eorum salute, et directione inseratur, similiter statuimus, ac etiam ordinamus, quod iidem Presbiteri et Sacerdotes, dum infra earundem sacra Missarum solemnia simbolum ex ordinatione Ecclesie canunt, aut dicunt, illud integre secundum ritum eiusdem Romane Ecclesie intelligibiliter dicere teneantur, et debeant, videlicet: qui ex Patre, Filioque procedit; alioquin omnes et singulos, qui huic articulo orthodoxe fidei ad nostram profecto salutem necessario, et in tot Sanctorum Patrum Conciliis iteratis vicibus approbato contradicere, aut eiusdem Catholice Ecclesie institutiones observare recusaverint, vel malitiose neglexerint, sententias, censuras, et poenas in eisdem et precipue Florentino Conciliis antedictis in tales generaliter latas, inflictas, ac promulgatas, et anathema trecentorum decem et octo Patrum, nisi a premissis erroribus resipiscere, et unitati eiusdem Ecclesie se per omnia illico conformare studuerint, incurrire volumus ipso facto.

Quapropter ne per taciturnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant damnabiliter longiores, dictricte precipimus, et mandamus quatenus processio Spiritus Sancti a Sacerdotibus grecis explicite, et manifeste ponatur in simbolo, ut fides ad iustitiam teneatur, in corde, et ad salutem omnium eius fiat oris confessio, se tanquam filii obedientes semper Sacrosancte Ecclesie Romane matris sue per omnia conformatantes, ut fiat unum ovile, et unus Patronus, iuxta ipsius sententiam Salvatoris.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, precepti, et mandati infringere, etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadragesimo quinquagesimo septimo, tertio Nonas Septembbris, Pontificatus Nostri Anno III.

78.

Romae, 16 . 1 . 1458

Calixtus III nominat Macarium Episcopum Haliciensem.

ARCHIVUM CENTRALE VARSAVIENSE, *Metryka Koronna*, XI, p. 186-187.

WIERZBOWSKI T., *Matricularum Regni Poloniae summaria*, t. I, nr. 473.

Ateneum Wilenskie, 1 (1923), p. 64-65.

CALISTUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Dilecto filio Machario de Servia electo Gallicensi,⁹⁷ salutem et apostolicam benedictionem.

Dum ad universos orbis ecclesias, quarum cura nobis divina disponente clementia interest generalis, aciem nostre consideracionis extendimus, illa-

⁹⁷ De hac renovatione Metropoliae Haliciensis facta per Romanum Pontificem Callistum III silent historiographi, nec Macarium dictum inter Archiepiscopos Halicienses ponunt. Cfr. ex. gr. elenchos in libro A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, in appendice.

rum propensior cura nos angit, quas dispendiose vacationis incommoda sustinere conspicimus, ut illis secundum cor nostrum viri preficiantur idonei, qui ecclesias ipsas non solum in spiritualibus et temporalibus gubernent utiliter, sed eciam multimodis efferant incrementis. Cum itaque hodie de fratribus nostrorum consilio ecclesiam gallicensem, que alim magna pars Chiv⁹⁸ et archiepiscopatus Russie fuerat et quam venerabilis frater noster Isidorus episcopus Sabinensis in commendam obtinebat, ex certis rationalibus causis in cathedralem ecclesiam duxerimus auctoritate apostolica erigendam et commendam huiusmodi, revocando nos ad provisionem ipsius ecclesie Gallicensis celerem et felicem de qua nullus preter nos hac vice intromittere potuit sive potest, ecclesiam ipsam ne longe vacationis subiaceat incommodis, paternis sollicitudinibus intendentis, post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum monasterii sancti Cipriani constantinopolitani ordinis sancti Basilii ordinem ipsum expresse professum et sacerdocio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium prudentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta praefate ecclesie de eorundem fratribus consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod praefata ecclesia sub tuo bono et felici regimine, gracia divina tibi assistente, propicia regetur utilitate et prospere dirigetur grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipientis curam, et administrationem predictas sic exercere studeas soliciter, fideliter et prudenter, quod prefata ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retribucionis premium nostram ac prefate sedis benedictionem et graciam exinde uberioris consequaris.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, decimo septimo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

A. Trapezuntinus

⁹⁸ Kioviae.

79.

Romae, 16 . I . 1458

Calistus III Macarium Episcopum Haliciensem Regi Poloniae Casimiro commendat.

ARCH. CENTR. VARS., *Metryka Koronna*, XI, p. 189.
Ateneum Wilenskie, 1 (1923), p. 65-66.

CALISTUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio Casimiro^{⁹⁹} regi Polonie illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Gracie divine premium et humane laudis preconium acquiretur si per seculares principes prelatos, presertim ecclesiarum cardinalium regimini presidentibus oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie gallicensi, quam in cathedralem ecclesiem auctoritate apostolica de fratum nostrorum consilio ereximus, de persona dilecti filii Macharii de Seruia, electi gallicensis, tunc monachi monasterii sancti Cipriani constantinopolitani ordinis sancti Basilii, ordinem ipsum expresse processi et in sacerdotio constituti, de eorundem fratum nostrorum consilio, pretata auctoritate providimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administracionem dicte ecclesie sibi in spiritualibus et temporibus plenarie committendo, prout nostris inde contentis literis plenius continetur.

Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos viribus et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatenus prefatum electum et eandem ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et sedis apostolice reverencia propensius commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita ut quod idem electus, tue celsitudinis fultus presidio, in commissione sibi cure pastoralis officio posset Deo propicio prosperari et tibi exinde a Deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio graciarum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice quadragesimo quinquagesimo octavo, decimo septimo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

A. Trapezuntinus

80.

Romae, 18 . IV . 1458

Conceditur Isidoro Cardinali Praepositura in dioecesi Cathaniensi ad sublevanda onera expensarum.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 452, fol. 70v-72.

CALISTUS etc. Venerabili fratri Isidoro, Episcopo Sabinensi, salutem etc.
 Dum exquisitam tue circumspectionis diligentiam attendimus ac seria

^{⁹⁹} Casimirus Rex Poloniae (1447-1492), ex familia Jagello.

meditatione pensamus quod tu Romanam ecclesiam, cuius honorabile mem-
brum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum im-
mo potius debitum reputamus, ut eam tibi reperias in exhibitione gratiarum
munificam, et in tuis opportunitatibus liberalem. Dudum siquidem omnes
dignitates in collegiatis ecclesiis principales tunc vacantes et in antea vacatu-
ras collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum
et inane etc. attemptari. Ed demum prepositura ecclesie Beate Marie de Ele-
mosina Cathaniensis, que dignitas inibi principalis existat, cuique parrochiali-
lis ecclesia Sancte Catherine Cathanien canonice est annexa, atque quondam
Johannes de Oliverio ipsius ecclesie prepositus dum viveret obtinebat per
obitum dicti Joannis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extre-
mum, vacante nos de illa sic vacante et antea dispositioni apostolice reservata
dilecto filio Johanni de la Ficarra, presbitero Cathaniensi, concessimus provi-
deri. Cum itaque hodie prefatus Johannes de la (f. 71) Ficarra literis aposto-
licis super huiusmodi concessionis gratia non confectis dicte prepositure,
possessione prius non habita concessionis, gratie huiusmodi ac omni iuri
sibi in dicta prepositura vel ad eam quomodolibet competenti in manibus
nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duxerimus admitten-
dam ac prefata prepositura adhuc, ut prefertur, vacans noscatur, nullusque
de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et de-
creto obstantibus supradictis, nos tibi qui etsi cardinalatus honore prefulges
ut expensarum onera que te iugiter de necessitate subire oportet facilius
supportare valeas, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu
proprio etc. Preposituram predictam cui cura imminet animarum, et ad
quam quis per electionem assumi consuevit, cuiusque fructus etc. quadra-
ginta florenorum de camera... ut accepimus non excellunt, sive premisso sive
alio quovis modo aut iuxta alterius cuiuscumque persone seu per liberam resi-
gnationem etc. (*ut sub die 24 . III . 1457*)... vel in posterum contigerit attemp-
tari. Non obstantibus Bonifacii PP. VIII etc. contrariis quibuscumque. Aut
si aliquis super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus etc. volumus an-
teferri. Sed nullum per hoc eisque (f. 71v) ad assecutionem etc. Seu si Vene-
rabili fratri nostro Episcopo Cathaniensi et dilectis filiis Capitulo eiusdem ec-
clesie vel quibusvis aliis etc. impediri valeant quomodolibet aut differri etc.
Aut si presens non fuerit etc. non teneri. Nos enim tecum ut preposituram
predictam recipere et una cum Sabinensi, cui preesse dignosceris et aliis
ecclesiis, monasteriis etc. dispensamus, proviso quod Sabinensis in spiritua-
libus non ledatur et in temporalibus nulla sustineat detrimenta nec non alie
ecclesie et beneficia predicta debitissima propterea non fraudentur obsequis et
animarum cura in eis, quibus illa imminet nullatenus negligatur, sed eorum
congrue supportantur onera consueta.

Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCCLVIII quartode-
cimo Kal. Maii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

81.

Romae, 18 . IV . 1458

Episcopo Cartaginensi aliisque datur facultas introducendi Cardinalem Isidorum in possessionem Praepositurae sibi concessae.

ASV, Reg. Vat., vol. 452, fol. 71v-72.

CALISTUS etc. Venerabili fratri Episcopo Cartaginensi et dilectis filiis Cantori ecclesie Cathaniensis, ac Priori pioratus Sancte Venete de Masthali Messanensis diocesis, salutem etc.

Hodie motu proprio Venerabili fratri nostro Isidero, Episcopo Sabinensi, preposituram ecclesie Beate Marie de Elemosina Cathanien, que dignitas inibi principalis existit (f. 72), tunc et dicto modo vocantem cum annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate apostolica cunctulimus et de illa etiam providimus gratirose, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum si et postquam dicte litere vobis presentate fuerint, per vos vel alium seu alios prefatum Isidorum Episcopum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prepositure iuriumque et pertinentium predictorum etc. facientes ipsum Isidorum Episcopum etc. integre responderi, non obstantibus omnibus que in dictis literis voluimus non obstare. Seu si Venerabili fratri nostro Episcopo Cathaniensi etc. sit indultum etc. mentione. Contradictores auctoritate medesima, appellatione postposita, compescendo.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCLVIII, quarto-decimo Kal. Maii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

Gratis propter personam D. Cardinalis
A. Trapezuntinus





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

PIUS II
(19.VIII.3.IX.1458 — 15. VIII. 1464)
senensis
(Aeneas Silvius Piccolomini)

DOCUMENTA PII PP. II

82.

Romae, 3 . IX . 1458

Bulla provisionis Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Gregorii et nova circumscriptio eiusdem provinciae ecclesiasticae.

ASV, Reg. Vat., vol. 468, fol. 155v-156v.

Polnoje sobranije russkikh letopisej, vol. VI, p. 319-320, St. Peterburg, 1853.

HOFMANN G., S. J., *Papst Pius II und die Kircheneinheit des Ostens*, in «Orientalia Christiana Periodica» vol. XII, n. III-IV, p. 230-2, Roma 1946.

PIUS etc. Dilecto filio Gregorio¹⁰⁰ electo Chieviensi Lituaniae et totius Russie inferioris, salutem etc.

Decens reputamus et congruum, ut provisiones ecclesiarum, precipue cathedralium, que de certa scientia romani pontificis processerunt, licet eius superveniente obitu litere apostolice confecte non fuerint, super illis apostolice sedis interveniente presidio plenum sortiantur effectum.

Dudum felicis recordationis Calistus papa III, predecessor noster, provida consideratione attendens, quod iniuritatis et perditionis filius Ionas de Moscovia¹⁰¹ monachus ordinis S. Basillii scismaticus ad dignitates et honores ecclesiasticos ambitiose aspirans, spiritu rebellionis assumpto, se pro archiepiscopo ruthenensi ausu sacrilego gerere et nominare, ac venerabili fratre nostro Ysidoro episcopo sabinensi et ex dispensatione apostolica archiepiscopo ruthenensi a sede sua ruthenensi electo¹⁰², in archiepiscopatu predicto non vacante temeritate propria se de facto intrudere et archiepiscopatum ruthennensem predictum in anime sue periculum ac sedis apostolice vilipendium indebitate detinere presumpserat, idem predecessor volens, quantum sibi ex alto permisum fuerat, animarum periculis et tante presumptioni congruis, quibus poterat, remedii obviare, de venerabilium fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio et apostolice plenitudine potestatis ac eiusdem Ysidori archiepiscopi expresso consensu provinciam ruthenensem superiorem dumtaxat, illam videlicet, que per scismaticum, ac inferiorem,

¹⁰⁰ Gregorius II, Metropolita Kioviensis catholicus (1458-1472). Multum adlaborare debuit ut recognosceretur tum in Lithuania, tum in partibus Moscoviae subiectis. Cfr. B. BUCYNSKYJ, *op. cit.*: *Mytropolyt Hryhorij. «Z.N.T.S.»,* vol. 88, p. 5-22.

¹⁰¹ Ionas post Isidori expulsionem et fugam «metropoliam moscovensem» iam ab an. circiter 1443 arripuit, quam obtinebat usque ad an. 1461, de confirmatione Patriarchae Constantinopolitani nihil curans. Ab hac scissione metropoliae Kioviensis et rebellione contra Ecclesiam Constantinopolitanam initium habuit Metropolia Moscoviensis (1448), que dein in Patriarchatum eiusdem nominis crevit (1589).

¹⁰² Anno 1441 a principe Moscoviae Basilio in carcerem detrusus est, e quo die 15.IX.1441 aufugit. Cfr. supra nota 95.

que per catholicum, scilicet carissimum in Christo filium nostrum Cazimiri Pollonie illustrem regem gubernantur, in duas partes auctoritate apostolica divisit, nec non eadem ruthenensi ecclesia quoad reliqua sub regimine et gubernatione eiusdem Ysidori archiepiscopi, qui etiam partem regiminis et administrationis sue ecclesie antedictae ad effectus infrascriptos sponte cessit, remanente, in parte inferiori ruthenensi chievensem ecclesiam cum Lituanie et totius Russie inferioris partibus illis dumtaxat, in quibus secundum ritum grecorum sub obedientia archiepiscopi ruthenensis degentium vivitur et que sub dominio prefati regis Pollonie existunt, in metropolitanam cum insigniis, privilegiis et honoribus ecclesie metropolitane de iure vel consuetudine laudabili competentibus eadem auctoritate erexit eamque cum inferioribus partibus antedictis per proprium archiepiscopum regendam et gubernandam fore de ipsorum fratum consilio statuit, decrevit ac etiam ordinavit sibique breanchicensem¹⁰³, smolenisquensem, poluschicensem, turrovensem, luschocensem, vladimirensem, peremisensem, culmensem et gallicensem ecclesias, quas ab eadem ruthenensi ecclesia auctoritate prefata ex certa scientia dimembravit, separavit atque divisit in suffraganeas assignavit ac Ionam predictum et quemlibet alium ipsius successorem eiusdem ecclesie et partium predictarum detentorem sententialiter amovit ac ad provisionem ipsius ecclesie chievensis celerem et felicem, de qua nullus preter ipsum predecessorem ea vice se intromittere poterat, ne prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis mediis intendens, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesiae chievensi personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuit diligenter, denum ad te abbatem monasterii S. Demetrii constantinopolitani dicti ordinis S. Basilii in presbyteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multipicum virtutum donis apud eum fide digna testimonia perhibentia extiterunt, direxit oculos sue mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua sibi et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem chievensi ecclesie ac partibus (Russie) inferioris antedictis de fratrum eorundem consilio vide licet duodecimo kal. augusti pontificatus sui anno quarto auctoritate apostolica providit teque illi prefecit in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie chievensis et partium predictarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo.

Cum itaque postmodum idem predecessor litteris apostolicis super provisione huiusmodi non confectis, sicut domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti volentes, quod a predecessore predicto actum extitit, plenum sortiatum effectum, ac sperantes, quod dicta chievensis Lituanie et Russie inferioris ecclesia una cum suffraganeis predictis sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus recipiet incrementa, discretioni tue per apos-

¹⁰³ Sedes hae aliquantulum corruptis nominibus hic vocantur: Briancensis, Smolencensis, Polocensis, Turoviensis, Luceorienensis, Volodimiriensis, Peremisiensis, Chelmensis, et Haliciensis. Ut patet fere omnes hae sedes episcopales sitae erant in terris Belorussiae et Ucrainae.

tolice scripta mandamus, quatenus iugum Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solcite, fideliter et prudenter, quod ipsa chievensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Romae, apud S. Petrum, Anno etc. MCCCCCLVIII, tertio nonas Sept., Pontificatus Nostri Anno primo.

83.

Romae, 3 . IX . 1458

Pius II Regem Poloniae Casimirum hortatur ne aliquem se in Ecclesiam Metropolitanam Kioviensem intromittere sinat, sed ut Gregorium ad hanc Sedem electum defendat.

ARCH. CENTR. VARS., *Metryka Koronna*, XI, p. 191-2.
WIERZBOWSKI T., *op. cit.*, I, nr. 533.
Ateneum Wilenskie, I (1923), p. 67-68.

PIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio regi Polonie illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter alias maximas curas summi pontificis et ecclesie romane illa precepsa est que agit, ut de gubernacione atque regimine ecclesiarum ingiter cogitet et utiliter, quantum fieri potest, provideat. Quare cum venerabilis frater noster Isidorus episcopus Sabinensis et antea canonice archiepiscopus Chievensis et totius Russie et postea ex dispensacione apostolica eiusdem ecclesie administrator in manibus felicis recordacionis Calisti pape tertii, predecessoris nasi, cesserit et de persona venerabilis fratris Gregorii provisum sit, prout de litteris desuper contentis plenius continetur, celsitudinem tuam hortamur sicut carissimum et peculiarem nostrum ac romane ecclesie filium, ut omni favore atque subsidio eum defendas et protegas faciasque, ut realiter et cum effectu ecclesiam sibi ab apostolica sede datam consequatur et regat pacifice, sicut canonice electus archiepiscopus et secundum grecos ritus a venerabili fratre nostro Gregorio patriarcha constantinopolitano ordinatus. Virtutis enim opus est Dei ministros amplecti et causam ecclesie protegere. Nec permittas Ionam scismaticum et rebellem, qui se intrusit in illam ecclesiam nec alium, qui simili modo se intruserit, nec si forte a profano patriarcha constantinopoli, qui a Turcorum domino prepositus est, aliquis accesserit ullo modo ipsum accipias, quinimo tanquam ecclesie hostem omnibus penis et edictis persequaris, atque a regionibus tue celsitudini subiectis sicut zizaniorum seminatores extermines neque aliquem huiusmodi hominem permittas ad Moscouie et Magne Russie partes ac alias superiores per loca tua transire; lupi enim sunt in oves Christi magnopere sevientes.

Sed pro istis omnibus mittimus ad celsitudinem tuam nuncium et oratorem nostrum dilectum filium nobilem virum Nicolaum Zagupiti, equitem

et comitem sacri nostri palatii lateranensis, a quo maiestas tua plenius informabitur; quare fidem indubitam prebeas ei in omnibus. Et si contigerit dictum archiepiscopum et Nicolaum simul vel divisim velle in partes Superioris Russie transire intuitu nostro sis ipsis vel alteri eorum favori atque subsidio ita, ut facilius iter illud peragere possint.

Datum Romae apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo quinquagesimo nono (*octavo*), tertio Nonas Septembris, Pontificatus Nostri Anno 1.

Carissimo in Christo filio Casimiro regi Polonie illustri.

84.

Romae, 3 . IX . 1458

Pius II Regi Poloniae Casimiro Gregorium Archiepiscopum Kiovensem commendat aliosque intrusos ex eadem Sede eicere iubet.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 468, fol. 157v.

ARCH. CENTR. VARS., *Metryka Koronna*, XI, p. 191-2.

WIERZBOWSKI T., *op. cit.*, I, nr. 532.

Ateneum Wilenskie, 1 (1923), p. 68-69.

PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom...* I, p. 471, nota 114.

PIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio Casimiro regi Polonie illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Gracie divine premium et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares principes prelatis, presertim ecclesiarum kathedralium regimini presidentibus oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Dudem siquidem ecclesia Chieuensi tunc ex eo vacante quod venerabilis frater noster Isidorus episcopus Sabinensis et ex dispensacione apostolica archiepiscopus Chieuensis et totius Russie ipsius ecclesie, cui tunc preerat regimini et administrationi, in manibus felicis recordationis Calisti pape III. predecessoris nostri, videlicet duodecimo kalendas Augosti pontificatus sui anno quanto sponte cessit, idem predecessor cessione huismodi per eum admissa, ecclesiam Chieuensem predictam cum Lithuaniae et totius Russie Inferioris partibus, illis duntaxat, in quibus secundum ritum Grecorum et sub obedientia archiepiscopi Ruthenorum degentium vivitur, et que sub tuo temporali dominio existerent, a Moschouensi et Russie Superioris partibus, que per scismaticum et rebellem ac iniuritatis filium Ionam monachum se pro archiepiscopo Russie totius gerentem occupantur separavit et divisit eandemque Chieuensem ecclesiam cum inferioribus partibus antedictis ac Breanischicensi, Smolenisquicensi, Polimssicensi, Turrouicensi, Lushocensi, Wladimirensi, Peremislensi, Culmensi, et Gallicensi episopis suis suffraganeis sibi tunc per eundem predecessorem specialiter assignatis per proprium archiepiscopum regendam et gubernandam fore de venerabilium fratrum nostrorum sancte romane ecclesie cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio et assensu statuit, decrevit ac eciam ordinavit, eundem Ionam et quemlibet alium ab illis realiter et omnino ammovit. Et demum dicta die¹⁰⁴ de persona di-

¹⁰⁴ Id e. 21 Julii 1458.

lecti filii Gregorii electi Chieuensis, tunc abbatis monasterii sancti Demetrii constantinopolitani ordinis sancti Basilii in presbiteratus ordine constituti ob suorum exigentiam meritorum eidem ecclesie Chieuensi de ipsorum fratrum consilio apostolica auctoritate providit ipsumque illi prefecit in archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris pro eo, quia dictus predecessor antequam eius littere desuper conficerentur, sicut Domino placuerit, debitum nature persolvit, plenius continetur.

Cum igitur, fili carissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi et eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem electum et prefatam ecclesiam Chieuensem cum partibus supradictis sue cure commissum habens pro nostra et dicte sedis reverentia propensius commendatos, non permittas eundem Iohannem¹⁰⁵ scismaticum vel alium loco sui in illis partibus in archiepiscopum recipi vel admitti, neque sibi per clerum et populos tue dicioni subiectos in aliquo obedientiam aut reverentiam exhiberi, quinimo si in tuam unquam devenerit potestatem ipsum vel alium tanquam scismaticum atque rebellem capies, carceribus mancipari ac detineri facias, donec iusto romane ecclesie iudicio, nisi a ceptis resipiscat, fuerit condemnatus. Eundemque electum in ecclesie sue possessione pacifice assequenda et retinenda ac obedientia et reverentia debita et consueta a suis suffraganeis antedictis ac clero, populo, subditis et vasallis prestanda ac eciam exhibenda, in ampliandis et conservandis iuribus suis, sic eisdem te exhibeas regio favore, benivolentia et in eorum opportunitatibus graciosum, quod idem electus tuo fultus presidio in commisso sibi dicte Chieuensis ecclesie et partibus predictis regimine possit Deo propicio prosperari et contradictores criminosos et rebelles iustitia exigente usque ad privacionem et alias graviores penas, si eorum contumacia vel demerita id exegerint, punire. Tuque proinde consequaris premia felicitatis eterne ac nos eciam celsitudinem regiam dignis possimus in Domino laudibus commendare.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, (*octavo*) tertio Nonas Septembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

85.

Romae, 3 . IX . 1458

Gregorius II, Metropolita Kioviensis noviter nominatus, commendatur Capitulo, Clero, populo et vasallis Dioecesis et civitatis Kioviensis.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 468, fol. 156v-157.

PIUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Chienensis ac clero et populo civitatis et dioecesis Chienensis universisque Vasallis ecclesie memorate necnon Lithuaniae et totius Russie inferioris, salutem etc.

Cum nuper ecclesia vestra Chienensis et totius Russie inferioris ex eo va-

¹⁰⁵ Debet esse Jonam.

caret, quod Venerabilis frater noster Isidorus, Episcopus Sabinensis et ex dispositione apostolica Archiepiscopus Chienensis ipsius ecclesie Chienensi cui tunc preerat regimini et administrationi in manibus fe.re. Calisti PP. III, Predecessoris nostri, videlicet duodecimo Kal. Augusti, Pontificatus sui anno quarto, sponte cessit, idem predecessor cessione huiusmodi per eum admissa, ecclesiam predictam eidem Lituania et totius Russie inferioris partibus, illis dumtaxat in quibus secundum ritum grecorum et sub obedientia Archiepiscopi Ruthenensis degentium vivitur et que sub temporali dominio Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie Illustris existent, a Moschovensis et Russie superioris partibus, que per scismaticos et rebelles et presertim iniquitatis filium Jonam monachum, se pro Archiepiscopo totius Russie gerentem, occupantur separaverit et divisorit ac eandem Chienensem ecclesiam cum (f. 157) inferioribus partibus antedictis per proprium Archiepiscopum regendam et gubernandam fore de Ven. fratrum sancte Romane ecclesie Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio et assensu statuerit, descrevit ac etiam ordinaverit, eundemque Jonam schismaticum et quemlibet alium ipsius sequacem eiusdemque ecclesie detentorem ab eadem amoverit. Et demum dicta die de persona dilecti filii Gregorii, Electi Chienensis et totius Russie inferioris, tunc Abbatis monasterii Sancti Demetrii Constantipolitani, Ord. S. Basilii, in presbiteratus ordine constituti, ob suorum exigentiam meritorum eidem ecclesie Chienensi et partibus antedictis de ipsorum fratrum consilio apostolica auctoritate providerit ipsumque illi praefecerit in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis, pro eo quod dictus predecessor antequam eius literae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, debitum nature persolvit, plenius continetur.

Nos, ut premissa omnia et singula per eundem predecessorem edita suum quantotius sortiantur effectum, providere volentes, discretioni ac universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus non ipsi Jone scismatico vel cuicunque alii, sel eidem Gregorio, Electo, tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam congruentes, ac vos vassalli et subditi fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura sibi a vobis debita eidem exhibentes, eius salubria monita et mandata suscipiatis, humiliter et efficaciter adimplere curetis, aliquin sententiam etc.

Datum ut supra.

86.

Romae, 3 . IX . 1458.

Gregorius II, Metropolita Kioviensis noviter nominatus, Episcopis suis Suffraganeis commendatur.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 468, fol. 157rv.

PIUS etc. Venerabilibus fratribus Breanchicen., Smolenisquicen., Polinissicen., Turronicen., Luschocen., Wladimiricen., Peremislisen., Culmen., et Gallicen., Episcopis Suffraganeis ecclesie Chienensis, salutem etc.

Cum nuper ecclesia Chienensis ex eo vacavit et vacavisset tunc quod Venerabilis frater noster etc. (*ut in precedenti usque*) statuerit, decreverit, et etiam ordinaverit, vosque et ecclesias vestras eiusdem ecclesie et Archiepiscopo Chienensi ab alia superiori segregans eidem Chienensi ecclesie in Suffraganeos assignaverit et demum dicta die de persona dilecti filii Gregorii etc. plenius continetur. Nos, ut ipsius Predecessoris voluntas et alia premissa suum debitum consequantur affectum, providere volentes, Fraternitates vestras rogamus et monemus et hortamur attente per apostolica nihilominus vobis scripta sub excommunicationis pena mandantes, quatenus eidem Ione instruso tamquam scismatico (f. 157) et heretico vel alii loco sui nullatenus prestantes obedientiam vel favorem, sed per omnia eidem Electo tamquam membra capiti obsequentes, exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ita quo mutua inter vos et ipsum gratia gratos sortiatur effectus et nos devotionem vestram possimus propter hoc in Domino commendare.

Datum ut supra.

Gratis de mandato D. N. Pape
C. Fidelis

87.

Romae, 5 . IX . 1458

Litterae passus pro Isidoro, olim Metropolita Kiovensi.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 468, fol. 6.

PIUS etc. Universis etc.

Cum Venerabilis frater Isidorus, Episcopus Sabinensis, Cardinalis Ruthe-nus, pro nonnullis suis pragendis negotiis ad Italiae ac alias diversas mundi partes mittat Venerabilem fratrem nostrum Antonium, Episcopum Cartagi-nensem, et dilectum filium, nobilem virum, Nicolaum Jacub, Comitem Pa-latinum, familiares suos, Nos volentes Episcopum et Comitem praefatos cum comitiva usque ad numerum decem personarum etc. praesentibus post annum minime valiturus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno etc. MCCCCLVIII, Nonis Septembris, Pontificatus Nostri Anno primo. A. Trapezuntinus

88.

Romae, 5 . IX . 1458

Isidorus nominatur Archiepiscopus Ecclesiae Corphiensis, retenta simul Ec-clesia Sabinensi.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 468, fol. 25rv.

PIUS etc. Venerabili fratri Isidoro, Episcopo Sabinensi, salutem etc.

Ad exercendum universalis Ecclesiae regimen divina dispositione vocati

circa quarumlibet ecclesiarum statum pastoralis partes officii vigilantius adhibemus ut earum singulae pastoribus committantur ydoneis utiliumque rectorum praesidio fulciantur ac Sancto Romano cardinalatui prout expedire conspicimus oportunitatibus decenter consulatur. Hodie siquidem provisiones ecclesiarum Metropolitanarum ante nostram ad apostolatus apicem assumptionem vacantium ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes exinde irritum et inane si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Postmodum vero ecclesia Corphiensis, cui bone memorie Franciscus, Archiepiscopus Corphiensis, dum viveret praesidebat, per obitum dicti Francisci, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, vacante, nos quamecumque postulationem sive electionem de quavis persona ad eamdem ecclesiam sic vacantem per dilectos filios illius Capitulum factam nullius roboris vel momenti fore harum serie declarantes ac ad provisionem illius celarem et felicem, de qua nullus praeter Nos hac vice disponere potuit, sive potest, reservatione et decreto obstantibus predictis, ne ecclesia praedicta prolixae vacationis exponatur incommodis, paternis studiis intendentibus, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, cum Venerabilibus fratribus nostris habuimus diligenter, demum considerantes grandium virtutum donis quibus personam tuam illarum largitor Dominus insignivit, et quo tu, qui etiam cardinalatus honore prefulges, prefatam ecclesiam scies et poteris, auctore Domino, feliciter regere et salubriter gubernare, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, de persona tua nobis et fratribus nostris ob dictarum virtutum tuarum exigentiam accepta, eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem. Ita ut etiam Episcopus Sabinensis et Cardinalis simulque Archiepiscopi Corphiensis officio et dignitate fungaris, super quo tecum motu et auctoritate predictis tenore presentium dispensamus, regimen et administrationem dicte ecclesie Corphiensis tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firmam spem fiduciamque tenentes, quod pro tua, qua in magnis et arduis iugiter experimur circumspectionis industria prefata Corphiensis ecclesia (f. 25v) defendatur a noxiis, et in ipsis spiritualibus et temporalibus, divina cooperante gratia, votis proficiet incrementis.

Iugum igitur Domini tuis impositum humeris reverenter suscipiens sic huiusmodi Corphiensis ecclesie regimen et administrationem prosequaris attente commissique tibi gregis Dominici curam geras, ut ad caelestia valeas premia pervenire. Mandantes paeterea dilectis filiis Capitulo et universis vassallis ecclesie Corphiensis ac clero et populo civitatis et dioecesis Corphiensis ipsorum populi universitatem nihilominus exhortantes, quatenus tibi pastori animarum suarum et patri humiliiter intendentibus ac exhibentes tibi obedientiam, reverentiam debitas et devotas, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliiter et efficiant adimplere; preterea ipsique vassalli tibi fidelitatem debitam et consueta iura ac servitia ab eis debita exhibere integre student. Alioquin sententiam quam illorum ac Capituli et cleri praedictorum

rite tuleris in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno etc. MCCCCCLVIII, Nonis Septembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

A. Trapezuntinus

89.

Romae, 11 . IX . 1458

Pius II Archiepiscopo Leopoliensi et Episcopo Peremysliensi iubet, ut current nominato Episcopo Haliciensi bona Ecclesiae eiusdem restituere.

ARCH. CENTR. VARS., *Metryka Koronna*, XI, p. 187-188.

WIERZBOWSKI T., *op. cit.*, nr. 493.

Aeneum Wilenskie, 1 (1923), p. 70.

PIUS EPISCOPUS servus servorum etc. Venerabilibus fratribus archiepiscopo Lonidensi¹⁰⁶ et episcopo Premisliensi¹⁰⁷, salutem et apostolicam benedictionem.

Significavit nobis venerabilis frater noster Macharius episcopus Galicensis¹⁰⁸, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, decimas, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possessiones, grangias, casalia, predia, maneria, viridaria, vineas, ortos, campos, virgulta, prata, pascua, memoria, silvas, molendina, villas, castra, stagna, lacus, piscaria, aquas, aquarum decursus, arbores, arborum fructus, ligna, postes, trabes, plantas vini, bladi, frumenti, ordei, avene, silihinis, olei, leguminum, auri, argenti, monetati et non monetati quantitates, calices, crucis, ornamenta ecclesiastica, iocalia, testas, ciphos, coclearia, vasa argentata, et deaurata, erca, cuprea, staminea, lignea, pannos laneos, lineos, et sericeos, lectos, linteamina, cooperatoria, Lanculia, pulvinaria, cortinas, paramenta, mappas, manutergia, capitegia, domorum utensilia, vestes, tunicas, foderaturas, mantellos, cappas, capucia, equos, iumenta, boves, vacuas, oves, porcos, capras, et alia animalia, libros, litteras autenticas, instrumenta publica, contractus documenta, cedulas, recogniciones, obligaciones, registra areragia, testamenta, codicillos, protocolla, cartas, notas, debita, credita, legata, pecuniarum summas, iura, iurisdiccciones, et nonnulla alia mobilia et immobilia bona, ad mensam episcopalem gallicensem legitime spectantia, temere et maliciose occultare et occulte detinere presumunt, non curantes ea prefato episcopo exhibere in animarum suarum periculum, et ipsorum episcopi et mense non modicum detrimentum. Super quo idem episcopus apostolice sedis remedium imploravit. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi occultos detentores decimarum, censuum, fructuum, redditum, proventuum et aliorum bonorum predictorum, ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per vos vel per alium seu alias moneatis,

¹⁰⁶ Debet esse Leopoliensi, qui tunc temporis erat Gregorius de Sanek Obiit an. 1479.

¹⁰⁷ Tunc temporis erat Nicolaus Blaszkowicz. Obiit an. 1474.

¹⁰⁸ Cfr. supra nr. 65.

ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea prefato episcopo a se debita restituant et reveleant ac de ipsis plenam et debitam satisfacionem impendant, et si id non impleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeritis prefigendum, ex tunc in eos excommunicationis generalem sententiam proferatis et eam faciatis ubi et quando expedire videritis usque ad satisfacionem condignam solenniter publicari. Quodsi non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequetur.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo quinquagesimo octavo, tercio Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

90.

Romae, 9 . XI . 1458

Isidoro Cardinali datur in commendam ecclesia S. Agathae in Urbe.

ASV, Reg. Vat., vol. 468, fol. 320rv.

PIUS etc. Venerabili fratri Isidoro, Episcopo Sabinensi, salutem etc.

Ad personam tuam quam divina clementia praecipuis illustravit gratiarum muneribus paternae dirigentes considerationis intuitum, et attente perspicentes, quod tu Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras plenus magnitudine meritorum, dignum quin imo debitum reputamus, ut eam reperias in gratiarum exhibitione benignam et in tuis oportunitatibus liberalem.

Cum itaque dilectus filius noster Petrus, tit. Sancti Marci presbiter Cardinalis, commende sibi a seculari et Collegiata ecclesia Sancte Agathe de Urbe, certo modo vacantis, auctoritate apostolica sibi facte, in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, Nos attendentes quod tu, licet cardinalatus prefulges dignitate, tamen ad expensarum onera, que te iugiter de necessitate subire oportet, rerum non affluis ubertate, tibi ut onera predicta facilius supportare valeas de alicuius subventionis auxilio subvenire spiritualemque gratiam facere volentes, motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate ecclesiarum predictarum cuius fructus, redditus et proventus presentibus pro expressis habentes sive premisso sive alias quovis modo aut per cuiuscumque obitum etiam si per similem cessionem vel alias vacet, etiam si eius dispositio ex quavis causa sedi apostolice generaliter vel singulariter reservata quomodocumque pertineat, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis tibi quoad vixeris una cum Sabinensi aliisque quibuscumque ecclesiis nec non monasteriis, prioratibus, preposituris, pensionibus, dignitatibus, aliisque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura obtines et expectas, et in quibus ac ad que ius tibi quomodolibet spectat, quecumque quotcumque et qualiacumque sint, eorum fructuum, reddituum, et proventuum (f. 320v) veros valores annuos presentibus etiam pro

expressis habentes, tenendam, regendam et gubernandam auctoritate apostolica comendamus, volentes ut ipsius ecclesie Sancte Agathe parrochianorum animarum curam per capellanum ydoneum exerceri facias, ac ei de fructibus ipsius ecclesie pro sue vite substentatione providendo, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, ac in tuos et dicte ecclesie usus convertere, sicut illius commendatarii seu administratores, qui fuerunt pro tempore, potuerunt seu etiam debuerunt, libere et licite possis et valeas. Alienatione tamen quorumlibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium ipsius ecclesie tibi penitus interdicta. Non obstantibus constitutionibus etc. quibuscumque. Quocirca Fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus curam et administrationem ipsius ecclesie sic geras sollicite et prudenter, quod tu preter eterne retributionis premium et humane laudis preconium que mereberis, nostras et eiusdem sedis benedictionem et gratiam uberioris consequi merearis.

Gratis propter personam Cardinalis
A. Trapezuntinus

91.

Romae, 18 . XII . 1458

Pius II Casimiro, Poloniae Regi, inculcat, ut Metropolitam schismaticum e Cathedra Kioviensi eiicere curet.

ARCH. CENTR. VARS., *Metryka Koronna*, XI, p. 117.
WIERZBOWSKI T., *op. cit.*, I, nr. 504.
Ateneum Wilenskie, 1 (1923), p. 72-73.

PIUS PAPA SECUNDUS. Carissime in Christo fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quem ad modum alias serenitati tue significavimus, dilectus filius Gregorius abbas tunc monasterii sancti Demetrii Constantinopolitani ecclesie Chieuensis et Russie tunc vacantis (per) liberam resignationem venerabilis fratris nostri Isidori episcopi cardinalis Sabinensis, qui eam canonice obtinebat pro sua laudabili vita et egregiis virtutibus prepositus fuit in archiepiscopum et pastorem, qui postea a venerabili fratre nostro Gregorio patriarcha Constantinopolitano munus consecrationis et alias ordinaciones accepit, per quas verus et canonice electus archiepiscopus et antistes eiusdem ecclesie est et indubitate censemur nosque propter eius integratatem et sufficienciam de eius persona non dubitamus eidem ecclesie in spiritualibus et temporalibus idonee et opportune esse provisum.

Verum non sine ingenti animi molestia et dolore accepimus Ionam schismaticum in eandem ecclesiam esse intrusum et quod pseudopatriarcha et profanus antistes Constantinopolitanus, a tiranno Turcorum constitutus, ecclesie, ipso vivente vero et canonice ordinato illius pastore, alium proponere et preficere pro dolor in nostrum et sedis apostolice detrimentum et obprobrium intendi, qui non pastoris officium eidem ecclesie prestet, sed ut lupus rapax oves dissipat et disperdat, que cum ad nostros dolores, quos pro fidei catholicae laboribus et calamitatibus sustinemus gravissime accedant, pro onere

universalis ecclesie nobis imposito tollerare nequaquam intercedimus et tantum dedecus a Dei religione avertere pro posse volumus.

Eam ob rem celsitudinem tuam hortamur et per caritatem Salvatoris requirimus, ut non paciaris aliquem dicte ecclesie proponi aut deputari ex ini-mico sanguine et perfida nacione Turchorum, sed ut decet catholicum regem totis viribus hanc ignominiam a fide orthodoxa propulsas nec permittas, ut sathane filii potestatem assumant in oves Christi, sed regia fortitudine et constantia honori et saluti ecclesie premissae et christifidelium eidem subiectorum oportunis remedii provideas et dictum Gregorium archiepiscopum in eadem ecclesia manuteneas et conserves neminem alium admittendo. Pro quo securi honoris et laudis coronam in presenti vita et in altera immortalitatis premium acquires.

Datum Rome apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris MCCCCCLVIII, die XVIII Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

Carissimo in Christo filio Kazimiro regi Polonie illustri
Cardinalis Lucensis

92.

Romae, 10 . 1 . 1459

Littera passus pro Isidoro Kiovieni iter in Lombardiam faciente.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 469, fol. 69.

PIUS etc. Universis etc.

Cum Venerabilis frater noster Isidorus, Episcopus Sabinensis, Cardinalis Ruthensis vulgariter nuncupatus, pro nostris et Romane ecclesie negotiis versus Lombardiam habeat se conferre, Nos cupientes eundem Cardinalem et familiarem suum cum sociis et familiaribus equestribus et pedestribus ac salmis, valisiis etc. ut infra.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCCLVIII, quarto Idus Januarii, Pontificatus Nostri Anno primo. De curia
C. Fidelis

93.

Romae, 17 . 1 . 1459

Litterae commendatitie pro novo Archiepiscopo Kiovieni, datae a Pio PP. II.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 498, fol. 81v-92.

PIUS etc.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipraesbiteris et aliis ecclesiasticis praelatis eorumque vicesgerentibus ac Ca-

pitulis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, Cisterciensium, Cluniacensium, Praemonstratensium, Sanctorum Benedicti et Augustini ac aliorum quorumque Ordinum nec non Magistris et Praeceptoribus ac fratribus hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani et Beate Marie Theotonicorum, Ducibus quoque et Marchionibus, Comitibus et Baronibus ac aliis Nobilibus potentibus, insuper capitaneis, rectoribus, consulibus antianis (?) consiliis, Praepositis communitatibus et universitatibus, civitatum, castrorum et aliorum locorum ac universis et singulis ad quos praesentes littere pervenerint salutem etc.

Cum venerabilem fratrem nostrum Gregorium Archiepiscopum Chienensem et totius Russie latorem praesentium ad partes Ruthenorum pro certis nostris et Ecclesie Romane negotiis destinemus¹⁰⁹. Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica nihilominus vobis scripta mandamus, quatenus eidem aut familie sue capsis, valisiis, farcellis, rebusque omnibus, quas secum feret cum per partes et loca vestra transitum facerent nullam in personis vel rebus suis molestiam inferatis, aut aliquam passagii et gabellorum solutionem accipiatis, quin immo pro reverentia apostolice sedis et nostra de securo conductu cum necesse fuerit et ad vos super hoc accurrerit in eundo, morando ac redeundo, sive cum suus aliquis nuntius harum ostensor, redditum sic liberaliter provideatis eidem quod nos de proprie devotionis affectu possimus non immerito commendare.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, sexto decimo Kal. Februarii, Pontificatus Nostri Anno primo.

Jo. de Camerina

94.

Romae. 17 . 1 . 1459.

Litterae passus pro Nicolao Jakubi, qui simul cum Gregorio Metropolita Kiovensi Roma missus fuit in Europam Orientalem.

ASV, Reg. Vat., vol. 470, fol. 269v.

PIUS etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipresbiteris et aliis ecclesiasticis Prelatis eorumque vices gerentibus ac Capitulis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, Cisterciensis, Cluniacensis, sanctorum Benedicti et Augustini ac aliorum quorumcumque Ordinum nec non Magistris et Preceptoribus ac fratribus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani et Beate Marie Theotonicorum, Ducibusque et Marchionibus, Comibibus et Baronis et aliis nobilibus etc., salutem etc.

¹⁰⁹ Eodem die expedita fuit etiam alia epistula commendatitia pro Nicolao Jakubi, Nobili romano, qui simul cum Gregorio missus, iter usque in Moscoviam faciebat. Cfr. textum in PIERLING, *La Russie et le Saint-Siège*, t. I, p. 88-89, sub data 17.I.1459.

Cum dilectum filium, nobilem virum Nicolaum Jagupi equitem et sacri Palatii Lateranensis Comitem nostrum et Sedis Apostolice nuntium, latorem praesentium, ad partes Ruthenorum pro certis nostris et Ecclesie Romane destinemus, universitatem etc. littera passus in forma etc. Sub data Rome apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCCLVIII, sextodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno primo.

95.

Senis, 15 . III . 1459

*Resignatio Ecclesiae Corphiensis ex parte Isidori, Metropolitae Kioviensis,
et Cardinalis Sabinensis.*

ASV, Reg. Vat., vol. 470, fol. 145v-146.

PIUS etc. Venerabili fratri Isidoro, Episcopo Sabinensi, salutem etc.

Ad personam tuam quam divina clementia innumeris illustravit gratiarum muneribus paterne dirigentes considerationis intuitum et attente perspicientes quod tu romanam Ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum quin imo potius debitum reputamus, ut eam repperias in tuis opportunitatibus liberalem. Cum itaque hodie regimini et administrationi ecclesie Corphiens., cui ex dispositione apostolica tunc prefuisti, in manibus nostris sponte et libere cesseris nosque cessionem huiusmodi admittentes dicte ecclesie per cessionem huiusmodi vacanti de persona dilecti filii Petri Frigeni, Electi Corphiensis, de fratrum nostrorum consilio providimus, prefiendo ipsum illi in Archiepiscopum et pastorem. Nos omnia et singula ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia aliaque beneficia ecclesiastica prelatitia et regularia cum cura et sine cura que te in commendam et alias obtineas et expectas et in quibus et ad quas ius tibi quodlibet competit aut competere potest, quecumque quotecumque et qualiacumque fuerint eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores anni, nec non pensiones annuas tibi super quorumcumque ecclesiasticorum beneficiorum et locorum fructibus, redditibus et proventibus reservatas et resignatas presentibus pro expressis habentes et tibi ne propter cessionem huiusmodi nimium patiaris incomodum et ne etiam ad tuum commodum stabilibus redditibus careas oportunis de alicuius subventionis auxilio providere spiritualemque gratiam facere volentes pensionem annuam trecentorum florenorum auri venetorum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventibus universis ecclesie quoad vixeris per Electum praedictum Petrum Archiepiscopum dicte ecclesie pro tempore existentis annis singulis pro una videlicet in Nativitate Beatae Mariae Virginis et alia pensionis eiusdem medietatibus in Resurrectionis Jesu Christi festivitatibus in civitate Venetiarum persolvendum eadem auctoritate tibi, etiam ad id expresso ipsius Petri accidente consensu, tenore praesentium concedimus, constituimus et etiam assignamus, decernentes Petrum nec non Archiepiscopos eosdem ad solutionem pensionis huiusmodi iuxta

ipsarum concessionis, constitutionis et assignationis huiusmodi tenorem fore efficaciter obligatos, volentesque et eadem auctoritate statuentes quod quilibet ex electo et Archiepiscopis praedictis qui in festivitatibus ipsis vel saltem infra triginta dies ex tunc immediate sequentes pensionem per eum tunc debitam huiusmodi non persolverit, eo ipso lapsis diebus eisdem ei ingressus ecclesie interdictus fore noscat. Si vero sex menses, dictos triginta dies immediate sequentes ab interdicto huiusmodi, immo quod absit, induratus permanserit, ex tunc lapsis dictis mensibus, a regimine et administratione eiusdem Corphienensis ecclesie spiritualibus et temporalibus eo ipso suspensus extat, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis et dicte ecclesie Corphienensis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Seu si Petro et successoribus praedictis vel quibusvis aliis eorum vel divisim ab apostolica sit sede indulatum quod ad prestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli non posset per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel particulari cuiuscumque tenoris extat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi generales impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre concessionis, constitutionis, assignationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc.

Datum Senis, Anno etc. Millesimo CCCCLVIII (*nono*) Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno primo.

96.

Senis, 10 . IV . 1459

Conceduntur diversi proventus Ecclesiae Sabinensis in favorem Isidori Cardinalis, olim Metropolitae Kiovensis.

ASV, Reg. Vat., vol. 470, fol. 196v-197.

PIUS etc. Venerabili fratri Ysidoro, Episcopo Sabinensi salutem etc.

Dum eximie tue circumspectionis excellentia merita, quem altis et arduis rebus iugiter experimur, diligenter intendimus, dignum quin potius debitum reputamus, si ad perforanda que te de necessitate iugiter subire oportet onera expensarum, ut ea facilius supportari valeas de subventionis provideamus auxilio oportuno. Hinc est quod nos attendentes, licet cardinalatus honore prefulges, ad supportandum tamen expensarum onera predicta rerum non affluis ubertate, volentesque tibi ut eadem onera comodius perferre valeas de aliquo subventionis auxilio providere spiritualemque gratiam facere, motu proprio, non ad tuam aut alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tibi ut omnes et singulos fructus, redditus et proventus ac emolumenta tam Sabinensis quam quarumcunque aliarum Cathedralium etiam Metropolitanarum vel Collegiatarum aut parochialium eccl-

siarum nec non monasteriorum, prioratum, praepositurarum, canonicatuum, prebendarum, dignitatum, personatum, administrationum, officiorum et beneficiorum praedictorum conditionem efficere posset meliorem usque ad quadriennium a dati arrendamenti computandum arrendare, locare, seu ad firmam vel annuam pensionem concedere ipsisque personis etiam laicis, illos et illa in huiusmodi arrendarii, pensionis vel locationis recipere et per idem quadriennium si te interim decidere vel ecclesias, monasteria, prioratus, preposituras, canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, administrationes vel officia aliaque beneficia predicta dimittere aut (f. 197), resignare seu alias te destitui contigat retinere, tuque pecunias quas ex huiusmodi arrendis, pensionibus seu locationibus receperis in tuos et ecclesiarum, monasteriorum, prioratum, prepositurarum, canonicatuum, prebendarum, dignitatum, personatum, administrationum, officiorum et beneficiorum predictorum usum utilitatemque convertere et etiam retinere licite et libere valeas. Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac statutis et consuetudinibus ecclesiarum et monasteriorum praedictorum ac aliorum locorum, in quibus dignitates, officia et beneficia huiusmodi pro tempore fuerint seu in quibus illa forsitan dependere contigerit, ac Ordinum eorundem, etiam si iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate vallata sint tuque de illis observandis et non impetrandis litteris contra ea ac ipsis litteris non utendo per te vel alium praestitis hactenus vel in posterum te forsitan praestare contingat iuramentum certisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de spirituali gratia indulgemus. Proviso quod ecclesie, monasteria, prioratus prepositure, canonicatus, prebende, dignitates, personatus, administrationes, officia seu beneficia huiusmodi debitum propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum consueta onera congrue supportentur. Nulli ergo etc. nostrum indultum infringere etc. Si quis etc.

Datum Senis Anno etc. MCCCCLVIII quarto Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno primo.

Gratis propter personam D. Cardinalis





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

SIXTUS IV
(9,25.VIII.1471 — 12.VIII.1484)
s a v o n e n s i s
(Franciscus della Rovere)

DOCUMENTA SIXTI PP. IV

97.

Romae, 19 . XI . 1471

Conceditur facultas Ivaško Alexandrovyc eligendi sibi sacerdotem, qui ei semel absolutionem concedat a casibus reservatis, nec non in ieiuniis relaxet.

ASV, *Armarium* XXXI, vol. 21, fol. 37v-38.

SIXTUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Dilecto filio, nobili viro, Johanni Alexandro Hyvaszko de Poczampow, domino loci de Poczampow, Wylensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sincera fervensque devotio tua quam ad nos et Romanam Ecclesiam gerere probaris digne meretur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per que conscientie pacem, et anime tue salutem, Deo propicio, consequi possis. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi ut aliquem ydoneum presbiterum secularem vel religiosum in tuum possis eligere confessorem, qui vita tibi comite in casibus apostolice sedi reservatis semel dumtaxat, in aliis vero, quatenus fuerit opportunum, confessione tua diligenter audita, pro commissis tibi debitam absolutionem impendat, et iniungat penitentiam salutarem. Quique confessor, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, etiam semel dumtaxat in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate Sanete Romane Ecclesie et obedientia ac devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantibus, persistenti, auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per alios, si forte tunc transieris, faciendam iniungat, quam tamen vel illi facere teneantur, ut prefertur; et ne, quod absit, propter huiusmodi graciā vel concessionem reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus quod si a sinceritate fidei, unitate Romane Ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, desisteres, aut ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliqua forsitan committeris, concessio, remissio ac presentes littere tibi nullatenus sufragentur.

Et insuper quod per unum annum, a tempore quo nostra presens concessio ad tuam pervenit notitiam, computandum singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieunes, et si predictis feriis ex precepto Ecclesie regulari observantia iniuncta, penitentia, voto vel alias iejunare tenearis, una alia die singulari septimanarum eiusdem, qua ad iejunandum, ut pre-

mittitur, non sis astrictus, ieunes; et si in dicto anno vel aliqua eius parte eses legitime impeditus, anno sequenti vel alias, quam primum poteris, modo simili supplere huiusmodi ieunium tenearis. Porro si forsan alias prelibatum ieunium in toto vel in parte quacumque adimplere nequeveris commode, eo casu confessor predictus ieunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, prout etiam tue saluti videat expedire, que tu pari modo debeas adimplere, alioquin presens nostra concessio quoad plenariam remissionem huiusmodi dumtaxat nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc. Si quis autem etc. incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, terdecimo Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

98.

Romae, 1 . VII . 1472

Indulgentia plenaria visitantibus et adiuvantibus ecclesiam Leopoliensem in Russia conceditur.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 660, fol. 102.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 173-174, nr. 212.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspec-
turis salutem etc.

Inter cetera divine maiestatis placida valde pium et meritorum reputantes ecclesiarum fabricis oportunis subvenire suffragis, vota illa libenter admittimus, per que ecclesie in suis structuris et edificiis instaurari et refici valeant, earumque et reipublice christiane opportunitatibus provideri, nec non Christifidelium animarum salus procuratur. Sane, ut accepimus relatio-
ne fidei-
dignorum, ecclesia metropolitana Leopoliensis inter Scismaticos in Russia situata et non diu erecta, ad quam Christifideles partium illarum singularem devotionis affectum gerere dicuntur, in suis structuris et edificiis instauratione et reparacione indiget non modicum sumptuosis, ad quas faciendas nulle eiusdem ecclesie subsistunt facultates, sed ipsorum Christifidelium suffragia sunt ad id quamplurium opportuna, Nos igitur cupientes, ut ecclesia huiusmodi in suis structuris et edificiis quamtocius instauretur et reparetur, ac fideles ipsi eo libentius devotionis causa ad ipsam ecclesiam confluant, et ad illius instaurationem et reparacionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberioris conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam predictam a primis vesperis usque ad occasum solis die festivitatis Sancte et Individue Trinitatis proxime future devote visitaverint, et ad instaurationem, reparacionem et refectionem ecclesie prediche, si nobiles et potentes seu cives notabiles, quantum per decem, si mediocres, quantum per septem, si vero inferiores fuerint, quantum per

quinque dies cum omni sua domestica familia communiter exponere solent, in numerata pecunia ibidem pie erogaverint, omnium peccatorum suorum, de quibus ore confessi et corde contriti fuerint, plenariam remissionem auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer elargimur.

Et nichilominus, ut fideles ipsi indulgentiam et peccatorum remissionem huiusmodi Deo propitio facilius et commodius valeant consequi, dilectis filiis Andree Rosa, Preposito Lacitiensi, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie et provinceis eiusdem collectori, Cubiculario et nuntio nostro, ac Archidiacono necnon Officiali generali dicte Leopoliensis ecclesie presbiteros seculares ac Ordinum quorumcunque regulares, ad id tamen sufficientes et idoneos, de quibus ipsis videbitur, qui fidelium predictorum a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatis predicte, necnon per triduum, tam ante, quam post confessiones audire, eisque diligenter auditis pro commissis per eos criminibus, delictis et peccatis omnibus, etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus, preterquam rebellionis, aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, vel sedem predictam absolutionem debitam dicta auctoritate impendere, ac penitentiam salutarem iniungere, votaque per eos emissa, ultramarino, liminum predictorum Petri et Pauli ac Iacubi in Compostella apostolorum dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, deputandi, et super huiusmodi absoluti-
nibus, etiam in mortis articulo, similiter contribuentibus, ut prefertur, testimoniales litteras sub sigillo dicti Andree Rosa volentibus concedendi plenam et liberam eadem auctoritate concedimus facultatem.

Et similiter omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus, qui pre nimia senectute impotentes, aut infirmitate detenti, aut ex voto vel alias legitimo impedimento prepediti, adeo ut prefatam ecclesiam, ut premittitur personaliter visitare nequierint, dum tamen iuxta modificationem prescriptam, et alias, prout ipsorum devotio dictaverit, necnon expensas, quas eundo, stando et redeundo verisimiliter facturi essent, ibidem pia largitione persolvant, easdem indulgentias et peccatorum remissiones auctoritate concedimus memorata, presentibus post lapsum dicte festivitatis minime valitulis, volentes, quod statim exacta festivitate predicta ab his et aliis nostris sub data presentium de reponendis in unam capsam vel plures oblationibus per nos desuper concessis litteris plumbum amoveatur, quodque si quisquam lapsa festivitate predicta litteras et indulgentias huiusmodi publicare, aut pubblicari facere, sive ulterius illis uti presumpserit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat, a qua, preterquam a nobis vel successoribus nostris, excepto mortis articulo, absolvi nequeat, non obstantibus huiusmodi indulgentiarum suspensionibus per nos vel predecessores nostros hactenus factis, seu interim faciendis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contra-riis quibuscumque.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno etc. millesimo quadringente-
simo septuagesimo secundo, Kalen. Iulii, Anno primo.

99.

Romae, 12 . I . 1475

Paulo de Cizuwa, Clerico rutheno Kioviensis dioecesis, ut sacramenta ecclesiastica per sacerdotem latinum sibi ministrari possit.

ASV, Reg. Vat., vol. 678, fol. 235.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 179-180, nr. 221.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Paulo Simonis de Cizuwa, clero Kyo-
viensis dioecesis¹¹⁰, salutem etc.

Devotionis tue sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere
comprobaris non indigne meretur, ut votis tuis, illis presertim, ex quibus
anime tue salutem provenire conspicimus, quantum cum Deo possumus, fa-
vorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus in-
clinati, tibi, qui, ut asseris, licet Ruthenus existas ac Grecorum ritum hacte-
nus observaveris, tamen inter Latinos frequenter versari ac morari consue-
visti, ac causa visitandi limina Apostolorum Petri et Pauli, neenon pro con-
sequendis indulgentiis huius anni iubilei ad Urbem te personaliter contulisti,
ut quilibet presbiter ydoneus latinus secularis vel regularis, quem in tuum
confessorem duxeris eligendum, confessione tua diligenter audita, pro com-
missis per te criminibus, excessibus et peccatis, dummodo talia non sint,
propter que esset sedes apostolica merito consulenda, debita tibi in fide cat-
holica merito persistenti absolutionem iuxta formam, quam in his predica-
ta Romana servat ecclesia, quoiciens oportunum fuerit, impendere et peni-
tenciam salutarem iniungere, neenon ecclesiastica sacramenta ministrare li-
bere et licite valeas, apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis
editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceteris-
que contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presen-
tium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo... etc. nostre concessionis in-
fringere... etc. Si quis autem... etc.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice mil-
lesimo quadrigentesimo septuagesimoquarto, pridie Idus Ianuarii, Pontifica-
tus Nostri Anno quarto.

¹¹⁰ Kioviensis dioecesis, ut videtur in sensu dioecesis ritus latini. Plura de his tem-
poribus vide in B. BUCYNSKYJ, *Studiji do istoriji cerkovnoj uniji: III. Lyst Mysaila*
(epistula Misaelis), in « Zapysky N.T.S. », vol. 90, pag. 5-24.

100.

Romae, 7 . II . 1484

Pontifex Regi Casimiro promittit nihil in eius praeiudicium concedere, quod spectata ditiones ruthenas sibi subiectas. In specie agitur de dignitate imperiali super tota Europa orientali quam praetendit Dux Moscoviae.


ASV, *Armarium XXXIX*, vol. 16A, fol. 29v-30, et vol. 16C, fol. 83-4.

SIXTUS etc. Carissime etc.

Retulit nobis dilectus filius Stanislaus, orator apud nos tuus, quemadmodum tua Maiestas ad eum scripsit se intellexisse quod Dux Moskovie oratores ad nos misit, petiturus a nobis imperiale sive regalem dignitatem in tota Ruthenica Natione. Ex quo orator ipse tuus Maiestatis tue nomine vehementer rogavit, ut quoniam res hec magni, momenti, et tibi multisque aliis magnum preiudicium (f. 48) afferre posset, velimus expectare oratores tuos, quos pro hoc negotio es misurus, antequam aliquid delibereamus.

Novit Maiestas tua primum nostrum erga se animum et nos omnia cupere que ex re et dignitate tua sint. Quare persuadeat sibi, si ad nos ille miserit pro huiusmodi impetratione magna cum consultatione et maturitate nos esse processuros, et oratores tuos libenter in hoc prius intelligemus, quos expectabimus, si in tempore eos ad nos miseris.

Datum Rome, die VII Februarii 1484, Anno XIII.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
¶ Romae

INNOCENTIUS VIII
(29.VIII.1484 — 25.VII.1492)

ianuensis
(Joannes Bapt. Cibo)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. VIII

101.

Romae, 19 . VI . 1487

*Conceditur Provinciae polonae Ordinis fratrum Minorum de Observantia
facultas recipiendi Schismaticos in gremium Catholicae Ecclesiae.*

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 38v-39.

INNOCENTIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Ea que per predecessores nostros Romanos Pontifices pro catholice fidei exaltatione, et animarum salute concessa fuerunt, quamvis plenum roborem firmitatemque optineant, nihilominus interdum pro ampliori presidio illis nostre approbationis munimen adiicimus prout cognoscimus in Domino salubriter expedire. Sane dudum felicis recordationis Sextus Papa quintus, predecessor noster, animarum saluti consulere ac oves que perierant ad salutis ovile reducere cupiens, Vicario fratrum Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum, provinciae Poloniae, iuxta morem dicti Ordinis, ac fratribus Ordinis et observantiae eorundem, per eum deputandis, qui sponte ad partes infidelium ire vellent, nec non confessoribus inter Scismaticos et alios infideles in Lithuania, Samogitia, Russia, Valachia, Tartaria, ac in omnibus terris Scismaticorum, paganorum et quorumcumque infidelium permanentibus, eosdem infideles ad gremium Ecclesie recipiendi, et ad fidem habilitandi. Grecos vero, Ruthenos, Valachos, Armenos et omnes Scismaticos, Haereticos, apostatas et alios infideles priusquam ad unitatem fidei reducti forent, ab omnibus excommunicationis, maioris et minoris, aliisque sententiis, censuris, et penis ecclesiasticis, nec non simonie labe, et quorumcunque perpetrato homicidio, aliisque omnibus excessibus et debitibus, etiam si talia forent, propter que sedes apostolica veniret immediate consulenda, id humiliiter petentes absolvendi. Nec non eciam illorum presbiteris et clericis omnibus et singulis ad fidem catholicam et Ecclesie unitatem venientibus, super omni irregularitate, exceptis homicidio voluntario, bigamia et membrorum mutilatione, dispensari, ac eos ad officia, beneficia, et honores dignitates reponendi, et restituendi auctoritatem concessit pariter et facultatem. Nec non eisdem Vicario, fratribus et confessoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis et graciis per eundem Sextum et alios Romanos Pontifices, predecessores nostros, et alios quoslibet locis et Ordinis fratribus predictis in terra sancta et provincia... concessis, uti, frui, et gaudere possent, indulsit atque decrevit, prout in litteris eiusdem Sixti, predecessoris nostri, in forma Brevis desuper confectis plenius continetur.

Nos igitur cupientes, ut Vicarius, fratres, et confessores predicti, qui iam ad dictarum litterarum execucionem in partibus illis processerunt, et pro fidei praedictae predicacione, defensione et exaltacione mortem subire parati sunt, ut facilius et utilius hoc tantum opus exequi et in vinea Domini uberiores fructus afferre valeant, quo maiori fuerint a nobis et apostolica sede auctoritate susulti, Motu proprio, non ad Vicarii, fratrum et confessorum predictorum vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate, facultatem, indultum, et litteras predictas auctoritate apostolica, tenore presentium, aprobabamus, et plenum firmitatis robur optinere decernimus, illaque eisdem Vicario, fratribus, et confessoribus de novo concedimus, decernentes omnes et singulos cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis fuerint, qui eosdem Vicarium, fratres, et confessores seu eorum aliquem in premissis impedire, molestare vel perturbare presumpserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere. Non obstantibus constitutionibus etc. quibuscumque. Nulli ergo etc. se noverit incursum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, tredecimo Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno tertio.





**Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae**

ALEXANDER VI
(11.26.VIII.1492 — 18.VIII.1503)

hispanus
(Rodericus de Borja)

DOCUMENTA ALEXANDRI PP. VI

102.

Romae, 26 . IV . 1501

Alberto, Episcopo Vilnensi, de egregio Metropolitae Kioviensis, totiusque Russiae consilio una cum sua gente ad unitatem Ecclesiae Catholicae rendeundi Pontifex gratulatur, hortaturque efficiat, ut id quam primum perficiatur.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 44-46.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 280-282, nr. 300.
PELESZ J., *op. cit.*, I, p. 484-486.

ALEXANDER PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Magnam nobis laetitiam littere tue attulerunt, quibus tuum erga cathollicam fidem et hanc sanctam sedem zelum ardentissimum, et vehemens studium in reducendis ad unitatem sancte Romane ecclesie istius Magni Ducatus Lithuaniae, et precipue in Metropoli Chyovensi et Russie habitantibus populis nobis declaras, eiusque rei confiende affirmas non potuisse meliorem occasionem offerri ea, quam nunc nactus es, quandoquidem Iohannes Iozeph¹¹², quem Chyovenses et Russie populi ut pastorem et directorem tenent et secuntur, sese tibi offerat pro nobis et Romana ecclesia veram obedientiam prestitum; quod etiam nobiscum per literas et nuncium suum egit¹¹³, et alios ex dictis populis pro viribus, ut id faciant, inducturum iuxta tenorem sacri concilii Florentini. Proinde petis, ut Iohannem Sopega dilecti filii nobilis viri Alexandri, magni ducis Lithuaniae, in Cancellaria Ruthenica secretarium et capitaneum super his audire, et tibi, quod in hac re agendum sit, respondere velimus.

Commendamus plurimum tuam erga nos et sanctam hanc sedem devotionem, quam neque locorum distantia, neque perfidorum, quibus circumvallaris, insidie, neque depravata multorum scismaticorum et hereticorum

¹¹¹ Albertus I Tabor. Obiit anno 1507, die 27 Martii. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 3, p. 704.

¹¹² Agitur de Metropolita Kioviensi Josepho Bolharynovyc (1498-1501). Cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa...*, p. 161-162, 595. C. GIANNELLI, *A propos de la confirmation du métropolite de Kiev Josef Bolharynovyc par le patriarche œcuménique Joachim I*, in «Orientalia Christiana Periodica», IX (1943), III-IV, p. 450-459. A. M. AMMANN, *Zur Geschichte der Geltung der Florentiner Konzilsentscheidungen in Polen-Lithauen. Der Streit über die Gültigkeit der Griechentaufe*, in «Orient. Christ. Periodica» VIII (1942), I-II, p. 299-316.

¹¹³ Epistula Bolharynovyc de data 20.VIII.1500. Cfr. textum in ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21; ed. in THEINER, A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. II p. 267-268, nr. 296.

mens aut potentia impedire potuerunt, quin in te nos et Romana ecclesia illud psalmiste comprobari inveniamus: pro patribus tuis apostolicis nati sunt tibi filii, succedentes per tempora Episcopi, qui tipum Apostolorum gerunt; apostolicam sane tu ipse curam et diligentiam imitaris, qui tam diligenter animum intendis, ut tanta provincia ad gremium matris sue Romane ecclesie revertatur, et sub uno ovili et pastore recipiatur. Credimus quoque, quod prefatus Iohannes Iozeph, quem litterarum et precipuum sacrarum scientia, gravitate et prudentia peditum accepimus, divino spiritu tactus, ad gremium matris sue Romane ecclesie, a qua nulla unquam heresis exordium sumpsit, cuius fides, rogante Domino, nunquam defecit, redire, ut cum Apostolo Paulo vere predicatur unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis nostre, unus dominus, una fides, unum baptisma sicut et unus Deus, summo cum animi desiderio cupiat; Deumque omnipotentem precamur, ut devotionis sue zelum pro meritis agnoscat, et bonum cordis sui desiderium conservet et augeat.

Verum quoniam indies videmus, quam plena sit vita mortalis laqueis offensionum, retibus vexationum, que adversarius noster, gigas venator, Nebroth, id est diabolus contra genus humanum tendit, et nobis cautio magna adhibenda est ut laqueos et retia inimici illo forciores in verbo Domini et sana doctrina dirumpamus et conteramus; scimus nobis a Domino in persona beati Petri mandatum: Pasce oves meas, cum eas pascere, ut tenemur, totis conatibus laboremus. Curandum nobis est, ne ecclesie congregatio constupretur dogmatum varietate, ne heresibus scindatur, sed virgo incorrupta unam fidem tenendo permaneat, et in Christo omnis grex nobis commissus unum corpus sit, omnia membra nostra equaliter diligimus, et propterea in singulorum amissione membrorum maximam iacturam facere videremur. Consultum tunc magis iri gregi nobis commisso cognoscimus, ovile sanum et immaculatum, prout tenuimus, custodire, quam labo aliqua heresis aut alio morbo infidelitatis pollutas oves admittendo incolumentem ovilis nostri corrumpere. Gratum nobis admodum esset, ut dicti Iohannis Iozephi et eorum, qui cum eo sentiunt, obedientiam nomine Romane ecclesie reciperes, et iuxta decreta prefati concilii Florentini illos admitteres, tum propter salutem animalium suarum, tum quia confidimus hoc pacto alios dictarum provinciarum Kyovyensis et Russie homines ad Romane ecclesie unitatem reddituros.

Tamen quia tanta est integritas et sinceritas fidei nostre, ut illam suscipientibus non sit declinandum in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non sit introeundum, mittimus tibi presentibus acclusum sanctum et salubre decretum dicti concilii Florentini, ut diligenter inquiras, quonam pacto isti, qui obedientiam Romane sedi offerunt, contenta in ipso decreto concilii intelligent, profiteantur, et observent.

Accepimus etiam a nonnullis, quod de processione Spiritus Sancti, qui ex Patre Filioque procedit, neque in simbolo, neque in divinis offerendis eorum professionem aliquam faciant. De Sacramento quoque eucaristie, quod in fermentato pane, sed sub indebita et vili forma, et similiter et sanguinem sub alio liquore quam vini consecent, et sub utraque specie per commixtionem panis, id est corporis, et vini, id est sanguinis Christi Domini nostri iuxta ritus eorum consecrati etiam pueros communicent, quod nephas est dicere, nobis relatum est. De purgatione etiam ignis purgatorii et suffragiis mortuo-

rum audivimus illos a Concilio dissentire. Quod beatus Petrus a Domino nostro Ihesu Christo primatum in universum orbem et supra omnem ecclesiam, ac plenitudinem potestatis ligandi et solvendi acceperit, illamque in successores suos transtulerit, ac Romanus pro tempore Pontifex beati Petri successor, et verus Christi vicarius totius ecclesie caput, omniumque christianorum pater et doctor existat, a predictis populis pertinaciter negari intelleximus; quin etiam cum fidei nostre sacramenta ad salutem, robur et propagationem in Christo credentium instituta sint, in eisque requirantur forma, materia et minister, attente perspicitur, sub quibus materia, forma et quibus ministris apud istos Chyovskyenses et Ruthenos sacramenta predicta fiant, et an celebrantes, vel alio modo utentes sacramentis secundum ritum Romane ecclesie abhorreant, et ab ecclesiis ac eorum celebrationibus quasi prophanos et ethnicos excludant, illorum communionem devitent.

Ceterum supplicavit nobis Iohannes Sopega¹¹⁴, secretarius predictus, quod Iohannem Ioseph prefatum, ut verum Archiepiscopum Metropolitatum ac primatem iuxta ritum Grecorum dilecto filio Alexandro duci Lithuaniae¹¹⁵ prefato commendaremus, ac illi facultatem indulgentias concedendi interessentibus divinis officiis per eum celebrandis tam Grecis quam Latinis concedere dignaremur. Nos libenter desideriis suis annueremus, quandoquidem nobis persuadeamus, ipsum corde sincero ad rectitudinem fidei nostre conversum, ad unitatem sanctam cum Romana ecclesia tendere. Verum cum patriarcham Constantinopolitanum, sub cuius ditione Metropolis Chyovskyensis est constituta, apud Romanam ecclesiam iam quinquaginta annis moram traxisse viderimus, ignoramus quo pacto ad Metropolim istam sine nostro aut dicti patriarche consensu pervenire potuerit, nec possumus eidem tanquam Metropolitano de huiusmodi petitionibus morem gerere, nisi provisionem de Metropoli predicta, renuntiato per eum provisioni vel prefectioni, quam aliunde habuisse a nobis et sede apostolica acceperit¹¹⁶. Petuit etiam idem Iohannes per nos sibi concedi, quod baptizati secundum ritum Grecorum venientes ad obedientiam Romane ecclesie, non debeant rebaptizari; hoc si nobis, sub qua forma et quibus ministris baptizati fuerint explicabitur, facilius petitioni sue complacere curabimus¹¹⁷.

Quod autem etiam postulavit de edificandis de muro ecclesiis Ruthenorum, et de admittendis ad obedientiam sedis apostolice et Romane ecclesie quibuscumque, qui ritus Grecorum sequi voluerint, si intellexerimus, eos decreta concilii Florentini servare, nec in sacramentis ecclesie, aut aliis articulis fidei a Romana ecclesia discrepare, cognoscent piam mentem nostram

¹¹⁴ Agitur de Ivaško Sapieha, qui familiae huic eiusque eminentiae fundamenta iecit. Nomen hoc scriebatur in documentis saec. XV-XVI ut «Sopeha, Sopiha, Sopiežč»; postea sub finem saec. XVI vocantur iam Sapieha. Dantur tamen exceptiones. Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 22, p. 933.

¹¹⁵ Magnus Dux Lithuaniae ex familia Jagello (1492-1506), qui anno 1501 electus est etiam Rex Poloniae (1501-1506).

¹¹⁶ Cfr. C. GIANNELLI, *A propos...*; ibi etiam auctor textum dat epistulae Joachim, Patriarchae Constantinopolitani (p. 456), qui sedem Constantinopolitanam obtinebat annis: 1498-1502. Cfr. AMMANN, p. 591.

¹¹⁷ Cfr. Bullam Alexandri VII: «Altitudo divini consilii» de data 10.IX.1501; cfr. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, II, p. 295-6, in nostra Collectione sub nr. 108. AMMANN M. A., *Zur Geschichte der Geltung...*

esse, ut accipiamus paterna caritate volentes ad gremium Romane ecclesie redire.

Tua igitur fraternitas prefatum Iohannem Iozeph, et cum eo de fide nostra et Romane ecclesie recte sentientes hortabitur, ut cum videant martirii beatorum Petri et Pauli fulgorem, quo Romana ecclesia illustrata est, ubique collucere, non putent agnum comedи posse, nisi in una domo, Romana et apostolica ecclesia, nec extra ipsam agnum immolari. Qui enim agnum extra eandem ecclesiam comedunt, Iudeorum pertinaciam vel hereticorum dogmata sequentes, hi pro agno draconis carnes, qui datus est in escam populis Ethiopum, comedunt. Legant non fuisse in diluvio salvatos, nisi eos, qui in archa Noe fuerunt, per quam ecclesia Dei figuratur, que unica est, et cuius caput est et magistra Romana ecclesia, Salvatore nostro ita disponente. Illi ergo ad illam configuant, ad illam, sequentes patres suos in concilio Florentino congregatos, convertantur, illam venerentur. Nos quoque, qui divina gratia, licet immeriti, ecclesie Romane universo orbi presidemus, illos in visceribus charitatis et omni plenitudine potestatis a Deo nobis concesse et per nos et per nuncios nostros, si res ipsa exegerit, destinandos complectemur.

Et insuper dabis solerter operam, prout in sapientia tua confidimus, quod de premissis omnibus et aliis, in quibus Ruthenorum ritus a Romana ecclesia discrepant, veram notitiam habeas, ita ut nos de illis certiores reddere possis. Sicque habita relatione tua illarum provinciarum oves hactenus dispersas, divina gratia suffragante, et tua diligentia, ad nostrum et Romane Ecclesie ovile reducere valeamus. In quo et a Deo omnipotenti, cuius causa agitur, merita et a nobis, quas poterimus, gratias expectare tibi licebit.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesima sexta Aprilis, Millesimo quingentesimo primo, Pontificarus Nostri Anno nono.

103.

Romae, 28 . IV . 1501

Concessiones quaedam pro Joanne Sopiha et indulgentia pro ecclesia ab eo construenda. Clarum testimonium Catholicorum utriusque Ritus conviventiae.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 51v-52.

ALEXANDER EPISCOPUS servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Admonet nos commissa nobis desuper pastoralis officii solicitudo, ut nos illis per que ecclesiarum quarumlibet erectioni cum divini cultus augmento et animarum Christifidelium salute valeat salubriter provideri, quantum cum Deo possumus, accurramus. Sane pro parte dilecti filii, nobilis viri, Johannis Sopyeha, militis Vilnensis dioecesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipse olim fervore devotionis *accensus parochiale* ecclesiæ Sancti Spiritus in Ukasno in districtu Krzeslaviensi dictæ dioecesis canonice fundari et erigi obtainuerit illamque de bonis sibi a Deo collatis decenter dataverit ita quod ibi presbiteri rutheni vere catholici ac sancte Romane Ecclesie obedientes semper esse ac secundum morem Grecorum seu iuxta eorum ritus

et mores celebrare deberent, tamen ecclesia ipsa adhuc constructa non fuit et propterea ecclesiam ipsam et in ea altaria quotquot fuerint opportuna consecrari, ac in ea, postquam consecrata fuerit, quod presbiteri et clerici item latini secundum ritum Latinorum ordinati, ac obedientiam dicte Sedi exhibentes ac illius graciam et communionem habentes item super altari seu altaribus missas et alia divina officia audire possint.

Quare pro parte dicti Johannis, qui dilecti filii, nobilis viri, Alexandri, Magni Ducis Lithuaniae, Secretarius ruthenicus existit, nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Johannem a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenitentiis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodo libet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat harum serie absolventes et absolutum fore censes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod omnes presbiteri latini et rutheni secundum ritum Latinorum ordinati in dicta parochiali ecclesia et super altaribus in ea pro tempore constructis, priusquam constructa et ordinata ac per Venerabilem fratrem nostrum modernum Episcopum Vilnensem seu alium episcopum ad hoc per eum deputandum, super quo sibi plenariam concedimus facultatem secundum ritum Latinorum consecrata fuerint, missas et alia divina officia celebrare ac utriusque sexus Christifideles tam Latini quam Ruteni sub devotione et obedientia Romane Ecclesie persistentes ac graciam et communionem dicte Sedis habentes, missas et divina officia huiusmodi inibi audire libere et licite possint, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus. Nos tamen cupientes ut ecclesia predicta priusquam confecta fuerit ut presertim congruis frequentetur honoribus ac in suis structuris et edificiis debite constructetur et reparetur, calicibusque ac ornamentis ecclesiasticis ad divinum cultum necessariis muniatur, ac Christifideles eo libentius devotionis causa ad illam confluant, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere penitenibus et confessis, qui parochiale ecclesiam predictam in pentecostes et transfigurationis Domini nostri Ihesu Christi, ac presentationis beate Marie semper virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac dedicationis eiusdem ecclesie festivitatibus, a primis vesperis usque ad occasum solis dictarum festivitatum et dedicationis huiusmodi inclusive, singulis annis perpetuis futuris temporibus devote visitaverint ac ad reparationem, conservationem et calicum et aliorum ornamentorum huiusmodi munitionem manus porrexerint adiutrices, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum etc. contraire. Si quis autem etc. incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo primo, quarto Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno nono.

104.

Rome, 7. V. 1501

Magno duci Lithuaniae super reductione Io. Ioseph Metropolitae Russiae ac Ruthenorum ad Ecclesiam Catholicam.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 48-49.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 283-284, nr. 302.

PELESZ J., *op. cit.*, vol. I, p. 486-488.

Dilecto filio, nobili viro, Alexandro, Magno Duci Lithuaniae
ALEXANDER PP. VI. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus litteras tuas in commendatione Iohannis Iozeph, quem Kyovenses et Russie populi ut pastorem et directorem tenent et sequuntur. Auditivimus quoque, quod dilectus filius Erasmus Vitellius, et Iohannes Sopyeha, Rutenus, Secretarius tuus, eiusdem Iohannis Iozeph consanguineus et procurator, de optima ipsius mente in materia reductionis sue et populi sibi crediti ad obedientiam nostram, et apostolice sedis reverenciam iuxta Concilii Florentini diffinitionem nobis retulerunt, commendantes plurimum officium tuum et eiusdem Iohannis Iozeph bonam mentem; affectamus enim summo desiderio, quod oves pascue Domini nostri Ihesu Christi eius Vicarium recognoscentes, suumque pastorem verum sectantes, salutis viam et ad eternam beatitudinem iter ingrediantur.

Sed quoniam huiusmodi reductio iuxta diffinitionem predicti concilii Florentini sepius tentata, et, tociens humani generis inimico impediente et zizaniam seminante, interrupta extitit, ne per nos absque bona intelligentia leve aliquid fieret, sed ut mature omnia et cum plena rerum notitia ac sedis apostolice dignitate tractarentur, cogitaveramus aliquem nostrum nuntium istuc destinare, virum doctrina, experientia et moribus peditum, qui de consilio et sententia nostra pro eiusdem Iohannis Iozeph et totius Rutheni populi salute tecum ageret. Sed quoniam orator super tuus hac nostri nuntii destinatione differendum esse nos rogavit, ne propterea dux Moszkovie belli contra te gerendi aliquid censeretur, saltem quoad Nobilitas tua de his omnibus edocta, quid sanioris consilii crederes, nobis per tuas litteras intimates. Oratores nunc consilium admittentes a predicta mittendi nuntii deliberatione abstinebimus, quounque nobis commodum ad id tempus, facta etiam istic per te bona rerum dispositione, insinues.

Ne interea tamen aliqua parte salutis viam et ipsi Iohanni Iozeph et populis predictis precludere videamur, tibi, fili predilekte, significamus, ut per te de cuius fide et sancta intentione plurimum in Domino cofidimus, ad Iohannem Iozeph predictum et reliquum populum Ruthenum admonitio et consolatio nostra perveniat, quod ipsius Iohannis Iozeph reductionem et obedientiam sancte Romane ecclesie ac nobis per suum procuratorem prestitam gratissimam habuimus et habemus, orantes Deum omnipotentem, quod in eo ipsum confirmet et faciat perseverare, quod iam cepit operare, ne aliqua sinistra suggestione circumventus ab incepto recto transe possit dimoveri, atque id maxime sua fideli et continuata ac publica constantia ac perseverantia, cum opportunum fuerit, licebit experiri. Verum de confirmatione

auctoritatis et dignitatis sue, et apostolice sedis gratia illis impendenda in indulgentiis per eum concedendis, et in edificationibus ecclesiarum Ruthenorum de muro, in litteris latinis et aliis per procuratorem suum expositis duximus mature cogitandum, quoad probe intellexerimus modum sue perfectionis. Cum enim Constantinopolitanus Patriarcha vere nullus alias sit hodie quam Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Portuensis Cardinalis sancti Angeli, qui post Ruthenum, Nicenum et Cretensem Prelatos huic dignitati iure prefectus est¹¹⁸, nescimus quonam pacto promotio facta per illum Ioachinum hereticum¹¹⁹, constitutum violenta manu in sede Constantinopolitana per tirannum Turcorum, a nobis in hac sanctissima sede debeat quoquomodo approbari. Si autem ipse Iohannes Iozeph paratus est recipere decretum concilii Florentini, cuius bullam excellentie tue transmittimus, et alias ycomenicas sinodos admittere, et in nullo a catholica fide deviare secundum Grecorum ritum, quem latina et universalis ecclesia in conciliis universalibus permittit, cuique adhesit ecclesia Ruthena, contentabimus ab omnibus preteritis offensionibus et maculis predictum Iohannem Iozeph absolvere, et tunc in dignitate Metropolitica per nos confirmare, aut per dictum Iohannem Constantinopolitanum confirmari facere, dum promittat, et quantum in se fuerit, coopereretur et enitatur, quod clerus et populus Ruthenus et Grecus sibi obediens decreta concilii Florentini cum effectu suscipiat, et perpetuo abrenunciare proponat.

Hec enim est vera obedientia, veneratio et adhesio sancte Romane ecclesie, apud Deum et homines grata, et accepta iuxta Evangelium Mathei et prophetiam Esai, que non solum labiis, sed corde et opere prestatur et exhibetur. Huiusmodi ergo reali adhesione et obedientia per eundem primatem et eos, quantum in eo fuerit, sancte Romane ecclesie et nobis prestita et data, omnibus articulis de processione Spiritus Sancti a Patre et filio, de unitate ecclesie in obedientia primatus Apostoli et troni Romane sedis, de purgatorio et premio ac premiis et penis bonorum et malorum post mortem, his omnibus capitulo ut prediximus, intellectis et acceptis, quod baptisati in tercia persona sub ritu Grecorum, premisso nullo alio canonico obstaculo impediente, non debeant rebaptizari, et quod Eucaristie sacramentum in fermentato confici, et sub utraque specie et secularibus per eos in suis ecclesiis exhiberi possit, et quod sacerdotes greci uxores ante sacros ordines susceptas possint retinere, permittimus, dum tamen in his et aliis articulis, ritibus latine ecclesie supra petram Christum et Petri Apostoli eruditioinem et fidem, pro qua Dominus, ne deficeret, oravit, fundatis, minime detrahere presumant, sed unitate fidei et ecclesie in omnibus membris Christi presupposita, in ritibus et ceremoniis non substantialibus licitum sit mores patrios culibet ecclesie servare.

Hec omnia cum eodem Iohanne Iozeph communicabis, ascito etiam tecum Venerabili fratre Episcopo Vilnensi¹²⁰, et de omnibus que tractaveris et concludes, facies nos certiores, ut iuxta informationem tuam, vel de aliquo Nun-

¹¹⁸ Agitur, ut videtur de Patriarcha latino Constantinopolitano.

¹¹⁹ Joachimus I (1498-1502). Cfr. G. GIANNINI, *A propos...* in «Or. Christiana Periodica» IX (1943), III-IV, p. 450-459, ubi etiam littera greca Joachim Patriarchae invenitur.

¹²⁰ Albertus I Tabor, qui obiit anno 1507.

cio mittendo cum plena auctoritate nostra ad integrum reductionem admittendam, vel de bullis et facultatibus predictis in persona prefati Episcopi Vilnensis, prout melius expedire videbitur, provideamus.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Maii MDI, Pontificatus Nostri Anno nono.

105.

Romae, 10 . V . 1501

Gregorio de Loszko, Kioviensis dioecesis, a quodam falso Antistite ad ordines promoto, ut a quolibet catholico Episcopo sacros ordines et uno die recipere possit indulgetur.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 49-50.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lituaniae*, II, pag. 284, nr. 304.

Dilecto filio Gregorio de Loszko, Kyoviensis diocesis.

ALEXANDER PP. VI. Dilekte fili, salutem etc.

Exponi nobis fecisti, quod olim tu, qui Ruthenus es, ac ex legitimo matrimonio ex sacerdote iuxta Grecorum morem genitus, et in tertia persona baptizatus fuisti, per quendam Vasianum Episcopum Wladimiriensem¹²¹, quem rite in Episcopum promotum et consecratum esse credebas, ecclesia Kyoviensi tunc pastore carente, absque aliquibus dimissorialibus, et augustum confirmationis sacramentum recepisses, ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promotus fuisti, et in huiusmodi ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrasti missas et alia officia celebrando et ecclesiastica sacramenta ministrando¹²². Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, a nonnullis asseratur, prefatum Vasianum in Episcopum promotum non fuisse, seu ad id facultatem a sede apostolica non habuisse, sed more Grecorum illarum partium pro tunc gerentem se pro patriarcha Constantinopolitano in Episcopum promotum, seu administratorem deputatum fuisse, et propterea dubites te ad huiusmodi ordines rite promotum non esse, tuque divina inspirante tibi gratia, ad vere cognitionis lumen et sancte Romane ecclesie unitatem conversus, de premissis ab intimis doleas, intendasque imposterum iuxta ipsius Romane ecclesie veram fidem et sacrosanctas ordinationes vivere, nobis de remedio humiliter supplicasti.

Nos attendentes, quod ipsa pientissima mater ecclesia ad eam cum humilitate redeuntibus gremium aperire consuevit, volentesque te, de cuius pro-

¹²¹ Vassianus, Ep. Volodimiriensis. Cfr. de hoc Episcopo, quae habet Ic. STEBELSKI, *Chronologia*, ed. II, Leopoli 1867 : *Przydatek do Chronologii*, p. 141-142.

¹²² De hac persona eiusque ordine sacerdotali sic habetur in introductione ad praesens documentum: « Idem Sopyeha habuit servum praesbiterum Ruthenorum quem Pontifex iussit Romae in ceremoniis Misse examinari ita ut totam Missam integre celebravit apud Sanctum Petrum in presentia multorum Episcoporum latinorum et grecorum, et relatione facta in publico Consistorio iussit Pontifex eundem Ruthenorum presbiterum denominare consecrari ab Episcopo latino, prout ex litteris infrascriptis clarius intelliges » (ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 48).

bitate et meritis alias apud nos fidedigna testimonia perhibentur, horum intuitu favore prosequi gratio, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te ab axcessibus huiusmodi, ac excommunicationis et quibusvis aliis ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis, si quas premissorum occasione quomodolibet incurristi, tenore presentium apostolica auctoritate absolvimus, ac tecum super irregularitate, si quam etiam sentenciis, censuris et penis huiusmodi ligatus Missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando contraxisti, dispensamus, quodque ad omnes ordines ordinatos rite prouoveri, et in illis, post quam sic promotus fueris, in altaris ministerio ministrare, necnon confirmationis sacramentum prius, et deinde ordines huiusmodi a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem sedis apostolice habente, et in Romana Curia residente uno et eodem die dominica alias festivo, etiam extra tempora a iure statuta suspicere libere et licite valeas, auctoritate et tenore predictis similiter dispensamus, tibique indulgemus, ac eidem antistiti ad hoc facultatem concedimus, abolentes omnem inhabilitatis et infamie maculam seu notam per te predicta occasione contractam, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod confessorem idoneum eligas, qui tibi super his penitenciam iniungat salutarem, quam adimplere omnino tenearis.

Datum Rome apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Maii MCCCCCI, Pontificatus Nostri Anno nono.

106.

Romae, 8 . VI . 1501

Eidem duci Lithuaniae ut omnem operam in reducenda uxore sua ad unitatem Ecclesiae catholicae collocet, aut eam, si in schismate graecanico persistere velit, salvo semper vinculo matrimonii, dimittat.

ASV, *Armarium*, vol. 21, fol. 58rv.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 288-89, nr. 310.

Dilecto filio, nobili viro, Alexandro, Magno Duci Lithuaniae.

ALEXANDER PP. VI. Dilekte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex relacione dilecti filii Magistri Erasmi Vitellii, Prepositi Vilnensis, Notarii nostri, tuique apud nos oratoris intelleximus, que Nobilitatis tue nomine per eum nobis exposita fuerunt, quibus cognovimus tuum bonum zelum summamque pietatem erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam, ac universam religionem Christianam, cum populos nonnullos ex tibi subditis, ut relicta scismatica Ruthenorum pravitate, orthodoxam fidem amplecti et sequi velint, inducere studeas. Gaudemus profecto mirum in modum, ac non possumus nisi magnopere bonam hanc tuam sanctamque mentem utpote ipsorum populorum tuorum animarum unicum saluberrimumque remedium comprobare et commendare; in quo salutifero proposito, ut perseve-

rare velis, quemadmodum pro prudentia et bonitate tua te facturum minime dubitamus, quantum possumus, iterum atque iterum enixe hortamur ac oneramus. Nos eciam nonnulla, que ad huiusmodi unionem procurandam necessario examinanda duximus, per litteras nostras superioribus diebus Venerabili Fratri Alberto Episcopo Vilnensi significavimus, ut eciam Nobilitas tua per litteras nostras perspicere potuit, atque ea in re confiencia omni conatu et studio, habita relacione prefati Episcopi Vilnensis, intendere decrevimus.

Declaravit preterea nobis idem Orator tuus, quod cum nobilem Helenam¹²³ in uxorem tuam acciperes, per medium Oratorum tuorum, patri eiusdem¹²⁴ inter cetera policitus es, quod eciam iuramento forte dictorum Oratorum sub nomine tuo confirmatum extitit, nunquam eandem compulsurum ad ritum Romane ecclesie suscipiendum; sed si sponte sua ed eandem Romanam ecclesiam venire vellet, libertati sue in hoc eam dimitteres, que tua Nobilitas, quamvis perniciosa satis et iuri contraria fuerint, per quinquennium observare curavit, eam semper honeste tractando, nunquam tamen illam ad ritum Romanum observandum compellendo; nichilominus illa ab ritus Romani hominibus secularibus et religiosis salutiferis exhortationibus monita, et ut se tue Nobilitati in ritus Romane ecclesie observantia pro maiori charitate et dilectione conformasset, non parum rogata, difficillimam se in tali salutis sue opere semper prestit et inexorabilem, ita, ut iam pauca tue Nobilitati de eius conversione spes relinquatur, et quod detestandos errores Ruthenorum abiurare, et Romanam ecclesiam sequi velit. Quare nos consulis, quid cum illa pro mutua salute animarum vestrarum tibi faciendum censemus. Laudamus summopere tuam erga nos et hanc sanctam Sedem devocationem et reverenciam, quod ad pastorem communem, ut mutue saluti tue et uxorius propicias, reverenter configiendum duxisti, quod ut citius fecisses optavissemus, simul eciam plurimum commendamus, quod in hoc tam pio erga uxorem officio non defueris, quo eam in viam salutis dirigas; facies enim, quod optimi mariti pietati in coniugem convenit, dum te ostendis non minus anime sue salutem, quam coniugalem deceat charitatem, omni studio curare. Itaque volumus, teque oneramus, ut non obstantibus promissionibus et iuramentis predictis, quibus te nullatenus teneri tenore presentium declaramus, denuo tentes, ac ea omnia agas, que tibi necessaria videbuntur, quo eadem uxor tua, relicta pessima Ruthenorum secta, tandem resipiscat, ac sanctam christianam religionem agnoscat et observet. Quod si sanam mentem induere rursus recusabit, atque ab eius pertinacia omnino divelli nequiverit, committimus prefato Episcopo Vilnensi per Breve nostrum, quod cum exemplo eiusdem hic alligatum habebis¹²⁵, ut eandem Helenam

¹²³ Agitur de Helena, regina Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae Ducissa. Filia Joannis III Vasilidis, Magni Principis Moscoviae. Nata an. 1476, uxor Alexандri anno 1495. Matrimonium hoc plurimas creavit difficultates politicas Poloniā et Moscoviam inter quia a patre suo instigabatur, ut in ritu graeco perseveraret, imo alias ad suas partes pertraheret. Hac de re optime disserebat JULIANUS BARTOSZEWSKI in *Encyklopedia Pow-szeczną*, vol. II, p. 437-444. Obiit an. 1513. Etiamsi non proprio ad nostrum pertinet argumentum, Breve hoc tamen historiam Ucrainae et Belorussiae illustrat, ut exemplum cohabitationis Ritus Graeci et Latini in hoc eodem territorio.

¹²⁴ Joannes III Basilides, Magnus dux Moscoviae (1462-1505).

¹²⁵ Cfr. documentum subsequens.

inducat quibus poterit suasionibus, ac moneat, et, si opus fuerit, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogat et compellat, ut abiuratis erroribus suis ad unitatem fidei catolice veniat. Quod si in pertinacia sua, paternis eius monitionibus contemptis perstiterit, eandem Helenam a cohabitatione thori tui separet, et aliis maritalibus obsequiis privet, ac penitus a te dimoveat. Tue igitur partes erunt in eo fervore, quem concepisti, permanere, ac anime tue salutem uxoris deliciis et amori anteponere, illamque Ruthenorum maculis quasi lepra quadam infectam, eaque curari recusantem abste ad mandatum dicti Episcopi reiicere. Quod si feceris, confidere debes in Domino, quod te ex molestiis et vexationibus, quibus circumvallaris, eripiet et in portum salutis perducet. Insuper tibi persuadeas volumus, nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam dignitatem et amplitudinem tuam omni tempore propensissimo animo curaturos.

Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. (sub Annulo Piscatoris, die VIII Iunii MDI, Pontificatus Nostri Anno nono).

107.

Romae, 8 . VI . 1501

Alberto, Episcopo Vilnensi, super eodem argumento.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 59rv.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 289-290, nr. 311.

Venerabili fratri Alberto¹²⁶, Episcopo Vilnensi.

ALEXANDER PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Dilectus filius Magister Erasmus Vitellius, Prepositus ecclesie tue Vilnensis ac Notarius noster, et dilecti filii, nobilis viri, Alexandri Magni Ducis Lithuanie apud nos orator, ipsius Alexandri Ducis nomine nobis exposuit, a pluribus katholicis et gravibus viris fuisse temptatum, ut nobilem Helenam¹²⁷, ipsius uxorem, Ruthenorum pravitate reicta, ad orthodoxam fidem amplectendam inducerent, ad quod nullis unquam rationibus adduei potuit. Nos animadvententes, in quam manifestum et evidens periculum, dum ipsa Helena hac eius obstinatione non modo animam suam, verum eciam ipsius Ducis mariti, et aliorum, cum quibus eam versari contingit, precipitet, cum pro pastorali officio intersit nostro huic tam detestando morbo medelam afferre, circumspectioni tue tenore presentium iniungimus, ut dictam Helenam, quibus poteris, suasionibus et monitionibus horteris atque premoneas, quod reicta Ruthenorum secta, Religionem Christianam amplectatur et sincere observet. Quod si a pertinacia sua (quod tamen nobis persuademus) amoveri non poterit, eidem circumspectioni tue committimus et mandamus, quatinus ipsa vocata, et aliis, qui fuerint vocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii procedendo ex officio, eciam nemine

¹²⁶ Albertus I Tabor, qui obiit anno 1507.

¹²⁷ Cfr. omnia, quae dicuntur in documento praecedenti, dato ad Magnum Ducem Alexandrum.

instante, quomodo dicta Helena de fide katholica senciat, et in quibus a Romano ecclesie katholicis institutis et ritibus discrepat, et Ruthenorum errores sequatur, te diligenter, et per eiusdem Helene et aliorum testium examinationem informes, et si illam a fide, quam Romana ecclesia tenet, et definitionibus sacri concilii Florentini sub Eugenio quarto, predecessorre nostro inter Latinos et Grecos concordatis alienam, ac Ruthenorum erroribus implicitam inveneris, eandem ad agnoscendam, ut prefertur, fidem katholica, et Ruthenorum errores abiurandos per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia, etiam cum invocatione, si opus fuerit, brachii secularis, cogas et compellas; quod si contumaciter in eisdem erroribus persistere voluerit, nec se emendare cum effectu parata parata fuerit, pronuncies, diffinies et declares, citra tamen preiudicium vineuli matrimonialis inter eos contracti, Alexandrum prefatum Ducem ad cohabitandum cum ea, et ad alia maritalia officia obsequiaque eidem prestanda minime teneri, thorumque, cohabitationem et omne consorciun coniugale inter prefatos Alexandrum et Helenam separares, et separata de cetero fore decernas, concedens licentiam eidem Alexander ipsam Helenam auctoritate nostra apostolica ex lecto, domo et omni maritali consorcio penitus excludendi, illamque pro meritis errorum suorum, etiam dotem et omnia alia bona eiusdem confiscata declarando, punias, prout iustitia suadebit, cum potestate compellendi quoscumque testes et exequendi quicquid per te ordinatum fuerit, tam contra eandem Helenam, quam contra quoscumque alios Contradictores et rebelles sub censuris et aliis remedii premissis, non obstantibus quibusvis promissionibus, etiam iuramento firmatis, quibus forsitan prefatum Alexandrum Ducem promisisse et se obligasse diceretur, quod nunquam compelleret prefatam Helenam ad ritum Romane ecclesie suscipiendum, quod si sponte sua ad eandem Romanam ecclesiam venire vellet, libertati sue eam dimittere, quibus eundem nullatenus teneri tenore presentium declaramus, et aliis contrariis quibuscumque.

Datum Rome etc. (apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VIII Iunii, Millesimo quingentesimo primo, Pontificatus Nostri Anno nono).

108.

Romae, 23 . VIII . 1501

Ruthenos in Magno Ducatu Lithuaniae ad unitatem Ecclesiae Catholicae venientes non rebaptizari Pontifex declarat.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 61-62.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lituaniae*, II, pag. 295-96, nr. 319.

PELESZ J., *op. cit.*, I, p. 489-490.

ALEXANDER EPISCOPUS servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Altitudo divini consilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex sue immense bonitatis essentia aliquid semper ad salutem humani generis pullulans tempore congruo, et soli suo secreto misterio, quod ipse Deus novit, opportune producit et manifestat, ut cognoscant homines ex suis meritis tanquam ab ipsis nichil proficere posse, sed eorum salutem et omne donum gratie ab ipso summo Deo et patre luminum provenire. Sane non sine gran-

di et spirituali mentis nostre leticia accepimus, quod nonnulli Rutheni in Ducatu Lithuaniae et alii ritu greco viventes, fidem tamen christianam alias profitentes, qui Vilnensem, Kyoviensem, Luceoriensem et Medniczem¹²⁸ ci-vitates et dioceses, ac alia loca eiusdem Ducatus inhabitant, Sancto Spiritu cooperante illustrati, nonnullos errores, quos hactenus ritu et more Grecorum viventes observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abdicare, et unitatem fidei catholice latine Romane ecclesie amplecti, et secundum ritum eiusdem latine et Romane ecclesie vivere desiderant et proponunt; sed quia more Grecorum, siclet in tercia persona baptisati fuerunt, et nonnulli asserunt eos de novo baptisari debere, predicti, qui ritu greco hactenus vixerunt et adhuc vivunt, tanquam antea rite baptisati renuunt et recusant de novo baptism*a* suscipere¹²⁹.

Nos igitur, qui ex commisso nobis desuper, licet insufficientibus meritis, officio pastorali cupimus singulas oves nobis commissas ad verum ovile Christi perducere, ut fiat ex illis unus pastor et unum ovile, et ne sancta catholica ecclesia diversa et deformia membra a capite discrepancia, sed conformia habeat, attendentes, quod per fel. rec. Eugenium PP. IV, predecessorem nostrum, in Concilio per eum Florencie celebrato, et in quo Greci atque Armeni una cum Romana Ecclesia sencientes interfuerunt, diffinitum fuit, formam huius sacramenti baptismatis existere: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen; ac etiam per illa verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, verum perfici baptism*a*; quoniam cum principalis causa, ex qua baptism*a* virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, sic exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministerum, cum sancte Trinitatis invocatione perficitur sacramentum, et propterea huiusmodi sacramenti sic in tercia persona collati reiteracionem necessariam non existere, habita etiam cum fratribus nostris super hoc deliberacione matura, auctoritate apostolica nobis et aliis Romanis Pontificibus ab ipso Christo Ihesu Domino nostro per beatum Petrum, cui et successoribus suis apostolatus ministerii dispensacionem commisit, tradita tenore presencium decernimus atque declaramus, omnes et singulos sic in tercia persona baptizatos, volentes a ritu greco ad ritum et morem latine et sancte Romane Ecclesie venire, simpliciter et sine alia conditione, aut etiam obligatione vel coactione, quod interim rebaptizentur, etiam cum intencione, quod alias ritus per orientales ecclesias observari solitos hereticam pravitatem non concernentes observare possint, facta prius tamen per eos omnium errorum rituum Grecorum a latina et Romana Ecclesia et illius ritu ac sanctis institutionibus deviantium abiuracione, admittendos fore, exhortantes etiam per viscera misericordie Dei nostri omnes et singulos, qui predicto modo baptizati sunt, et ritu greco vivunt, ut abnegata omnium errorum (observatione), quos secundum morem et ritum Grecorum hactenus obser-

¹²⁸ Eparchia Medniczensis aliter vocatur etiam Samogitiensis.

¹²⁹ Cfr. A. M. AMMANN, Zur Geschichte der Geltung der Florentiner Konzilsentscheidungen in Polen-Lithauen. Der Streit über die Gültigkeit der Griechentaupe, in «Orientalia Christiana Periodica», VIII (1942) I-II, p. 299-316.

varunt, quique ab immaculata et sancta catholica latina et Romana Ecclesia et illius sanctorum patrum institutionibus approbatis deviant, velint eidem catholice ecclesie illiusque salubribus documentis pro animarum suarum salute et veri Dei recognicione adherere. Et ne eorum sanctum propositum quovismodo retardari possit, Venerabili fratri nostro Episcopo Vilnensi in virtute sancte obedientie committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos sic baptizatos, et ad unitatem prefate latine Ecclesie venire et errores predictos abiurare volentes, ad prefate latine Ecclesie unitatem et errorum huiusmodi abiuracionem per se vel alium seu etiam alios seculares prefatos ecclesiasticos, seu Predicatorum aut Minorum Ordinum regularis observantie professores, doctos et probos ac alias idoneos, quibus id duxerit, committendum, recipiat et admittat, ac tam sibi, quam illi vel illis cui vel quibus, quociens expederit, id duxerit committendum, singulos prefatos sic venientes, ab excessibus propter observationem huismodi errorum, ac heretica pravitate inde proveniente, necnon excommunicationis sentencia aliisque censuris et penis ecclesiasticis, quas quomodolibet propterea incurserunt, dicta apostolica auctoritate absolvendi, ac eis pro modo culpe penitenciam salutarem iniungendi, aliaque in premissis necessaria faciendi plenam et liberam licenciam et facultatem concedimus per presentes.

Verum quia forsam difficile foret presentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus et eadem apostolica auctoritate decernimus, quod earundem litterarum transumpto manu alicuius notarii publici subscripto, et sigillo prefati Vilnensis seu alicuius alterius Episcopi vel Prelati ecclesiastici munito, eadem fides prorsus adhibeatur in iudicio et extra vel alias ubilibet, ubi fuerit exhibitum vel ostensum, sicut ipsis litteris originalibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense, non obstantibus constitutionibus et ordinacionibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, declaracionis, exhortacionis, commissionis, mandati, concessionis, voluntatis, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Rome apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1501, X Kalendas Septembbris, Anno nono.

Hadrianus
P. Thomarotius

109.

Romae, 26 . XI . 1501

Friderico Cardinali super eodem negotio Ducissae Helenae.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 59v-60.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 290, nr. 312.

ALEXANDER PP. VI. Dilekte fili, salutem etc.

Cum superioribus mensibus per dilectum filium Magistrum Erasmus Vitellium, Praepositum ecclesie Vilnensis ac Notarium nostrum, et dilecti filii,

nobilis viri, Alexandri, circumspectionis tue fratris germani¹³⁰, tunc Magni Ducis Lithuaniae oratorem, apud nos ipsius Ducis nomine nobis declaratum fuisse, nonnullos viros katholicos et gravitate preditos temptasse, ut nobilis Helena eius coniux, prava et detestanda Ruthenorum secta obmissa, fidem orthodoxam amplectetur, tamen illam nullis unquam rationibus adduci potuisse, ut sancte fidei lumen plene agnoscere vellet. Quamobrem videntes nos in quam magno discrimine hac eius pertinacia non modo animam suam constitueret, verum eciam Ducis proprii ceterorumque, quibus cum ea versari contingit, scripsimus Venerabili Fratri Episcopo Vilnensi, quemadmodum pastorali officio nostro convenire arbitramur, ut debitis suasionibus, hortationibus ac monitionibus eam ad sanitatem reducere studeret. Verum posteaquam idem Alexander immortalis et clementissimi Dei, per quem Reges regnant, providencia ad Polonie regnum promotus est, munere nunc longe graviori humeros nostros premi sentimus providendi, quod qui eciam divino munere tot provinciis, tot populis, tot subditis christiane religionis prepositus, et sincero animo sequatur; itaque nichil intemperatum relinquere volentes, ut illa tandem resipiscat, ac summum et unicum catholice fidei bonum agnoscat, circumspectionem tuam hortamur, ut charissimum in Christo filium nostrum Regem Polonie, prefatum fratrem germanum suum, monere velit et in Domino hortari¹³¹, ut Helenam prefatam coniugio sibi iunctam adducere nitatur, quod secum in catholica fide et christiana religione moribusque conveniat, ac insuper ut omni solertia et diligentia circumspectio tua studeat eam alloqui, et in salutis viam dirigere, adhibendo quascumque suasiones, hortationes ac monitiones, quas ad eam excitandam eiusque errores corrigendos necessarias esse duxerit, quam si demum cognoscat Ruthenorum pravitatem abiurare nolle, et fidem katholicam perfecte sequi ac sincere colere et observare, tunc aperte illi declarabit nos permissuros, quod contra eam procedatur iuxta iuris formam, castigeturque, sicuti eius errorum pertinacie convenit, quippe summa esset Romane Ecclesie indignitas ac opprobrium, ubique ingenti detestatione execrandum, et que christianum nomen et katholicas institutiones abhorret et fugit, tam insignis potentisque Regni Regina dicatur.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVI Novembris (Millesimo quingentesimo primo. Pontificatus Nostri Anno decimo).

¹³⁰ Fridericus, Cardinalis tit. S. Lucinae in septem collis ab an. 1493 (die 20.IX). Sextus filius Regis Casimiri Jagellonis, nat. an. 1468. Nominatus Ep. Cracoviensis an. 1488, quo anno etiam ordines accepit sacros (minores). Anno 1492 fratrem suum Joannem in regem Poloniae proclamavit. Anno 1493 electus fuit etiam ad cathedram Gnesensem, retenta sede Cracoviensi. Anno 1501, die 12 Decembris, fratrem suum Alexandrum in Regem coronavit Poloniae, cuius devenit etiam locumtenens in Regno, dum Alexander in bellum moscoviticum profectus est. Obiit die 14.III.1503, anno vitae 35, episcopatus Cracoviensis an. 15, Gnesensis 10, cardinalatus an. 9. (Cfr. Enc. Powszechna, vol. 9, p. 379-381).

¹³¹ Quaesito haec de Helena, Magna Ducissa, ut videtur, acuta devenit postquam Alexander ex Magno Duce Lithuaniae devenit Rex Poloniae. Epistulae hae omnes scriptae sunt ante eius coronationem, quae locum habuit die 12 Decembris 1501. In hac coronatione Helena non participabat, prout heterodoxa.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

IULIUS II
(31.X.26.XI.1503 — 21.II.1513)
s a v o n e n s i s
(Julianus della Rovere)

D O C U M E N T A I U L I I P P . I I

110.

Romae, 12 . V . 1505

*Donatio denarii S. Petri ad decem annos pro reparacione Kamene et aliorum
castrorum in Ucraina, propinqua incursionibus tartarorum.*

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 203.

IULIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc.

Ex relatione dilectorum filiorum charissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris oratorum, ad Nos et Sedem Apostolicam pro prestanta obedientia destinatorum, nuper recepimus, quemadmodum innumerabilis et fera Tartarorum natio nomini christiano semper infesta compluresque diversarum sectarum populi acerimi catholice fidei hostes circumsidentes Magnum Ducatum Lithuaniae, Russie Podolieque terras carissimi in Christo filii nostri Regis prefati ditioni subiectas, assiduis incursionibus depopulationibusque nec sexui nec etati nec personarum conditioni parcent, per ignem ac ferrum sic devastarunt, ut non solum multa Christifidelium millia partim crudelissime trucidaverunt, partim in miserabilem inde captivitatem abduxerint, verum etiam quamplures ecclesias, in quibus religiose divinus cultus exercebatur, diversasque arces et castella, que ad illarum terrarum presidia fuerunt a maioribus edificata, violenter everterint, multis solo equatis atque intantum immanes vires suas per Regna et potentatus illos iam extenderint, et nisi manus adiutrices predicto Regi Illustri, his calamitatibus remedia querenti, eiusque afflictis regnicolis prius afferantur, non modo locis et terris illis, sed etiam christianitati universe periculum immineat manifestum.

Eapropter Nos ex debito pastoralis officii commissi nobis Dominici gregis presidio ac tutele providere et calamitates eiusmodi, quantum cum Deo possumus nostreque suppetant facultates, avertere cupientes, tibi presentium tenore committimus atque mandamus, ut ea que ex denario Sancti Petri in dicto Polonie Regno Camere Apostolice proveniunt nobisque debentur, nomine nostro in ecclesiarum, arcium et castellorum huiusmodi destructorum reparationem, presertim castri Camienyecz, quod Regni illius quoddam propugnaculum semper est habitum, instaurationi,

Venerabilibus fratribus nostris Cracoviensi et Plocensi Episcopis et dilecto filio Castellano Cracoviensi pro tempore existenti alias in manus ipsorum integre et cum effectu per decem annos continue succedentes, et deinde ad nostrum et dicte Sedis Apostolice beneplacitum tradas et consignes pro huiusmodi castri necessariis et aliarum arcium dirutarum reparatione exponenda et di-

spensanda ab eisdem. Quos ipsos ex nunc, et eorum quemlibet conscientias onerantes, ad id officium tenore presentium deputamus.

Datum Rome apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII Maii Mille-simo quigentesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno secundo.

111.

Romae, 22 . VIII . 1505

Regi Poloniae Pontifex indulget, ut propter Moschorum ducis iram uxorem in ritu ruthenico tolleret, donec oportunior illius revocandae a Schismate occasio offeratur.

ASV, *Armarium XXXI*, vol. 21, fol. 174v-175.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 219-20, nr. 351.

Charissimo in Christo filio nostro Alejandro, Poloniae Regi Illustri.

IULIUS PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Dilecti filii tue Serenitatis oratores ad nos et apostolicam sedem pro prestanta nobis obediencia destinati nuper exposuerunt nobis, quod cum Iohannes Moskovie dux potentatum tuorum Lithuanie et Russie fines ac populos acri bello infestaret, tuque illi viribus omnino par non esses, et consulere rebus tuis parcellantibus velles, ideoque pretextu affinitatis cum eodem pacem fecisti, filiamque eius Helenam in matrimonium accepisti, prestito prius per oratores tuos¹³² tuo nomine eidem Iohanni duci iuramento, quod nisi dicta Helena uxor tua Romane Ecclesie ritus sua sponte suscipere vellet, tu ipsam ad eos suscipiendos nunquam cogeres; aliter felicis recordacionis Alexander papa VI, Predecessor noster, per litteras suas in forma Brevis scriptas iuramentum huiusmodi tibi relaxavit¹³³, teque ad illius observacionem minime tenere voluit ac declaravit, conscientiam nichilominus tuam onerando, ut tentare et conari omnia deberes, que prefatam Helenam uxorem tuam impellere possent, ut ipsa Ruthenorum secta omnino reiecta, catholicam fidem rite cognosceret et complecteretur; tuque propterea considerans, quod si Helenam uxorem tuam predictam aut dimitteres, aut ad ritus Romane Ecclesie suscipiendos cogeres, illius pater Moskovie dux prefatus, qui tibi finitimus dicionis amplitudine ac viribus est potencior, iniquo id animo ferens, facile rursus bella et damna intollerabilia tibi ac terris regni-

¹³² Innuuntur omnes difficultates, quae inde ab anno 1492 ad annum 1495 Magnus Dux Moscoviae Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae parabat ita, ut ratione etiam politica ductus Alexander Helenam in uxorem duxit. Non est mirum si in illis circumstantiis etiam concessiones facere debuit patri uxoris suae. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. II, p. 438-439. Oratores Moscoviam missi erant Petrus Bilyj, Stanislaus Gasztold, qui anno 1494 Moscoviam profecti sunt, ut pacem cum Joanne Basilide stabilirent. Postea venit Moscoviam etiam Joannes Litavor Chreptovyč, qui infeliceiter de fide sponsae verba aliqua pronuntiavit. Postea Secretarius Regis Joannes aliam epistulam Alexandri Moscoviam adulit, in qua omnes assicuraciones datae erant. Tandem anno 1495, mense Januario alia delegatio regis Poloniae Helenam Moscovia Vilnam adduxit. Cfr. *ibidem*.

¹³³ Cfr. supra sub data 8.VI.1501.

colisque eius inferre posset, humiliter nobis per eosdem oratores tuos suppli-
casti, ut de benignitate apostolica dignaremur tibi licenciam concedere, Hele-
nam uxorem tuam prefatam sub huiusmodi suis ritibus tollerandi, donec per
obitum dicti Moscovie ducis, qui iam etate decrepitus est¹³⁴, vel per aliam
aliquam occasionem, dispensante Altissimo, oportunitas offeratur aliter in
hac parte providendi.

Nos igitur considerantes, quod iuxta doctrinam Apostoli: Si fidelis infi-
delem habet uxorem, et ea habitare cum illo consentit, eam dimittere non
debet, quodque per temporis successum Spiritu Dei, qui ubi vult spirat,
eadem Helenam posset ad veram christiane fidei agnitionem reduci, reputan-
tesque magis expedire, Helenam ipsam oculis sic conniventibus tollerari, quam
novum aliquod grave scandalum ex coactione illius excitari, his itaque atque
aliis rationabilibus causis per Oratores tuos predictos nobis nuper expositis
et animum nostrum moventibus inducti, Serenitati tue regie, ut prefatam
Helenam, dummodo ipsa decreta sacri Concilii Florentini per felicis recor-
dacionis Eugenium quartum, nostrum Predecessorem, presente tunc pa-
triarcha Constantinopolitano, celebrati diligenter observet, ritus catholicos
latinosque non contemnat, et ad sectam ruthenicam suadendo vel alias indu-
cere quemquam non tentet, uxorem tuam velut hactenus tollerare et habitare
cum eadem libere et licite valeas, nec ad ipsam dimittendam tenearis, donec
aliqua oportuna occasio aliter in hac parte deliberandi, ut premittitur, offe-
ratur, predictis Alexandri literis aliisque premissis constitutionibus et ordi-
nacionibus apostolicis, ceterisque contraris nequaquam obstantibus, ex aucto-
ritate apostolica presentium tenore concedimus, et indulgemus.

Volumus autem, quod si ipsa Helena ab observacione decretorum huius-
modi declinaverit, aut ritus latinos contempserit vel quemquam ad ruthe-
nicam sectam inducere, ut prefetur, tentaverit, presens concessio nullius
sit roboris vel momenti, et tibi nequaquam opituletur.

Datum Rome etc., die XXII Augusti MDV, Pontificatus Nostri Anno
secundo.



¹³⁴ Joannes III Basilides revera iam ab anno 1462 in Magno Ducatu Moscoviae regna-
bat, et tandem anno 1505 vita funetus est, id est hoc ipso anno, quo Breve nostrum
scriptum erat.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

LEO X
(9,19.III.1513 — 1.XII.1521)

f l o r e n t i n u s
(Joannes de Medicis)

DOCUMENTA LEONIS P.P. X

112.

Romae, 24 . VII . 1515

*Archiepiscopo Leopoliensi, quod ad provinciam suam et limina Apostolorum
vitanda per decennium non teneatur.*

ASV, *Armarium* 40, vol. 4, ep. 50.

A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 363, nr. 391.

Venerabili fratri Bernardino Archiepiscopo Leopoliensi.

LEO PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecisti, quod ecclesia tua Leopoliensis ab acerrimis christiane religionis hostibus, Turcis videlicet et Tartaris ac aliis Scismaticis oppressa¹³⁵, et in suis proventibus adeo diminuta et exhausta est, quod aliunde victum querere cogeris, et Seretensem, Valachiensem et Kyoviensem Episcopos, Suffraganeos tuos, eorumque ecclesias, civitates et dioceses, ac ipsarum ecclesiarum capitula, monasteria et alia religiosa et pia loca divino cultui deputata, que, ut asseris, ampla et diffusa sunt, ac clerum et populum tuae provinciae subiectos commode et absque periculo propter imminentes assiduas eorundem hostium incursiones visitare, et visitationis officium, prout et iuxta quandam constitutionem nostram nuper desuper editam teneris, in toto vel in parte adimplere nequis, quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi statuque tuo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut donec ecclesia Leopoliensis fructus suos recuperaverit et provincia huiusmodi ab hostili incursu liberata fuerit, provinciam predictam, prout de iure teneris, necnon limina apostolorum, quae prout tempore provisionis et perfectionis de persona tua ecclesie Leopoliensi tunc certo modo vacanti, factarum, etiam iuramento, ut moris est, prestito, visitare promisisti, usque ad decennium a data praesentium indulgemus, teque interim a iuramento prestito quoad visita-

¹³⁵ Hoc documentum in nostra Collectione ideo imprimi curavimus, ut demonstraremus quam difficillimis in circumstantiis terra Ucrainae hac periodo vivere debuit. Non est mirum si his praesertim temporibus Unio Florentina obliisci cepit ex una parte, ex alia vero pressionem non parvam in Ecclesiam nostram Moscovia vicina exercebat. In Regno Poloniae et Lithuaniae Helena, regina vidua ecclesiam non catholicam protegebat suosque candidatos ad Sedem Metropolitanam et episcopales proponebat. Si Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum provinciam suam haud visitare potuit et « limina Apostolorum » nullomodo visitare facultas ei erat, quid dicendum de Ecclesia Ritus Orientalis? Inde sensim sine sensu coniunctio cum Sede Romana cessavit, sine ullo actu formali.

tionem liminum huiusmodi dumtaxat, dummodo ad illam alias non sis astric-tus, necnon perjurii reatu et aliis penis forsitan ob non visitationem liminum huiusmodi hactenus incursis eadem auctoritate et tenore absolvimus, pre-missis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Rome etc., die XXIIII Iulii MDXV, Pontificatus Nostri Anno tertio.

113.

Villa Malleana, 15 . I . 1520

Regi Poloniae prorogat Pontifex iubilaeum pro Magno Ducatu Lithuaniae, conceditque pecunias inde collectas pro bello contra Turcas et pro munitione castri Kiovensis.

ASV, *Reg. orig.*, An. VII, t. 37, Brev. Indulg., fol. 73.

A. THEINER, *Monum. Poloniae, et Lithuaniae*, II, pag. 405, nr. 420.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo¹³⁶, Poloniae Regi Illustri.

LEO PP. X. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Alias, ut tue Maiestati rem gratam faceremus, plenariam indulgentiam ad Ducatum tuum Lithuaniae eo modo concessimus, ut una pars pecunie exinde collecte contra infideles et pro reparacione castri Kyoviensis¹³⁷ eisdem hostibus vicini exponeretur, due vero partes pro expeditione generali contra Turcas, et pro fabrica basilice beati Petri fideliter consignarentur. Cum autem Ven. frater noster Erasmus, episcopus Plocensis¹³⁸, Maiestatis tue apud nos Orator, eiusdem nomine nobis nuper exposuerit, eandem indulgentiam propter continuos bellorum motus ac penurie et famis difficultatem, quibus incole Ducatus illius annis preteritis plurimum laboraverunt, modicos fructus attulisse, addideritque Maiestatem tuam eosdem infideles indefesso animo urgere non desistere, nobisque propterea humiliter supplicaverit, ut tempus predicte indulgentie ad festivitatem purificationis beate Marie Virginis proxime futuram expirans prorogare, et future indulgentie offerenda omnino ad unicum tantum effectum contra infideles et pro restaurando dicto castro convertenda concedere dignaremur.

Nos, qui summo desiderio semper cupimus, ut apparatus contra christiani nominis hostes, et castrorum municiones ac alias ad hoc sanctum opus necessaria omni ratione in dies fiant, quique fortitudinem et constantiam animi tue Maiestatis contra ipsos infideles cum magna felicitate a plurimis adeptis

¹³⁶ Agitur de Sigismundo I Stary, alio filio Casimiri Jagellonidis (1506-1548).

¹³⁷ Kiovia iure belli ad Magnum Ducatum Lithuaniae pertinebat iam inde a secunda medietate saec. XVI. Inde Rex Poloniae qua Magnus Dux Lithuaniae de civitate hac, quae in confinibus tartarorum existebat, curare debebat.

¹³⁸ Episcopus Plocensis hoc anno erat Erasmus Ciolek (Vitellus), qui Romae etiam anno 1522 obiit. Agitur, ut videtur, de hoc eodem Erasmo Vitellio, qui anno 1500-1 munere Oratoris Alexandri Regis fungebatur, ad obedientiam reddendam. Cfr. documenta praecedentia.

victoriis sepe cognovimus, libenter votis omnibus tuis acquievisimus, et tam prorogationem prefate indulgentie, quam oblata omnia ex ea colligenda ad unicum effectum contra infideles, et pro castri nominati reparatione cum solita gratitudine nostra, qua tuam Maiestatem prosequimur, admisisimus, et concessimus, quemadmodum ex tenore litterarum super hoc confectarum Celsitudo tua plenius intelliget.

Preterita vero, que ex oblationibus dicte indulgentie in Ducatu illo collecta sunt, ita Maiestas tua dispensari faciat, videlicet media pars contra infideles et pro eiusdem castri munitione exponatur, alia vero medietas apud Iohannem Bonar supparem tuum fideliter conservanda deponatur, cui id per singulares litteras nostras curandum committimus. Nos enim postmodum ei significabimus, quibus in rebus pecunias ipsas convertere debeat, super quibus Maiestas tua ita providere velit, ut res ipse fide et diligentia pertractentur. In reliquis autem Dominus noster cum Maiestate tua semper adesse dignetur, et gressus tuos continuo ac feliciter, sicuti optamus, sua gratia dirigere.

Datum in Villa nostra Malleana, die XV Ianuarii 1520, Pontificatus Nostri Anno septimo.

114.

Romae, 18 . V . 1521

Bulla Leonis PP. X., qua iura et privilegia Ritus Graeci secundum statuta Concilii Florentini confirmat. Etiam si ad casum particularem edita, omnes tamen Orientales spectat, quia mentem Sanctae Sedis revelat.

ASV, *Registrum Vaticana Bullarum Leonis PP. X.*

ALLATIUS LEO, *De aetate et interstitiis in collatione ordinum etiam apud Graecos servandis*, Rome, p. 14-21.

HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 86-91.

LEO PAPA X. Ad perpetuam rei memoriam.

Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino sub felicis recordationis Eugenio Papa IV, Praedecessore nostro, in quo inter caeteros Principes et Praelatos, Imperator tunc Graecorum et quam plurimi alii Praelati nationis Graeci pro unione facienda de Orientali Graecorum cum Romana Ecclesia (rem tam diu a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus ac tota Christiana Republica desiderata) interfuerunt, inter alia statuta ac determinata, nationem praedictam in quibusdam eorum Ritibus et observantiis, quae non imputabantur haeresis, permanere, et inter caetera, scilicet, quod Presbiteri in fermentato celebrare, ac sub alia forma, quam Romana, baptizare, videlicet: Baptisatur servus Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen; item quod ordinati in Sacris, matrimonio, ante isporum sacrorum ordinum susceptionem contracto, uti ac barbam nutrire, venerandumque Sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris ministrare possint, per dictum Concilium statutum, ordinatum et decretum, sive permissum fuerit; tamen Ordina-

rii locorum latini, ipsam nationem super dictis Ritibus et observantiis, in locis, ubi praesertim Graeci morantur, quotidie molestant, perturbant, et inquietant, cogentes pueros ipsorum et alios, eorum more baptizatos, iterum more Romanae Ecclesiae rebaptizari, dictumque Sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris praedictis minime ministrari debere, neque barbam nutritre, neque in fermentato, sed azymo celebrare, ac Ordinatos in dictis sacris Ordinibus matrimonio non uti, propter quae et nonnulla alia quotidie in populo diversa scandala exoriuntur, ac in dies, nisi de oportuno remedio per Nos, aut Sedem praedictam provideretur, exoriri contingeret. Considerantes autem Nos operae praetium piumque foret ac necessarium, ut unio praedicta, multo labore quaesita, ac per Romanos Pontifices sollicitata conservetur, et dictorum Graecorum molestiis ac impedimentis huiusmodi obvietur, atque ipsorum quieti, atque animarum consolationi in praemissis opportune consilietur, necnon Ritus et observantiae in eorum Ecclesiis et alibi iuxta antiquam ipsorum consuetudinem praeserventur, motu proprio, non ad aliquius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine dictis Graecis, tam Praelatis quam aliis personis nationis Graecae et eorum cuilibet, ut eorum Ritibus ac observantiis, sive consuetudinibus, ut praemittitur, uti ac illos et illas observare, Missasque et alia Divina Officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare, nec non Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis graecis et inter eosdem Graecos, ubi Archiepiscopi et alii Praelati latini iurisdictionem habent, Pontificalia libere exercere officia, ac a suis Ordinariis, officiis, ecclesiis ac piis locis et Oratoriis, super huiusmodi Rituum observantia per latinos Antistites et Praelatos, etiam locorum Ordinarios et Dominos temporales, Magistratus saeculares in iudicium, vel alias inviti minime trahi, nec non quicumque Clerici graeci, ac aliae personae nationis graecae undecumque venientes in locis, ubi Archiepiscopi, Episcopique et alii Praelati Latinorum et Domini temporales sunt, ab ipsis tam Graecis quam Latinis elemosinas petere, et accipere libere et licite possint, motu et scientia similibus tenore praesentium concedimus et indulgemus. Et insuper quod nullus Archiepiscopus et Episcopus graecus Clericos latinos, nec latinus Archiepiscopus et Episcopus, etiam Ordinarius, Clericos graecos ad sacerdotium promovere valeant; ac quod in Dioecesi, ubi Latini et Graeci inhabitant, et solum Archiepiscopum sive Episcopum latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negotia et causas dictorum Graecorum Vicarium graecum ipsis Graecis gratum, vel per ipsos Graecos eligendum, ex quo graecus vir melius graecos mores novit, quam latinus, eoram stipendio et salario retinendum deputare; quoque in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsitan graecus esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis iudicem graecum deputare tenetur. Et insuper cum in parochialibus ecclesiis ipsorum Graecorum ex antiquissimo et hac tenus observato Ritu nonnisi semel in die per unum sacerdotem celebrari liceat, et tamen nonnulli sacerdotes Latinorum, dimisis ipsorum propriis parochialibus ecclessis, ut praefatos Graecos iniura afficiant, et ad disturbandum eorum Ritus et consuetudinem huiusmodi, nescitur quo spiritu ducti, interdum altaria dictarum parochialium ecclesiarum praeoccupant, et inibi contra voluntatem eorum Graecorum Missam et forsitan alia Divina officia celebrant, adeoque dicti Graeci saepenumero

sine auditione Missarum, cum magna animorum molestia, festivis et aliis diebus, quibus Missam audire consueverunt, remanent.

Nos autem ad obviandum scandalis et providendum, ne in futurum molestiae huiusmodi Graecis ipsis inferantur, sacerdotibus praedictis latinis, ne de caetero Missas et alia Divina Officia in dictis aliis ecclesiis eorundem Graecorum celebrent, Magistratibus vero, si qui sunt, ne dictis sacerdotibus auxilium et favorem praestent, nec non ut nullos Ritus et ceremonias Graecorum in dicto Concilio Florentino, vel alias approbatos blasphemare aut reprobare seu improbare, ac ubi duo, unus Latinus, alter vero Graecus eiusdem loci, prout in Cephalonia et Zacyntho et forsan alibi, sunt Episcopi, Episcopus latinus de personis ecclesiasticis et saecularibus ac de iurisdictione Episcopi graeci, vel aliis quibuscumque ad Episcopum graecum quomodolibet spectantibus nullatenus se intromittere praesumat, sed Episcopus latinus Latinorum, Episcopus vero graecus Graecorum duntaxat curam, regimen et iurisdictionem respective habeant et exerceant. Et insuper ut Presbyteri et Clerici latini in ecclesiis Graecorum neque celebrare, neque funeralibus, nuptiis ac baptismis et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse, aut se immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant vel praesumant. Quod Clerici et Presbyteri saeculares et Monachi Graecorum eorumque ecclesiae ac monasteria et bona quaecumque omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus et indultis ac gratiis, quibus Clerici, Presbyteri et Monachi latini, eorumque ecclesiae, monasteria et bona quaecumque de iure sive consuetudine vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ut, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant. Nec non Abbates et Monachi graeci eorumque monasteria et bona quaecumque omnibus privilegiis, exemptionibus, indultis, gratiis et praerogativis in Bulla *Mare magnum* nuncupata contentis, Fratribus Ordinis Minorum regularis observantiae eorumque monasteriis, locis seu conventibus tam per dictam Bullam quam alias quomodolibet concessis et concedendis etiam uti, potiri, et gaudere possint. Nec non viduae Presbyterorum vel Clericorum graecorum in castitate, iuxta Ritum graecum viventes, eisdem immunitatibus, exemptionibus, Privilegiis, quibus viventibus eorum viris Presbyteris seu Clericis gaudere poterant, gaudeant, et fruantur, paribus motu et scientia et potestate concedimus, decernimus, declaramus.

Ac ita per Archiepiscopos, Episcopos et alios Praelatos et Presbyteros et Clericos latinos pro dictis et quibuscumque aliis, eis videlicet Praelatis et sub maioribus vel suspensionis a divinis, aliis vero inferioribus sub excommunicationis latae sententiae, privationis beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtainendum ipso facto per quemlibet contrafacentem incurriendis poenis praecipientes mandamus, quantum praesentes Literas ac omnia in eis contenta inviolabiliter observent, sicutque per quoscumque iudices in Romana Curia, vel extra eam in quacumque instantia iudicari, sententiari, et definiri debere, sublata eis, et eorum cuiilibet aliter iudicandi, sententiandi, et definiendi facultate, ac irritum et inane esse, quidquid secus super his a quocunque quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quamobrem Venerabilibus fratribus nostris Casertano et Asculano Episcopis per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientiae manda-

mus, quatenus eisdem Graecis, tam Presbyteris, Clericis et Religiosis predictis, quam saecularibus et aliis personis dictae nationis graecae efficacis defensionis praesidio assistentes faciant per se, vel alium, seu alios, praenominatos, et quemlibet ipsorum concessionibus, indultis, gratiis, ac indulgentiis nec non statutis, decretis et ordinamentis predictis pacifice ac perpetuo frui et gaudere, non permittentes eos, et eorum quemlibet in praemissis aliquo quaesito colore molestari, impediri aut perturbari, Contradictores quoslibet et rebelles dictas et quasvis alias censuras et poenas ecclesiasticas, eas aggravando, et preeaggravando, interdictumque ecclesiasticum ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocando etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis ac quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, constitutionibus vel ordinationibus Apostolicis, ac Bonifacii Papae VIII, Praedecessoris nostri, de una et Concilii Generalis de duabus dietis, ne quis extra suam Diocesim ad iudicium trahatur, ac statutis et consuetudinibus, etiam ex fundatione et iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indultis, nec non omnibus illis, de quibus eorumque totis tenoribus specialis, specifica ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma servanda foret. Quibus illis in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Aut si dictis Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis et Dominis temporalibus, et quibusvis aliis personis communiter vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quoniam difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca deferri, volumus et simili motu mandamus, quatenus transumptis praesentium alicuius publici notarii confectis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constituae munitis, ea prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibatae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Maii 1521, Pontificatus Nostri Anno IX.

Evangelista





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CLEMENS VII
(19,26.XI.1523 — 25.IX.1534)

f l o r e n t i n u s
(Julius de Medici)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. VII

115.

Romae, 26 . III . 1526

Bulla Leonis PP. X. de Ritibus Graecorum a Clemente PP. VII confirmatur.

ASV, *Registra Vaticana Bullarum Clementis PP. VII.*

ALLATIUS L., *op. cit.*, p. 14-21.

HARASIEWICZ M., *op. cit.*, p. 91-92.

CLEMENS PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut suum ius cuilibet conservetur. Hinc est, quod Nos tenore quarundam literarum felicis recordationis Leonis Papae X, Praedecessoris, et secundum carnem fratris patruelis nostri, in forma Brevis a veris ipsius Praedecessoris literis, quas in Sacristia nostra diligenter inspici et examinari fecimus, extractumque pro eo, quod sicut Natio Graeca nobis exposuit, ipsa huiusmodi tenore ex certis causis dignoscitur indigere, de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Nationis supplicantis instantiam praesentibus annotari fecimus, qui talis est: Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino... etc. (*ut supra, sub data 18 . V . 1521*).

Caeterum ut earundem literarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamdemque vim et eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales Literae supradictae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque sive in iudicio sive alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem originalibus literis staretur, si forent exhibitae et ostensae. Per hoc autem nullum ius denuo cuiquam acquireti volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 26 Martii 1526, Pontificatus Nostri Anno tertio.

116.

Romae, 19 . VI . 1531

Conceditur decima ad defensionem contra Tartaros, praesentim terrarum Ucrainae, eorundem incursionibus immediate expositarum. Hic in primo loco agitur de castro Kamene. Est simile, mutatis mutandis, ac illud Breve Iulii II, de data 12 . V . 1505.

,

ASV, *Armarium XL*, vol. 33, fol. 75-76, nr. 74.

CLEMENS etc. Venerabilis frater, salutem etc.

Ex relatione dilecti filii Johannis Vilamowski pro parte carissimi in Christo filii nostri Sigmundi Polonie Regis Illustris ad nos et Sedem Apostolicam Nuntii destinati accepimus, quemadmodum innumerabilis et fera Tartarorum, Moschorum, Vallachorum et aliorum Scismaticorum multitudo nomini christiano semper infesta, compluresque diversarum sectarum populi accerrimi catholice fidei hostes, circumsidentes Lithuanie, Russie, Podolieque terras, prefati regis ditioni subiectas, assiduis incursionibus etc. (*ut sub data 12 . V . 1505*) manifestum. Et preprimis tempore cum Turchus potentiam suam contra Regnum Polonie converterit, eosdem Tartaros, Vallachos et alias Christi nominis hostes et dominia et terras prefatas ab altera parte Ungarorum etiam sollicitaverit.

Eapropter nos etc. ut ea que ex denario Sancti Petri in dictis Polonie regno et tota provincia Gnesensi Camere apostolice perveniant nobisque debentur, nomine nostro in ecclesiarum, arcium et castellorum huiusmodi destructorum reparationem, preprimis castri Camijenecz, quod Regni illius quoddam propugnaculum semper est habitum, instaurationem, in eum usum, in quem preprimis Leo predecessor... illa liberalitate dare commisserat in manus illius quem Rex... deputaverit etc.

Datum Rome, die 19 Junii 1531, Anno 8.

117.

Romae, 27 . XI . 1531

Pontifex matrimonium Georgii, ducis Slucensis, Rutheni, cum Helena Radivilla, virgine latina, confirmat.

ASV, *Reg. Vat.*, vol. 1385. fol. 181.


A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 482-83, nr. 532.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex, Domini nostri Iesu Christi in terris vicarius, qui Ecclesie Romane sponsus et caput existit, illa, que pro pace et concordia inter cunctos fideles sue vigilante creditos firmanda et solidanda processisse dicuntur, sue approbationis munimine libenter corroborat, ut valeant exinde firmiora stabilioraque perdurare. Sane Carissimus in Christo filius noster Sigismundus, Polonie Rex Illustris, sui et dilecti filii, nobilis viri, Georgii, ducis Slucensis¹³⁹, et dilecte in Christo filie, nobilis mulieris, Helene¹⁴⁰ nominibus nobis nuper exponi fecit, quod alias postquam nobis pro parte ipsius Sigismundi exposito, quod dictus Georgius dux, qui ipsius Regis subditus

¹³⁹ Georgius Dux Slucensis, ut videtur, II, ex antiqua familia Rurikidarum Kiovienium, permixta saec. XIV cum principibus lithuanis. Ab Alexandro filio Volodimiri Olgerti familia haec habuit etiam alium nomen diminutivum « Olekowyc ». Georgius, ut videtur, obiit anno 1578. Ducatus eius exdivisus fuit inter tres eius filios (an. 1582), sed postea totus fere venit in possessionem familiae Radivilianae. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 23, pagina 694.

¹⁴⁰ Filia Nicolai Radziwill, ut videtur, qui cognominabatur etiam « Amor Poloniae »; nat. 1470. Obiit anno 1522. Hoc tempore non datur alias Nicolaus Radziwill, qui filiam nubilem an. 1530 habere potuisset. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 21, p. 891-892.



*"Ucraina o paese de Cosacchi," secundum tabulam geographicam
G. Sansone - J. Rossi, editam Romae an. 1678 (pars)*

erat, ac ritu et more Grecorum et Orientalis Ecclesie vivebat, alias tamen fidem catholicam profitebatur¹⁴¹, ex certis causis matrimonium cum aliqua virgine orthodoxa et ritum sancte Romane Ecclesie servante contrahere desiderabat, Nos tunc attendentes in concilio felicis record. Eugenii pape IIII, Predecessoris nostri, Florentie celebrato, Grecos cum Romana ecclesie consensisse, tam Sigismundi Regis quam Georgii predictorum supplicationibus inclinati, cum eodem Georgio duce, ut cum quacunque virgine orthodoxa et iuxta ritum Romane Ecclesie vivente cuiuscunque status preeminentie et excellentie, etiam si ducalis foret, ac cum orthodoxa muliere, ut ipsa cum ipso Georgio duce matrimonium contrahere et in eo, postquam contractum foret, etiam eodem Georgio duce ritum Grecorum (etiam) servante, remanere, valeret, per alias litteras dispensaveramus, prout in illis plenus continetur¹⁴², dictus Georgius dux dispensationis huiusmodi vigore matrimonium cum dicta Helena virgine quondam Nicolai Radwil, Palatini et Magni Lithuaniae Ducis Cancellarii¹⁴³, dum viveret, filia per verba legitime de presenti contraxit ac in huiusmodi contracto matrimonio inter Georgium ducem et Helenam prefatos, ipsius Helene genitore et fratribus consentientibus, conventum extitit, quod Georgius dux, qui in ritu Grecorum genitus et in eodem vivebat, in illo usque ad extremum vite, et similiter Helena virgo in ritu et religione dicte Romane Ecclesie usque ad eorum obitum perseverarent, ac quod quecunque proles masculina subsecutura ritu Grecorum esset baptizanda et in eodem permanerent, ac quod prima proles feminea sive antea sive post nata foret, ritu Grecorum etiam esset baptizanda, que autem postea genita esset, ritu romano baptizaretur, in quo permaneret usque ad ultimum, etiam si prima illa filia esset morte sublata, et si procedente tempore nascentur plures femine, alternativa in baptizando servaretur, et una ritu Grecorum, alia vero ritu romano baptizaretur, quarum (?) etiam partes matris sequerentur, et in quo nata foret vel baptizata, in eodem perseveraret, et quod neque pater neque etiam mater hanc vel illam adversi ritus prolem beat quoquomodo inducere, aut vi cogere ad eum ritum, in quo foret semel baptizanda, deserendum et alium amplectendum, quin potius deberent obluctari utrique tam pater quam mater prolem ipsorum ad hoc quomodocumque inducentibus, et huiusmodi conventiones Georgius dux et Helena datis fideiussoribus sub pena quadraginta millium florenorum, quorum una fisco regio, alia vero partes alteri parti observanti esset numeranda, firmarunt, prout in publico instrumento seu aliis documentis desuper confectis plenus continetur.

¹⁴¹ Catholici Ritus orientalis adhuc in hoc territorio vivebant, qui communionem cum S. R. E. profitebantur, retento tamen Ritu, Schisma igitur nullo actu formaliter instauratum fuit in Ucraina et Belorussia. Immo reliquiae catholicorum longa post decennia adhuc perdurant. Qui tamen vitam religiosam pleniorum vivere praetendebant, Hierarchia et Clero orientali non contenti, ad Ritum transiebant Latinum. Ut huic praesertim rei obviarent et Nobilitatem in Ecclesia orientali continerent, Hierarchae ucraini et belorussi ab anno iam 1590 de unione cum Romano Patriarcha cogitabant. Imo ipse princeps Nobilitatis ucrainae, Dux Constantinus Ostrožskyj, iam annis 1580-83. 1593, de eadem unione cogitabat. Cfr. Sac. G. MYLANYK, *Constantini Senioris Ducis de Ostrog pro Unione ecclesiastica activitas*, Romae, 1940 (Dissert.), et aliam bibliographiam sat amplam.

¹⁴² Dispensationem hanc inventire non potuimus.

¹⁴³ Nicolaus Radziwill, « Amor Poloniae », erat Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae ab an. 1507 ad annum 1522, id est usque ad mortem. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 13, p. 895.

Quare dictus Sigismundus rex suo et Georgii ducis et Helene predictorum nominibus supradictis nobis humiliter supplicari fecit, ut pro pacis et concordie federibus inter proceres regni et dominiorum suorum componendis conventionibus huiusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aut alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, quorum est, que pacis sunt et concordie, sinceris prosequi favoribus, Georgium ducem et Helenam prefatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliquis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore centes, ac instrumentorum et documentorum predictorum veriores tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, conventiones et pacta seu capitula huiusmodi, ac prout illa concernunt, omnia et singula in instrumentis seu documentis predictis contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervererint in eisdem.

Quocirca venerabili fratri nostro Episcopo Wilnensi¹⁴⁴, et dilecto filio Abbatii Claretumbe alias in Mogila, Cisterciensis Ordinis, Cracoviensis dioecesis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quecunque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Georgii ducis et Helene predictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra conventiones huiusmodi firmiter observari, non permittentes eos desuper contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et penas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus premissis ac quibusvis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede indulatum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se non verit incursum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quingentesimo trigesimo primo, quarto Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno nono.

¹⁴⁴ Episcopus Vilnensis anno 1532 erat Joannes II, e Ducibus Lithuaniae, filius naturalis Sigismundi I Stary. Cathedram hanc obtinebat an.: 1520-1535, quo anno translatus est ad cathedral Posnaniensem. Cfr. Encyclop. Powszechna, vol. 3, p. 704.

118.

Romae, 3 . I . 1532

De matrimonio Ducis Slucensis, Ritus Rutheni, cum filia Radivilii, Ritus Latini, Clemens VII Regi Poloniae dat responsum.

ASV, *Armarium XL*, vol. 38, fol. 6rv, nr. 5.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS etc. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Reddiderunt nobis mense novembri proxime praeteriti dilecti filii Erasmus, Abbas monasterii Claretumbae extra moenia Cracovien. ac Stanislaus Basilicae Principis Apostolorum de Urbe minor Penitentiarius, per manus dilecti filii nostri A. tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum presbiteri cardinalis Pistoriensis, maioris Penitentiarii nostri, binas Maiestatitiae tuae litteras, die XI mensis Septembris proxime preteriti Cracoviae datas, ex quibus ac ex ipsius Abbatis sermone illud imprimis cognovimus, quod nobis pergratissimum fuit, Maiestatem tuam, charissimam in Christo filiam nostram Reginam eius coniugem cum liberis suis dilectissimis optime valere. Deinde eandem Serenitatem tuam plurimum optare ut quaedam capitula inter dilectum filium nobilem virum Georgium, Ducem Slucensem, et dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem Helenam, eius coniugem, in ipso foedere matrimonii vigore nostrae dispensationis contracti, Maiestatis tuae intuitu confirmare nec non ut extensionem Bullae Ordinariis Regni sui Polloniae per felicis recordationis Leonem PP. X., Praedecessorem nostrum, ac nos concessae ad aliorum praeclarorum Abbatum, Praepositorum Collegiorum et cuiusvis Ordinis ecclesiasticorum collationes, ac etiam ut in eventum revocationis gratiarum expectatiavarum per nos facienda, nominationes tam Maiestati tuae quam praefatae Reginae eius coniugi gratiasque, expectativas seu reservationes Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi, Regni sui Poloniae Vicecancelario ac aliis eiusdem Maiestatis tuae familiaribus per nos concessas de novo concedere seu confirmare, ac quatenus opus esset renovare dicta benignitate apostolica dignaremur.

Quibus perceptis plurimum laetati sumus occasionem quotidie dari qua Maiestas tua clarius cognoscat quam paterna eam ac Regnum et regnicolas suos charitate ac benivolentia prosequamur. Propterea et capitula ipsa per nostras tum sub plumbo tum etiam in forma Brevis desuper expeditas litteras confirmari mandavimus, sicut plurimis ante diebus extensionem ipsius Bullae Ordinariis Regni tui concessae nec non confirmationem seu revalidationem nominationum, gratiarumque, expectatiavarum seu reservationum tam Maiestati tuae quam Reginae coniugi ac aliis Regni sui personis praefatis eius intuitu per nos concessarum expediri mandaveramus, prout ex tribus nostris desuper expeditis Maiestati tuae latius constare poterit, ut intelligat piis eius desideriis in omnibus, quae cum Deo possumus, paterno affectu nos semper annuere.

Datum Romae die 3 Januarii 1531, Anno nono.

S. D. N. mandavit praedictum Breve expedire
A. Card. Sanctorum 4r Coron.

119.

Romae, 3 . I . 1532

*Georgio, duci Slucensi, de eius matrimonii confirmatione Pontifex scribit.*ASV, *Armarium* 39, vol. 52, f. 4 ep. 2.ASV, *Armarium* XL, vol. 38, nr. 2.A. THEINER, *Monum. Poloniae et Lithuaniae*, II, pag. 485, nr. 535.

Dilecto filio, nobili viro, Georgio, Ducu Slucensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Licet charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae Regi Illustri, abunde scripserimus¹⁴⁵, quam libenti animo ac paterno affectu Nobilitatem tuam in omnibus, quae tam eius Maiestas quam ipsa Nobilitas tua et per litteras, et per dilectum filium Erasmus, Abbatem Monasterii Claraeum-bae, nobis novissime supplicarunt, gratificati fuerimus; noluimus tamen præterire, quin et eidem Nobilitati tuae per nostras litteras significaremus, quemadmodum eandem Nobilitatem tuam una cum dilecta in Christo filia Helena, eius coniuge, omnium votorum suorum, quantum cum Deo potuimus, compotes fecimus, prout ex nostris tum sub plumbo auri¹⁴⁶, tum in forma Brevis desuper expeditis litteris, ac etiam ex relatu ipsius Abbatis clarius cognoscere atque intelligere poterit. Deumque clementissimum ac omnium honorum largum datorem enixe rogamus, pietate sua concedat, ut sicut istud matrimonium Apostolicis auspiciis contractum consummatumque fuit sic apostolica quotidie benedictione repleatur, fructus in dies producendo, quos christianissimi coniuges, quales vos esse non dubitamus, et optare et sperare merito debent.

Datum Romae etc., die III Ianuarii 1532, Pontificatus Nostri Anno nono.

120.

Romae, 10 . I . 1532

*Helena, ducissae Slucensi, et liberis suis conceditur, ut sibi confessorem eligere et altare portatile habere possint.*ASV, *Armarium* 39, vol. 52, p. 2087.THEINER A., *op. cit.*, II, p. 486-487, nr. 537.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri, Helena, dilecti filii Georgii, ducis Slucensis, consorti.

CLEMENS PP. VII. Dilecta in Christo filia, salutem etc.

Meritis tuae devotionis, qua nos et Romanam revereris Ecclesiam, inducimur, ut piis votis tuis, praesertim quae ex devotionis fervore proveniunt.

¹⁴⁵ Ut videtur agitur de documento praecedenti.¹⁴⁶ Ut videtur agitur de documento praecedenti, de data 27.XI.1531.

et per quae spiritualis salutis tibi proveniat incrementum, ac conscientiae pacem et animae tuae salutem, Deo propitio, consequi valeas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi ac tuis ex dilecto filio, nobili viro, Georgio, duce Slucensi, tuo marito, procreatis utriusque sexus liberis, ut aliquem presbyterum idoneum saecularem, vel cuiusvis Ordinis regularem in vestrum possitis, et quilibet vestrum possit eligere confessorem, qui vita vobis comite vos et vestrum singulos a quibusvis, etiam maioris excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, etiamsi ab eis absolutio Sedi Apostolicae specialiter vel generaliter reservata foret, ac quorumcumque votorum et iuramentorum, nec non ecclesiae praceptorum transgressionibus, iejuniorum et poenitentiarum iniunctarum in toto vel ex parte omissionibus, et quibusvis aliis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, de quibus esset Sedes praedicta merito consulenda, videlicet in casibus dictae Sedi qualitercumque reservatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi consuetis, ter in vita tumtaxat, et semel in mortis articulo, in aliis vero eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opportunum fuerit, confessionibus vestris diligenter auditis absolvere, ac vobis pro commissis poenitentiam salutarem inungere, nec non vota quaecumque, ultramarino, visitationis liminum Apostolorum beatorum Petri et Pauli, ac sancti Iacobi in Campostella, nec non castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, et ore confessi fueritis, similiter ter in vita et in mortis articulo, etiamsi mors tunc non subsequatur, plenariam remissionem et absolutionem, ita ut huiusmodi plenaria remissio in vero mortis articulo vobis tunc, ut praefertur, confessis et contritis suffragetur, auctoritate apostolica impendere possit, liceatque tibi et liberis praefatis, ac vestrum singulis habere altare portatile, super quo in locis ad hoc convenientibus et honestis, etiam non sacris, sine iuris alieni praeeiudicio, et cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, et si forsan ad loca ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita, vos aut aliquem vestrum declinare contigerit, in illis clausis ianuis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce, in vestra et familiarium vestrorum domesticorum pro tempore existentium praesentia, dummodo causam non dederitis huiusmodi interdicto, nec vobis contigerit specialiter interdicti, possitis per proprium vel alium sacerdotem idoneum ad id a vobis eligendum Missas et alia divina officia celebrari facere, ac tempore ipsius interdicti ecclesiis, ianuis clausis, Missis et aliis divinis officiis huiusmodi interesse, et illas, ut praefertur, celebrari facere, ita ut celebrantibus ad culpam nequeat impunari, et si contingat vos tempore interdicti huiusmodi ab humanis decedere, corpora vestra etiam cum decenti funeralis pompa ecclesiasticae tradi valeant sepulturae, quodque singulis quadragesimalibus et aliis cuiuslibet anni temporibus, nec non stationum basilicarum et ecclesiarum almae Urbis et extra muros eius unam, vel duas ecclesias, seu unum, duo vel tria altaria unius vel diversarum ecclesiarum in civitate, oppido seu loco, in qua seu quo pro tempore esse contigerit, per vos eligendum seu eligenda devote visitando,

omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quas consequeremini et consequi possetis, si in eisdem diebus et temporibus basilicas et ecclesiastas stationum Urbis et extra muros huiusmodi ad id deputatas personaliter visitaretis, nec non eisdem quadragesimalibus et aliis totius anni temporibus, et diebus quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri et aliorum lacticiniorum iure vel consuetudine est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, ac carnibus tempore necessitatis uti et vesciri libere et licite valeatis, tuque in Christo filia, et filiae tuae, ut praefertur, procreatae una cum sex vel septem mulieribus honestis monasteria monialium Ordinum quorūcumque, etiam inclusarum, etiam libere et licite ingredi, ac cum eisdem monialibus colloqui, et dummodo ibidem non pernoctetis, refectionem suscipere, et inibi divinis officiis interesse possitis, auctoritate apostolica praefata per praesentes de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis quarumcunque indulgentiarum et facultatum eligendi confessoris, qui in casibus dictae Sedi reservatis absolvat, suspensionibus, revocationibus, derogationibus seu limitationibus per nos et Sedem eandem, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe aut Cruciae vel alias quomodolibet, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis forsan pro tempore factis, sub quibus prasentes litteras nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas decernimus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ne (quod absit) propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi Confessorem reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda, quod si a sinceritate fidei, puritate Romanae Ecclesiae et obedientia et devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium huiusmodi destiteritis, aut ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliqua forsan commiseritis, concessio et remissio huiusmodi, et quoad illas eaedem presentes vobis nullatenus suffragentur, ac quod indulto celebrari faciendi ante diem parce utamini, quia cum in altaris ministerio immoletur D. N. I. C. Dei filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

Datum Romae etc., die X Ianuarii MDXXXII, Anno nono.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

PAULUS III
(13.X.3.XI.1534 — 10.XI.1549)

r o m a n u s
(Alexander Farnese)

DOCUMENTA PAULI PP. III

121.

Romae, 26 . I . 1536

*Decreta Concilii Florentini et Bulla Leonis X a Paulo III iterum et sub poenis
observanda inculcatur. Brevi tempore 15 annorum ecce iam ter omnia iura et
privilegia Ritus Orientalis plene confirmatur.*

ASV, *Armarium XLIV*, vol. 7, fol. 6-8.

PAULUS PAPA TERTIUS. Universis et singulis personis in dignitate Ecclesiae constitutis in Regno Siciliae tam ultra quam citra farum existentibus, salutem etc.

Provisionis nostrae debet promereri subsidio, ut eorum qui mandata apostolica spernunt ausus debita correctione compescantur. Exponi siquidem nobis fecit Venerabilis frater Josaphat Sambus Rodiensis, quod, licet olim in Concilio Florentino sub fel. rec. Eugenio Papa quarto praedecessore nostro celebrato, in quo inter alios principes et paelatos Imperator tunc Graecorum cum Romanis ecclesiasticis interfuerunt, inter alia statutum et ordinatum sive permisum fuerat nationem praedictam in quibusdam eius ritibus et observantiis permanere et eius praesbiteros in fermentato celebrare ac sub alia forma quam Romana faciat Ecclesia baptizare, ac ordinatos in sacris matrimonio ante ipsorum ordinum susceptione per eos contracto uti, ac barbam nutrire, et Venerabilis Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris, ministrare posse, et piae mem. Leo Papa Decimus, Praedecessor noster, motu proprio et ex certa scientia tam Praelatis quam personis nationis graecae et eorum cuilibet, ut eorum ritibus, et observantiis sive consuetudinibus, ut praemittitur, uti ac illos et illas observare, Missasque et alia Divina Officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare, nec non Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis graecis et inter eosdem Graecos, ubi Archiepiscopi, Episcopi et alii Praelati latini iurisdictionem haberent, pontificalia officia libere exercere etc. (*ut sub data 18 . V . 1521*) praesumant. Et ita per Archiepiscopos, Episcopos et alios paelatos et praesbiteros et clericos latinos inviolabilius observari debere etc. decreverit, nosque litteras Leonis Praedecessoris huiusmodi per alias nostras in simili forma Brevis litteras observari mandaverimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continentur.

Nihilominus nonnulli locorum Ordinarii et Praelati latini ac eorum Clerici, nec non temporales Domini et magistratus, nesciatur quo spiritu ducti, Josaphat Metropolitanum graecum super nationem graecam partium illarum Ordinarium et Superiorem suo gregi, ut asseruit, legitime deputatum, quo minus iurisdictionem suam in ipsam gentem graecam iuxta facultatem suam sibi in deputatione huiusmodi datam et in Concilio praedicto Metropolis con-

cessam libere exercet, ac Clericos graecos quominus iuxta ordinationem in nominato Concilio, ut praefertur, factam baptizare, purificare, dissolvere, ac mortuos humare, et officia sua absque licentia ipsorum Ordinariorum latinorum libere peragere contra tenorem Concilii et Litterarum Leonis, Praedecessoris, impedire praesumpserint, non sine ipsius nationis graece scandalo et perturbatione.

Quare nobis idem Josaphat Metropolitanus humiliiter supplicare fecit, quatenus ei in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, Nos ad quos ex debito pastoralis officii et praemissis opportunis remediis dicti Josaphat Metropolitani supplicationibus inclinati, vobis et eorum singulis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus constito vobis de deputatione Josaphat Metropolitani, praedicta in dicto Concilio statuta, litteras Leonis, Praedecessoris huiusmodi, omniaque et singula in eis contenta, inviolabiliter observare faciatis vos vel quemcumque vestrum, quoties pro parte dicti Josaphat Metropolitani fueritis requisiti vel alter vestrum super hoc fuerit requisitus. Eisdem Ordinariis locorum aut Praelatis ecclesiasticis latinis nec non Dominis temporalibus et magistratibus sub censuris et penis ecclesiasticis eo ipso quo fuerit contrafactum incurrendis auctoritate nostra precipiat et iniungatis, prout nos tenore praesentium sub similibus penis praecipimus et iniungimus generaliter iuxta formam Concilii et litterarum Leonis Praedecessoris huiusmodi sese habere, gerere et continere, ipsaque litteras, ac in dicto Concilio statuta observare debeant, ac a praemissis impedimentis penitus et omnino desistant, nec aliquam molestiam Josaphat Metropolitano et Ecclesiasticis predictis quomodolibet inferre praesumant. Et si, quod absit, Ordinarii Antistites, ac Clerici latini nec non Domini temporales et magistratus praedictis huiusmodi mandatis parere contempserint, quia tunc crescente contumacia, crescere debet et poena, illas et illorum singulos, postquam contigerit quod terminus eis per vos ad hoc praefigendum lapsus fuerit, censuras praedictas incurrisse declareris, illosque agravetis. Nec non, si opus fuerit, eorum ecclesias ecclesiastico interdicto subiiciatis, et tamdiu illud inihi observari faciatis, donec ad eos reversi, satisfactione praevia, ab huiusmodi excommunicationis sententia et aliis censuris absolutionis beneficium et interdicti huiusmodi meruerunt obtinere. Nos enim vobis, si ad eorundem Antistitum et Praelatorum ac Clericorum nec non temporalium Dominorum et magistratum latinorum tutus non pateat accessus, post quam de hoc legitimo impedimento vobis constiterit, monitiones, inhibitiones, et mandata huiusmodi per edictum publicum in locis circumvicinis, ita quod verisimiliter sic ad eorum notitiam praemissa devenire, faciendi ac huiusmodi litteras exequendi licentiam et facultatem per easdem praesentes concedimus, decernentes huiusmodi monitione, inhibitione, et mandato, sic per edictum huiusmodi faciendis, perinde eosdem sic monitos extare ac si personaliter fuerint (moniti). Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non omnibus et singulis illis, quae dictus Leo, Praedecessor, in suis et nos nostris litteris praedictis volumus obstar. Ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vige sima sexta Januarii 1536, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Sumpta ex originali minutarum collectione et concordatum C. Florentibus.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Roma e

S. PIUS V
(7,17.I.1566 — 1.V.1572)
a l e x a n d r i n u s
(Antonius Miachael Ghisleri)

D O C U M E N T A P I I P P. V

122.

Romae, 20 . VIII . 1566

Pius PP. V revocat facultates quomodolibet concessas Graecis Latino Ritu et Latinis Graeco Ritu celebrandi Missas et Divina Officia.

*Bullarum, Privilegiorum etc., ed. Romae 1743, vol. IV, pars 2, p. 309-310.
ASV, Registrum Bullarum Pii PP. V.*

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Providentia Romani Pontificis plurimum circumspecta nonnunquam ea, quae certis suadentibus causis per eius Praedecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationalibus causis alterat, et ad pristinum statum reducit, prout aequitas suadet, et in Domino conspicit expedire.

Sane cum ad notitiam pervenerit, quod nonnulli Praesbyteri, tam Graeci, quam Latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione Missarum, quam aliorum divinorum officiorum pervertere satagentes, diversas licentias, et facultates, Missam et alia divina officia Graeci latino more, ac Latini graeco rito celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam Maiore Poenitentario pro tempore existente variis praetextibus impetrarunt, illisque iampridem utuntur, hoc ab antiquo Ecclesiae Catholicae instituto, sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare, et submovere volentes, omnes et singulas licentias, et facultates huiusmodi hactenus etiam Motu proprio vel quorumvis etiam Imperatorum, Regum et aliorum Principum contemplatione, et ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, Apostolica auctoritate ex certa scientia hac praesenti nostra perpetuo valitura Constitutione revocamus, cassamus, annullamus, et irritamus, quibusvis Praesbyteris, tam Graecis, quam Latinis in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, ac perpetuae suspensionis a divinis poenis districtius inhibentes, ne deinceps Praesbyteri Graeci, praecipue uxorati, latino more, et Latini graeco ritu, huiusmodi licentiarum, et facultatum, aut alio quovis praetextu Missas, et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere praesumant.

Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis quatenus in civitatibus, et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari, et sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis per quoscumque Praelatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, et personas quaslibet inviolabiliter observari faciant. Contradictores quoslibet auctoritate Apostolica compescendo.

Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, et aliorum Locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, et locis, illorumque Capitulis, Conventibus, Superioribus, et personis, ac Ordinibus sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus illorum tenores pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, illaque quoad praemissa cassamus penitus, et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentes literae ad valvas Beati Petri Apostolorum Principis, et Cancellariae nostrae, ac in acie Campi Florae publicentur, et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Praelati munitus eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, 13 Kal. Septembris, Pontificatus Nostri Anno. I.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

GREGORIUS XIII
(13,25.V.1572 — 10.IV.1585)

bononiensis
(Hugo Boncompagni)

D O C U M E N T A G R E G O R I I P P . X I I I

123.

Romae, 5 . II . 1582

Gregorii XIII Bulla de erectione Pontificii Collegii, Vilnensis suasu P. Antonii Possevino pro adolescentibus ruthenis et moscovitis fundati.

Bullarium S. C. de Propaganda Fide, p. 296.

DE MARTINIS R., Iuris Pontif. de Prop. Fide Pars. I, vol. III, p. 522-3, n. 1.

GREGORIUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Quanto membra Christi longius ab Ecclesiae suae capite absunt, tanto impensius oportet ea fidei calore fovere, ne, infidelitatis algore confectis, insitus pietatis amor penitus adimatur, nec uno tantum anno, sed perpetuis temporibus fructuum spes et maturitas quam ex christiana plantatione et cultura expectamus, in caeleste horreum recondenda, depereat, quod nobis sollicite considerantibus, et saepe alias, et nunc maxime, ante oculos observatur misera illa Ruthenorum et Moschovitarum regio¹⁴⁷, quae a Turcis Schismaticisque obsessa a verae religionis tempore segregata est, asperaque eam circumueuntia infidelitatis obstacula ita fidei soli officiunt, ut in frigore et tenebris multos iam annos iacuerit et iaceat in praesenti.

Quare nos periclitatae huic provinciae, quantum in nobis est, succurrere volentes, nec ignari quam utilis in pietate et moribus instruenda iuventute veneranda Iesu Societas existat, quantaeque orbis regiones eius virorum labore et industria, in fidei catholicae cognitione et cultura optimisque praecepsit suscepit incrementa, motu proprio et ex certa scientia nostra in civitate Wilnensi, quae inter alias provinciae Lithuaniae civitates caput sedesque regalis existit, unum collegium seminarium appellandum, in quo iuvenes scholares Rutheni et Moschovitae fidem ipsam catholicam et doctrinam christianam ac bonas litteras condiscant, optimisque moribus et disciplinis eru-

¹⁴⁷ Tunc temporis distinctio inter Ruthenos et Moscovitas adhuc clare dignecebatur. Temporibus Unionis Berestensis (1595-1596) in documentis Romae exaratis semper adnotabatur: « Nationis Ruthenae seu Russae » in distinctionem Nationis Moscovitiae, quae Unioni adversabatur, imo proprium constituit patriarcham Moscovensem (1589). Benedictus XIV, de eodem Seminario Vilnensi scribens anno adhuc 1753 eandem distinctionem retinuit. Cfr. DE MARTINI R., *op. cit.*, vol. III, p. 523-524 sq. Hodie distinctio identica vigeat inter denominaciones: Ucraini (olim Rutheni) et Russi (olim Moscovitae). Cfr. nostram introductionem.

diantur, et alias instar aliorum collegiorum seminariorum, quae nos iam in Bohemiae, Poloniae, Germaniae et Transilvaniae¹⁴⁸ regionibus ereximus, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus, ac illud sic erectum et institutum curae, regimini et administrationi pro tempore existentis Rectoris collegii dictae Societatis in praedicta civitate Wilnensi nuper electi per eum, seu eius ex ipsa Societate, quem idem Rector sufficerit suscipiendis atque obeundis tam circa huiusmodi regimen et administracionem, quam etiam correctionem scholarium per praesentes electi collegii, illiusque bonorum administratione, et alumnorum in eo pro tempore recipiendo rum admissionem et dimissionem, statutorumque observationem perpetuo subiicimus, ac eidem collegio sic per praesentes electo, eiusque Rectori et alumnis concedimus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, praerogativis, facultatibus, favoribus et gratiis aliisque huiusmodi collegii per nos electis concessis, quibusque illa utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum omnino uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant ac si illis specialiter concessa fuissent.

Insuper ipsi collegio sic pro Ruthenis et Moschovitis per praesentes electo pensionem annuam ab omni et quocumque onere ordinario et extraordinario etiam pro Crucifera Sancta, et expeditione etiam defensiva contra infideles haereticos, aliosve hostes, seu etiam pro tuitione Urbis et status temporalis S. Romanae Ecclesiae, et ex quacumque alia causa etiam graviori et urgentissima, etiam motu simili ac consistoriali pro tempore impositis liberam, immunem, et exemptam mille et ducentorum scutorum auri in auro super omnibus et quibuscumque pecuniis et iuribus undecumque provenientibus et preventuris officii datariatus nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis, super quibus nos pridem diversas alias pensiones annuas ad quantitatem septem millium et ducentorum diversis aliis collegiis seu seminariis, et personis, ac etiam hodie unam aliorum mille et ducentorum similium huiusmodi collegio Colosnaviensi in Transilvania a nobis pariter electo Motu simili reservavimus, etiamsi super illis aliae pensiones annuae, etiam S. R. E. Cardinalibus, vel aliis personis aut collegiis et locis piis assignatae, ac cuiuscumque quantitatis et summae sint, eidem collegio per praesentes electo illiusque Rectori vel eius Procuratori ad id ab eo speciale mandatum habenti per dilectum filium nostrum et pro tempore existentem Datarium eiusque Depositarium, singulis mensibus pro rata, eademque in principio cuiusque mensis, et ante alias omnes pensiones reservatas et reservandas ad quindecim annos integros, a kal. aprilis proxime venturis numerandos, etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum temporibus integre persolvendam eisdem auctoritate et tenore reservamus, constituimus et assignamus.

Decernentes praesentem et futuros nostros Datarios ac ipsorum Depositarios ad illius solutionem eidem collegio per praesentes electo, illiusque Rectori et Administratoribus vel Procuratori quindecim annis integris praedictis durantibus, ac alias, ut praefertur, nulloque alio mandato a nobis vel successoribus nostris praedictis desuper expectato, remotaque omni et qua-

¹⁴⁸ Agitur de Collegiis Pontificiis: Pragensi, Olomucensi, Viennensi, Brunsbergensi et aliis minus notis.

cumque exceptione, dilatione vel excusatione faciendam, efficaciter obligatos fore, nec ipsam pensionem eidem collegio illiusque Rectori et Administratoribus vel Procuratori, ut praefertur, reservatam ex predictis aliisque causis quantumcumque gravibus, urgentibus et necessariis ad minorem summam reduci, nec huiusmodi reservationem annullari, nec illam praesentesque litteras revocari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari vel impugnari unquam posse, sed eidem collegio eiusque alumnis et personis aequo suffragari debere, ac si ipsa pensio per praesentes reservata consistorialiter consulentibusque et supplicantibus eiusmodi Rom. Eccl. Cardinalibus reservata fuisse, nec quemquam ad praesentandum, insinuandum, et registrari faciendum, easdem praesentes litteras in Camera Apostolica iuxta constitutionem fel. rec. Pii PP. IV. praedecessoris nostri desuper editam, aut alias unquam teneri, nec propterea illas irritas esse, sed omnino valere, ac si constitutio praescripta et alia contraria nunquam emanassent sive per quosecumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palati apostolici Auditores, et praedictos Cardinales in quavis instantia sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, ubique iudicari et definiri debere, nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac nostra de consensu in pensionibus praestando, ac aliis apostolicis constitutionibus, nec non officii datariatus et camerae predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis eorumque praesidentibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam Motu et scientia similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis.

Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissa et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram erectionis, institutionis, subiectionis, concessionis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti ac derogationis infringere, vel ausu temerario contraire¹⁴⁹. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXII.
Nonis Februarii, Pontificatus Nostri Anno XI.

¹⁴⁹ Hanc clausulam in memoriam revocat Benedictus XIV anno 1753, in Bulla de data 5.IV.1753, qua Collegium Vilnense ad pristinam reduxit fundationem, id est illud unice Ruthenis reservavit, quia tunc temporibus « invenes Moschovitae, fortasse ob vitae poenam quibuscumque Moschovitis catholicam religionem amplectentibus ac profitentibus, iuxta suas leges infligandam, non recipiuntur et admittuntur » (ib. p. 523).

124.

Romae, 6 . VII . 1583

Janusio Ostrožskyj, filio Ducis Constantini Ostrožskyj, conceditur privilegium Altaris portatilis.

ASV, *Armarium XLII*, vol. 45, fol. 269, nr. 51.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio Principi,
primogenito Ducis Ostroviae.

GREGORIUS etc. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Tui nobilitas generis nec non fides et devotio quam erga nos et Sanctam Romanam Ecclesiam te ferri accepimus, nos inducunt ut votis tuis hodie benigne annuamus. Hinc est quod precibus pro parte tua nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Nobilitati Tuae, ut liceat tibi habere Altare portatile, cum debitis reverentia et honore super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis etiam non sacris, ubi ecclesiae et loca ecclesiastica non adsunt, Missas per sacerdotes idoneos saeculares vel cuiusvis Ordinis regularis in tua et familiarium tuorum praesentia ac aliorum catholicorum tecum pro tempore existentium presentia celebrari facere, illamque audire et si ipseque sacerdos eam celebrare libere et licite valeatis auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus constitutionibus etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die VI Julii 1583, Anno XII.

125.

Romae, 3 . IX . 1583

Congratulatur Gregorius XIII cum Duce Slucensi de eius laboribus in procuranda unione Ecclesiarum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 18, fol. 189.

Georgio Duci Slucensi.

GREGORIUS etc. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Nullus potest esse catholici principis conatus gloriiosior, ac fructuosior, quam is in quo tantopere versari Nobilitatem Tuam ex tuis nostrique in Polonia Nuntii litteris cognovimus, de Graecorum scilicet Ecclesia tuis in locis ad Romanam Catholicamque Ecclesiam reducenda, quo nomine gratulamur Nobilitati Tuae, tum praesentem laudem, tum amplissima immortaliaque a Deo premia tuae pietati reposita, rogamusque ut quod tanto cum zelo suscepisti, pari quoque studio usque ad extreum exequatur.

De mittendis ad se hominibus Graecis, sed, ut sapienter ais, piis inque Sanctorum Graecorum Patrum scriptis diligenter versatis, satisfaciemus postulationi tuae.

Cetera ex Nuntio ipso cognoscet. Optamus precamusque tibi a Domino Deo nostro omnem felicitatem.

Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 3 Septembris 1583, Anno XII.

126.

Romae, 3 . IX . 1583

Duci Costantino Ostrožskyj Gregorius XIII respondit in negotio Collegii Ostrogiensis, et bonorum eius in ditione Imperatoris S. Romani Imperii

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 18, fol. 199.

Constantino Ostroviae Duei.

GREGORIUS etc. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Amamus Nobilitatem tuam propter tuam praestantem voluntatem Christianorumque inter se discordiam ac dissidiorum odium, propterque optimam spem maioris in dies divinae in te gratiae fructus. Quod postulas, ut Graecos ad te homines mittamus Ostroviensis Collegii causa, tum in hac re tum in ceteris omnibus quas ad se pertinere intelligemus, gratificabimur Nobilitati Tuae, idque libertissime faciemus.

De tuo negotio apud carissimum filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem electum, Venerabilis frater Episcopus Vercellensis, Nuntius noster, aget cum eo nostris verbis diligentissime. Sic enim mandavimus. Deus benedictus amplectatur cumuletque Nobilitatem Tuam sua gratia omniisque felicitate.

Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 3 Septembris 1583, Anno XII.

127.

Romae, 12 . XI . 1583

Duci Constantino Ostrožskyj, iuniori, Pontifex gratulatur de eius professione fidei catholicae, invito patre, Duce Constantino seniore.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 18, fol. 220.

Constantino Duci Ostroviae.

GREGORIUS etc. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Nihil potuit nuntiari nobis iucundius, nihil optatius tua recenti ad Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam accessione. Gratulamus Nobilitati Tuae, gratulamur etiam Ecclesiae nostrae. Fuit enim factum illud utrique gloriosum, sibi vero imprimis fructuosum. Is enim vere fructus est, qui ex pieitate percipitur, quique ad spem sempiternae, ad quam facti sumus,

beatitudinis spectat. Cetera omnia caduca, fluxa, inania sunt. Quo etiam minus vereri debes sive externas, sive domesticas molestias hominum, te de ista voluntate sanctissima dimovere molentium. Quando enim defuerunt servis Jesu Christi molestiae, vexationes, odia? Sed in his omnibus, aiebat Apostolus, superamus propter eum, qui dilexit nos. Non dubitamus te maiorem in dies fructum perseverantiae et pietatis tuae percepturum esse. Oramus divinam bonitatem, ut in te effundat thesauros gratiae suae, teque cumulet omni gaudio. Quidquid autem valebimus auctoritate atque opera, Tuae Nobilitati deferimus tanta cum caritate, quantam sibi polliceri par est filium optimum a patre amantissimo. Cetera ex Venerabili fratre Episcopo Massensi, Nuntio nostro, cognosces.

Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 12 Novembris 1583, Anno XII.

128.

Romae, 31 . XII . 1583

Duci Constantino Ostrozskyj, seniori, Pontifex refert de Antonio Possevino, nec non de eius negotio penes Imperatorem Austriae promovendo.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 18, fol. 227.


Constantino Ostroviae Ducis.

GREGORIUS etc. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Dedimus superiori mense litteras ad Nobilitatem Tuam, nunc has alteras damus. Libenter enim omnem opportunitatem amplectimur tui salutandi. Veniet brevi ad Nobilitatem Tuam dilectus filius Antonius communicabitque tecum iis de rebus, quas magna cum pietatis laude exoptas. Ostendet etiam quod hactenus cum carissimo filio nostro Rodulpho Romanorum Imperatore electo de tuis rebus sit actum, quamque libenter haec Saneta atque Apostolica Sedes tua causa semper aget omnia.

De Typographia hortamur quantum possumus ut velis id agere, quod Antonius proponet, eique tum in hac re, tum in omnibus fidem tribuere; est enim vir integerrimus, tuique amantissimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die ultima Decembris 1583, Anno XII.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

CLEMENS VIII
(30.I.9.II.1592 — 3.III.1605)

f l o r e n t i n u s
(Hippolitus Aldobrandini)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. VIII

129.

Romae, 8 . XI . 1593

Capitaneum Cosaccorum Clemens VII hortatur, ut simul cum aliis Turchas repellere current.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 25, fol. 195v-196v, nr. 21.

A. THEINER, *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 211, nr. 164 c.

Dilecto filio, nobili viro, Capitaneo generali Cosachiorum¹⁵⁰.

CLEMENS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

In hac sublimi beatissimi Apostoli Petri sede non nostris meritis, sed divina voluntate collocati, ad omnes Christianae Reipublicae partes oculos sollicitudinis nostrae assidue convertimus, quemadmodum a nobis officii nostri pastoralis ratio postulat; sed hoc potissimum tempore id agimus, cum eadem Republica magnis fluctibus agitata ab haereticis et infidelibus vehementissime oppugnatur. Nos autem in tam multis calamitatibus, quae partim nos premunt, partim imminent et propinquae sunt, non solum ad patrem misericordiarum per orationes et sacrificia configimus, in quo potissimum spes nostra reposita est, sed humanis etiam rationibus, ut par est, publicis incommodis remedium adhibere, quantum divina gratia adiutrice possumus. Omnis sane studio conamur, et filios nostros Principes catholicos et nationes ac populos bellica laude florentes ad fidei, et Reipublicae causam non minus pie quam fortiter tuendam nostra paterna voce excitamus¹⁵¹.

¹⁵⁰ Nomen huius Capitanei, qui «hetman» vocabatur ignotum est. Ut videtur, hoc neque in intentione erat Clementis VIII, quia legatus pontificius in campum ignotum proficisebatur. Non multum antea inter Cosacos agebat Christophorus Kosynskyj (1591-1593), postea Severianus Nalyvajko. Interea possunt etiam commemorari nomina Joannis Orlowskij, qui nominatus a rege Sigismundo an. 1590 ut capitaneus Cosacorum sic dictorum «in indicem illatorum» (rejestrovych), putabatur eratque sub obedientia N. Jazloveckyj. Secundum relationem Joannis Matthaei Wacker, qui anno 1593 (sub fine anni) ut legatus Imperatoris in Polonię venit, ut foedus contra Turcas et auxilium expeteret, post Chr. Kosynskyj dux Cosacorum erat Mykošnskyj, cui ad latus adstabat etiam S. Nalvajko. Cum his personis, verosimiliter, Cumuleus tractare debuit. Cfr. *Ene. Ucrainae*, p. 440; E. BARVINSKYI, *Pyčnyk do istoriji znosyn cisarja Rudolfa II i Papy Klymenta VIII z kozakamy roku 1593 i 1594*, in «Zapysky N. T. Š.» vol. X (7896), p. 1-34, cum aliquibus documentis.

¹⁵¹ Agebatur de bello contra Turcas, in quo agens principalis ex parte Occidentis erat Imperator Rudolphus II, cuius Regno periculum immediate imminebat. Quia Europa centralis et occidental is in hoc communi negotio christianitatis dissentiebat, programma Clementis VIII erat, ut ad periculum profligandum unirentur vires Poloniae, Moscoviae, Austriae, Hungariae, nec non exercitus Cosacorum, qui tartaros in Mari Nigro et in Crimea disturbare debebat, et attentionem illorum et vires a campo belli principali avertere.

Quo in genere scimus illustrem esse tuorum Cosachiorum militiam, eamque propterea Christianae Reipublicae adversus communes fidei nostrae hostes magno usui esse posse. Tum multa quoque de tua virtute et rei militaris scientia accepimus: viris enim fortibus fortem et prudentem virum praeesse aequum est. Neque vero dubitamus te huius S. Rom. Eccl. omnium Christifidelium matris et studiosum et observantem esse, cupereque pro Dei gloria et Christianae Reipublicae dignitate praeclarum aliquid aggredi, et Deo iuvante efficere, quod posteritatis memoria celebretur, et quod multo est praestantius, aeternam tibi afferat felicitatem. Nos igitur te valde in Domino diligentes, et de tua in nos et hanc Sanctam Sedem voluntate magnopere confidentes mittimus ad te, et ad milites tuos hunc dilectum filium Alexandrum Comuleum¹⁵², Illyricum, familiarem nostrum, sacerdotem Domini pium et religiosum nobisque valde gratum, ob gravissimas Christianae Reipublicae et fidei Catholicae causas, de quibus is tecum nostro nomine aget. Quare hortamur te, ut eum humaniter audias, eique omnem fidem, ac si nos ipsi tecum loqueremur, habeas. Tu vero, vir fortissime, audi vocem matris tuae Romaniae Ecclesiae, fortitudinem istam tuam et in bellico populo auctoritatem offer Deo et beato Petro, imple desiderium nostrum; erit hoc tibi et genti tuae in omnes aetates gloriosum, quod Apostolica Sedes difficillimo tempore multum virtuti vestrae et pietati tribuendum merito duxerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VIII Novembris MDLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno secundo.

130.

Romae, 8 . XI . 1593

Idem exercitui Cosaccorum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 25, fol. 197-198, nr. 23.
THEINER, *op. cit.*, vol. III, p. 211, nr. 164 d.

Dilectis filiis Cosachiis Militibus¹⁵³.

CLEMENS PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc.

Beatissimi Apostolorum Principis Petri, meritis licet imparibus, divina tamen dispositione haeredes et successores, cui omnes Christi oves pascendae et gubernandae ab longe et prope paternae caritatis sinu complectimur, et

¹⁵² Alexander Cumuleus (Komulovič), origine croatus, qui postea etiam in missionibus in Europa orientali nomine S. Sedis agebat, diversaque missiones obibat (Lithuania, Moscovia, etc.).

¹⁵³ Caetus hominum liberorum, qui a fine saec. XV cursum medium et inferiorem fluminis Dnipro incolebant, et ad defensionem contra incursiones tartarorum armati erant, imo ut incursions has praevenirent, et saepe punirent ex sua parte excursiones faciebant in Crimeam, et circumvicina territoria imo usque in ora Asiae Minoris et ad Constantiopolim usque perveniebant. Hisce in excursionibus saepe saepius per Pontem Euxinum procedebant. Non est mirum, quod in programmata Imperatoris Rudulphi II et Clementis VIII contra Turcas sibi proprium et specialem occupabant locum. Cfr. E. BARVINSKYJ, *op. cit.*

in communi Christianae Reipublicae necessitate omnes veluti unius matris S. Rom. Cath. Ecclesiae filios ad opem matri ferendam advocamus.

Vos igitur et filios nostros in Christo agnoscimus et vos paterno amore prosequimur, et vestram virtutem et militarem fortitudinem notam et perspectam habemus, et de vestra in Nos atque hanc Apostolicam Sedem observantia ea nobis pollicemur, quae a Christianis hominibus virisque fortissimis Romanum Pontificem, Christi in terris Vicarium et totius gregis Domini Pastorem, expectare aequum est, nimirum ut pro Dei gloria, pro fidei defensione, pro Christianae Reipublicae conservatione omnia quamvis ardua et difficultia aggredi parati sitis; nihil enim viros fortes magis docet, nihil est ad laudem bellicam illustrius, nihil ad memoriam posteritatis gloriosius, quam communem Christianam Rempublicam defendere, sanctam religionem nostram tueri et pro christiani nominis maiestate vitam et sanguinem, si ita opus sit, profundere, hoc praesertim tempore cum teterrimus Turcarum tyrannus tanta adversus Christianos rabie incensus est, ut non solum omnes dirae servitutis iugo opprimere, sed penitus nomen christianum delere, quod Deus in illum convertat atque extingue conetur.

Nos autem pro nostro pastorali officio de universali Ecclesia Dei sollicitimittimus ad vos ob gravissimas religionis et publicae utilitatis causas hunc dilectum filium Alexandrum Comuleum, Illyricum, presbyterum insigni pietate et zelo familiarem nostrum et nobis pergratum, quem vobis in Domino commendamus, ut eum vos nostro nomine alloquenter libenter audiatis fidemque absque ulla dubitatione plenam habeatis; ea enim acturus est vobiscum, quae ad Dei honorem vestraeque nationis et militiae dignitatem valde pertinet. Vos autem, viri potentes, accingimini, ut Deo exercituum strenue servientes immortales palmas et coronas, quae nunquam marcescunt reportetis.

Datum Romae apud S. Petrum etc., ut supra.

131.

Romae, 15 . XI . 1595

De mandato Clementis VIII Nuntio Poloniae restituitur expensa in negotio unionis Ruthenorum facta.

ARCHIVIO DI STATO DI ROMA, Fondo Camerale, VII: Registri dei Mandati Camerali, an. 1594-96: Mandati Secreti di N. S. Clemente VIII, vol. 945, f. 74.

Per il Vescovo di S. Severo Nuntio in Polonia, scudi 864,75

Mons. Cesi etc. ordinarete a Giuseppe Giustiniani etc. che paghi a Mons. Vescovo di San Severo¹⁵⁴, nostro Nuntio in Polonia, et per lui a Computio Cornvaglio suo procuratore scudi ottocentosessantaquattro b. 75 di moneta, quali se li fanno pagare per imborsarlo di tanti che ne ha pagato di

¹⁵⁴ Episcopus S. Severi tunc temporibus erat Germanicus Malaspina, Nuntius Varsavensis (1592-1598).

suo alli Vescovi rutheni che vengono al unione della Chiesa latina, di Nostro ordine et per conto di S.re a Ambrosio Lenie in Danzica mandate da Roma per nostro scudario, et pagati vogliamo etc.

Del mio palazzo Apostolico questo dì 15 Novembre 1595.

CLEMENS PP. VIII.

Fu dato l'ordine di Mons. Tesoriero a dì detto 864,75.

132.

Romae, 23 . XII . 1595

Constitutio Clementis VIII de unione Metropoliae Kioviensis eiusque ecclesiasticae provinciae cum S. Romana Ecclesia.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 372, fol. 57-70.
THEINER, *op. cit.*, vol. III, p. 240-45, nr. 185 E.

Constitutio super Unione Nationis Ruthenae cum Ecclesia Romana

CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte sancto eius. Civitas Dei supra montem posita, quae abscondi non potest, in qua gloriosa et admiranda operatur Deus, et ipse fundavit eam Altissimus, Sancta est Ecclesia, una Catholica et Apostolica, aedificata a Christo Domino supra Beatissimum Apostolorum Principem Petrum, qui est fundamentum Ecclesiae, quod positum est a summo architecto Christo Iesu, qui cum sit primarium fundamentum, et Lapis electus et angularis, qui portat et sustentat omnia verbo virtutis sua, idem ipse, qui vocat ea, quae non sunt, tanquam ea quae sunt, et qui dixit, et facta sunt, Simonem Ionae filium hominem mortalem, et natura sua imbecillem singularis gratiae privilegio Cepham vocavit, hoc est Petrum, eique tantam firmitatem et soliditatem dedit, ut esset petra immobilis, supra quam aedificavit Sactam Civitatem suam, quae est Ecclesia Dei viventis, eamdemque per legitimam Summorum Romanorum Pontificum successionem, in quibus Beati Petri auctoritas nunquam deficit, aedificavit autem usque in finem saeculorum. Itaque per omnes aetates et tempora ad hanc petram Fidei, Spiritu Sancto auctore, confluunt gentes, et in hanc Deo dilectam Civitatem per salutaris baptissimi ianuam introducuntur nationes et populi multi. Saepe etiam, qui fallaciis hominum et Diaboli insidiis seducti per devia aberrantes, et perniciosa schismata sectati inseruerunt se doloribus multis, et ab hac Sancta Civitate discesserunt, iidem divinae misericordiae abundantia per resipiscentiam, conversionem et poenitentiam tanquam ex fluctibus emergunt, et erroribus ac schismatis damnatis et repudiatis, iterum in hanc Sanctam Civitatem a Summo Romano Pontifice, qui illius claves habet, reducuntur, et ad pristinam unitatem magno Ecclesiae Catholicae gaudio revocantur. Et ne veterem antiquitatis memoriam repetamus, novissime his diebus nostris illustre reconciliationis et reversionis ad Catholicam Ecclesiam exemplum extitit ruthenorum Episcoporum; qua in re abundantes divitias bonitatis Dei erga humilitatem

nostram agnoscimus, qui cum ita disposuerit, ut Pontificatus noster in tam multas Christianae Reipublicae calamitates et tantam temporum acerbitatem incideret, saepe etiam secundum multitudinem dolorum in corde nostro consolationibus suis laetificat animam nostram. Antea siquidem rutheni Episcopi, atque ea omnis copiosa et clara Natio cum Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre et Magistra non communicabat, sed proprii sermonis atque idiomatis usu, retento Graeco Ritu, vivebat et luctuosum Graecorum schisma sequebatur; ex quo sane schismate, quod intimo cum dolore commemoramus, innumerabiles aerumnae et miseriae ad nobilissimam Graecorum gentem tanquam a fonte quodam promanarunt.

Nuper vero Venerabilis frater Michael, Archiepiscopus et Metropolita Kioviensis Haliciensisque ac totius Russiae¹⁵⁵, et cum eo plerique eius Comprovinciales Episcopi, videlicet Venerabilis frater Hypatius Prothonius Episcopus Włodimiriensis et Brestensis¹⁵⁶, Cyrilus Exarcha Episcopus Luceo-riensis et Ostroiensis¹⁵⁷, Gregorius nominatus Archiepiscopus electus in Episcopum Polocensem et Vitebsensem¹⁵⁸, Leontius Episcopus Pinscensis et Turoviensis, qui paulo post ex hac vita decessit¹⁵⁹, et Dionysius Episcopus Chelmensis et Belsensis¹⁶⁰, et deinde Ionas Archimandrita Kobrinensis¹⁶¹ electus in Episcopum Pinscensem et Turoviensem in locum demortui Leontii praedicti, hi omnes, divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare, et inter se multa consultatione et prudenti adhibita conferre et serio tractare, se et greges, quos pascerent, non esse membra corporis Christi, quod est Ecclesia, qui visibili ipsius Ecclesiae capiti Summo Romano Pontifici non cohaererent, et propterea spiritualis vitae influxus se non posse capere, neque crescere in charitate, cum ab eo essent disiuncti, ex quo iuncturam subministrationis in mensuram operationis uniuscuiusque membra, quin etiam se omnibus animae periculis et insidiis Principis tenebrarum tanquam leonis rugientis propositos esse, qui intra Ovile Christi, intra Arcam salutis et intra Domum illam non essent, quae est aedicata supra petram, quam flumina et venti irruentes nequeunt prosternere, in qua sola domo Agnus ille ad vitae fructum comeditur, qui tollit peccata mundi. Quamobrem pro consilio et salutari deliberatione inter se statuerunt, ac firmiter decreverunt redire ad suam et omnium fidelium Matrem Romanam Ecclesiam, reverti ad Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium, et totius populi christiani communem Patrem et Pastorem, longo quidem temporis intervallo post annos fere centum quinquaginta et amplius, postea quam primum a piae mem. Eugenio Papa IV in Generali Concilio Florentino Graeci recepti et reconciliati Ecclesiae fuerant. Hanc autem deliberationem et decretum scripto tradiderunt et mandarunt, cui Michael Archiepiscopus

¹⁵⁵ Michael III Rahoza (1588-1599).

¹⁵⁶ Hypatius Potij (1591-1613), successor Metropolitae Michaëlis in Sede Metropolitana Kioviensi (1600-1613).

¹⁵⁷ Cyrilus Terleckyj de Terlo, Episcopus Luceo-riensis usque ad an. 1607.

¹⁵⁸ Gregorius Chreptovyč (1594-1600).

¹⁵⁹ Leontius Pelcyckyj (+ 1595).

¹⁶⁰ Dionysius Zbirujskyj (+ 1604).

¹⁶¹ Jonas Hohol (1596-1602).

et omnes supradicti Episcopi subscriperunt¹⁶², datumque est die secunda mensis Decembris anno 1594, in quo se ipsos ad Romanae Ecclesiae communionem et unitatem procurandam communi veluti vinculo obstrinxerunt.

Quod igitur idem Michael Archiepiscopus et Coepiscopi eius supradicti salutariter statuerant, sedulo exequentes duos ex eorum numero delegerunt primarios Episcopos, Venerabiles fratres Hypatium Protothronium Episcopum Wladimirensem et Brestensem, et Cyrillum Exarcham Episcopum Luceoriensem et Ostrosiensem, praestantes viros et zelo Dei praeditos, qui cum Romam advenissent¹⁶³, secum Decretum illud detulerunt, de quo supra diximus, Michaelis Archiepiscopi et Metropolitae, et sua et aliorum Episcoporum, qui superius enumerati sunt, manu subscriptum. Et litteras praeterea ad Nos scriptas attulerunt¹⁶⁴, datas ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae die 12 Iunii anno Domini 1595, iuxta Kalendarium vetus¹⁶⁵, quibus infrascripti Episcopi subscriperant, Michael Archiepiscopus Metropolita Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae, Hypatius Protothronius Episcopus Wladimiriensis et Brestensis, Cyrillus Exarcha Episcopus Luceoriensis et Ostrosiensis, Gregorius nominatus Archiepiscopus electus in Episcopum Polocensem et Vitebscensem, Leontius Episcopus Pinsensis et Turoviensis postea defunctus, Michael Episcopus Premisliensis et Samborensis¹⁶⁶, Gedeon Episcopus Leopoliensis¹⁶⁷, Dionysius Episcopus Chelmensis, et novissime Ionas Archimandrita Kobrinensis, electus postmodum in Episcopum Pinsensem et Turoviensem loco praedicti Leontii, Episcopi, ut praefatur, defuncti.

Cum igitur duo supradicti Episcopi et Oratores Hypatius et Cyillus benigne a nobis in conspectum et colloquium nostrum essent admissi, easque literas ab ipsis quoque subscriptas nobis reddidissent, nostram atque Apostolicae Sedis gratiam humiliter petierunt, seque intra gremium Catholicae Romanae Ecclesiae recipi et tanquam membra iterum capitri uniri supplicarunt, salvis eorum ritibus et caeremoniis in Divinis Officiis et Sacramentorum administratione, et alias iuxta unionem celebratam in Concilio Florentino inter Occidentalem et Orientalem Graecorum Ecclesiam; vicissim obtulerunt se paratos omnes haereses et schismata damnare, omnesque errores detestari, quos damnat et detestatur Sancta Catholica Romana Ecclesia, et eos praesertim, quorum causa hactenus ab eadem Romana Ecclesia separati et disiuncti fuerunt; tum etiam fidei Catholicae professionem rite facere, ac nobis denique uti vero Christi Vicario, et Sanctae Apostolicae Sedi obedientiam et subiectionem debitam praestare et perpetuo spondere. Attulerunt iidem Episcopo praeterea ad Nos litteras carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae et Sueciae Regis, qui ut est egregie pius et Catholicae Religionis propagandae cupidus, salutare hoc negocium de Ruthenis ad

¹⁶² Cfr. textum epistulae in G. HOFMANN, *Wiedervereinigung der Ruthenen mit Rom*, in «Orientalia Christiana» III (1925) 12, p. 136-139.

¹⁶³ Die 15 Novembris 1595.

¹⁶⁴ Cfr. textum in G. HOFMANN, *op. cit.*, p. 139-142.

¹⁶⁵ Id est die 22 Junii secundum Calendarium Gregorianum, prout etiam habet G. HOFMANN.

¹⁶⁶ Michaël Kopystynskyj (1591-1610), qui revera postea suum consensum retractavit in Synodo Berestensi, a Principe Constantino Ostrožskyj coactus.

¹⁶⁷ Gedeon Balaban (1568-1607), qui item Synodo Berestensi non adhaesit unionemque cum S. Sede renuit.

reconciliationem et unitatem Catholicae Ecclesiae recipiendis magnopere nobis commendavit, quod et alii fratres nostri catholici Episcopi poloni facere, hoc est dilectus filius noster Georgius Cardinalis Radzivilius, Episcopus Cracoviensis¹⁶⁸, Ioannes Demetrius, Archiepiscopus Leopoliensis¹⁶⁹, et Bernardus, Episcopus Luceoriensis¹⁷⁰.

Nos igitur, qui per Dei gratiam nihil magis optamus aut quaerimus, quam animas Christo lucrari, eorum petitionibus et oblationibus intellectis et consideratis, ea etiam a Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis praefectis diligenter considerari iussimus; cumque omnia accurate excussa et examinata essent, et duo Episcopi supradicti Hypatius et Cyrillus tam suo proprio, quam Michaelis Archiepiscopi seu Metropolitani et Coepiscoporum suorum nomine, quae ad haeresum, errorum et schismatis condemnationem et detestationem pertinebant, rite praestitissent; item prompti essent publice fidem catholicam ex formula praescripta profiteri, ac nobis et Sedi Apostolicae veram obedientiam exhibere, ob eas causas statuimus ad Dei gloriam ruthenos Episcopos et Nationem ad corporis Ecclesiae, et Romanae Ecclesiae communionem et unitatem admittendos et recipiendos esse. Quod ut more magis solemni et maiori cum laetitia spirituali fieret, certo constituto die, hoc est hodierno, qui est tertius et vigesimus mensis Decembbris anni praesentis 1595, sacro Sabbathi quatuor temporum et vigiliae Natalis Domini Nostri Iesu Christi geminato iejunio, Venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales eorumque amplissimum Collegium in nostrum Apostolicum Palatum, et in aulam, quae dicitur Constantini, huius rei causa congregavimus; quibus nobiscum de more considentibus multisque Praesulibus, Praelatis et Aulicis honoratis viris et familiaribus nostris praesentibus et astantibus, duos supradictos Episcopos ruthenos, Oratores, introduci mandavimus, qui ad pedes humilitatis nostraræ provoluti se ad corporis Ecclesiae Catholicae et Romanae Ecclesiae unitatem et obedientiam recipi et admitti iterum suppliciter petierunt. Tum iussu nostro lecta est deliberatio et Decretum supradictum Michaelis Archiepiscopi Metropolitae et Episcoporum ruthenorum, qui ei subscripti- runt, quique supra singillatim nominati sunt, de petenda, et quibusvis impe- dimentis remotis firmiter effienda cum Romana Ecclesia eiusmodi recon- ciliatone et membrorum ad caput suum nova unione. Lectum est autem primo loco ruthenico sermone, ut conscriptum est, deinde lecta est versio latina ad verbum. Tum lectae sunt etiam literae de eadem re ad Nos a praedictis Michaele Archiepiscopo Metropolitano et Episcopis ruthenis scriptae, de quibus supra diximus, et eodem plane modo, primum ruthenico sermone, deinde ex latina versione ad verbum sunt lectae; mox ab uno ex Secretariis nostris domesticis clara voce ipsis Episcopis et Oratoribus latine

¹⁶⁸ Georgius Radziwill, antea Episcopus Vilnensis (1580-1591), dein Cracoviensis (1591-1600), et Cardinalis.

¹⁶⁹ Joannes Demetrius Solikowski (1582-1603).

¹⁷⁰ Bernardus Maciejowski, nominatus Ep. Luceoriensis 1588, postea, post Georgium Radziwill, nominatus Ep. Vilnensis, sed non receptus, et deinde post mortem Ep. Cracoviensis, Georgii Radziwill translatus ad eandem Sedem. Nominatus Cardinalis S. R. E. in Consistorio die 17.IX.1603 a Clemente VIII; obiit extra Curiam die 19.I.1608. Cfr. GAUCHAT P., *Hierarchia catholica...* vol. IV, p. 7.

significari iussimus, quantam animus noster laetitiam caperet, et exultaret spiritus noster in Deo salutari nostro propter Ruthenorum hanc saluberrimam deliberationem quantum ipsi deberent Deo honorum omnium auctori, qui Spiritus Sancti afflatu hanc eis mentem dedisset, ut veteres errores agnoscerent et detestarentur, et ad Petram fide, ad Romanam Ecclesiam, Caput, Matrem et Magistrum omnium Ecclesiarum redirent.

Tum illi statim Hypatius et Cyrillus tam suo proprio nomine, quam uti Oratores et Procuratores Michaelis Archiepiscopi et Coepiscoporum suorum supradictorum, fidem catholicam iuxta formam professionis fidei orthodoxae a Graecis facienda ab hac Sancta Sede praescriptam integre, et de verbo ad verbum professi sunt, nobis et Apostolicae Sedi debitam et perpetuam obedientiam et subiectionem praestiterunt, quam Nos una cum Venerabilibus fratribus nostris S. Rom. E. Cardinalibus recepimus, atque haec omnia Archiepiscopum et Episcopos ruthenos eorum collegas, ac Clerum et populum rata et grata habituros, et eamdem fidei professionem facturos atque obedientiam praestituros, omnia denique per ipsos eorum Oratores et Procuratores acta et promissa confirmaturos et observaturos bona fide et corde sincero coram Deo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, iureiurando promiserunt. Primus autem Hypatius Episcopus fidei orthodoxae professionem fecit latina lingua, quod ipse latine nosset, iuxta formam praedictam; legit autem eam clara voce de scripto integre in eum, qui sepuitur, modum.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Ego humilis Hypatius Pociey Dei gratia Protothronius Wlodimiriensis et Brestensis Episcopus in Russia Nationis Russorum seu Ruthenorum, unus ex Procuratoribus Reverendorum in Christo Patrum Dominorum Praelatorum eiusdem Nationis, Venerabilis Michaelis Rahosa Archiepiscopi Metropolitae Kiovensis et Halicensis ac totius Russiae, et Georgii Archiepiscopi denominati electi in Episcopum Polocensem et Vitebsensem, et Ionae Hohol electi in Episcopum Pinsensem et Turoviensem, et Michaelis Kopystensky Episcopi Premisliensis et Samboriensis, et Gedeonis Balaban Episcopi Leopoliensis, et Dionysii Zbiruisky Episcopi Chelmensis, ab eis specialiter constitutus et missus una cum Reverendo in Christo Patre Domino Cyrillo Terleckzy Exarcha Episcopo Luceoensi et Ostrosiensi eiusdem Nationis, altero ex Procuratoribus dictorum Dominorum Praelatorum et Collega meo, ad ineundam et suscipiendam unionem Sanctitatis Vestrae, et Sanctae Romanae Ecclesiae, atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium et totius ecclesiastici eorum status, et ovium eis commissorum nomine huic Sanctae Sedi beati Petri, et Sanctitati vestrae uti Summo Pastori Universalis Ecclesiae, ad pedes Sanctitatis Vestrae positus, ac infrascriptam Sanctae Orthodoxae Fidei professionem iuxta formam Graecis ad unitatem dictae S. R. E. redeuntibus praescriptam facturus et emissurus, tam procuratorio nomine praedictorum Dominorum Archiepiscopi et Episcoporum ruthenorum meorum principalium, quam etiam meo proprio simul cum praedicto Domino Cyrillo Exarcha Episcopo Luceoensi et Ostrosiensi, Procuratore et Collega meo, polliceor et promitto quod ipsi Domini Archiepiscopus et Episcopi illam ratam et gratam habebunt, ac suscipient et acceptabunt, et intra tempus competens ratificabunt et confirmabunt, atque de novo iuxta predictam formam de verbo ad verbum facient et emittent, et eorum manu scriptam et sigillo obsignatam ad Sancti-

tatem vestram, et hanc Sanctam Apostolicam Sedem transmittent, prout sequitur (*Omittitur professio fidei, quia reperitur impressa*).

Tum ruthenica lingua conscripta et similiter ab ipso subscripta pro eo lecta est a dilecto filio Eustachio Volovitio¹⁷¹, Canonico Vilnensis Ecclesiae, eiusdem linguae perito. Deinde Cyrilus Episcopus eandem Orthodoxae Fidei professionem fecit ad eandem prorsus formam, prout Hypatius Episcopus fecerat, ruthenice scriptam, eo quod linguam latinam non calleret. Sed et latine scriptam ac ab ipso subscriptam eius nomine legit dilectus filius Lucas Doctorius, Canonicus Luceoriensis, huiusmodi sub tenore, videlicet: Sanctissimae ac Beatissime Pater. Ego humilis Cyrilus Terlecky Dei gratia Exarcha Episcopus Luceoriensis et Ostrosiensis in Russia Nationis Russorum seu Ruthenorum, unus ex Procuratoribus Reverendorum in Christo Patrum Dominorum Praelatorum eiusdem Nationis, videlicet Michaelis Rahosa Archiepiscopi Metropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae, et Gregorii Archiepiscopi denominanti electi in Episcopum Polocensem et Vitebsensem, et Ionae Hohol electi in Episcopum Pinsensem et Turoviensem, et Michaelis Kopystensky Episcopi Premisiensis et Samboriensis, et Gedeonis Balaban Episcopi Leopoliensis, et Dionysii Zbiruiský Episcopi Chelmensis, ab eis specialiter constitutus et missus una cum Reverendo in Christo Patre Domino Hypatio Pociey Protothronio Wladimirensi et Brestensi Episcopo eiusdem Nationis, altero ex Procuratoribus dictorum Dominorum Praelatorum et Collega meo, al ineundam et suscipiendam unionem Sanctitatis Vestrae, et S. R. E. atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium et totius ecclesiastici eorum status, et ovium eis commissarum nomine huic Sanctae Sedi beati Petri, et Sanctitati vestrae, uti Summo Pastori Universalis Ecclesiae, ad pedes eiusdem Sanctitatis vestrae positus, ac infrascriptam Sanctae Orthodoxae Fidei professionem iuxta formam Graecis ad unitatem dictae Sanctae Romanae Ecclesiae redeuntibus praescriptam facturus et emisurus, tam proprio nomine praedictorum Dominorum Archiepiscopi et Episcoporum ruthenorum meorum principalium, quam etiam meo proprio simul cum praedicto Domino Hypatio Protothronio Wladimirensi et Brestensi Episcopo, Procuratore et Collega meo, polliceor et promitto, quod ipsi Domini Archiepiscopus et Episcopi illam ratam et gratam habebunt, ac suscipient et acceptabunt, et in intra tempus competens ratificabunt et confirmabunt, atque de novo iuxta praedictam formam de verbo ad verbum facient et emittebunt, et eorum manu subscriptam et sigillo obsignatam ad Sanctitatem Vestram, et hanc Sanctam Apostolicam Sedem transmittent, prout sequitur. Firma fide etc. (*prout supra, quamvis non sit apposita, cum sit impressa*).

Quare Nos commisimus et mandavimus dilecto filio nostro Iulio Antonio Presbytero Cardinali Sanctae Mariae Transtiberim Sanctae Severinae, Maiori Poenitentario nostro, ut eosdem Hypatium e Cyrilum Episcopos et Oraatores, ac eorum comites, familiares et domesticos tam Presbyteros et Clericos quam etiam Laicos, et alias quascumque personas dictae Nationis Ruthenorum Romae praesentes a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, in quas propter

¹⁷¹ Eustachius Wollowicz, dein Episcopus Vilnensis (1615-1630).

praemissa, seu schisma, haereses et errores praefatos, quibus forsan adhaeserint, quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostra in utroque foro absolvat in forma Ecclesiae consueta, nec non cum eisdem Episcopis ac eorum comitibus, familiaribus et domesticis, et quibusvis aliis personis, Presbyteris et Clericis super irregularitate per eos praemissorum occasione contracta, quodque clericali charactere, quo antea rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis uti, ac in omnibus etiam sacris et Presbyteratus Ordinibus antea rite susceptis etiam in Altaris ministerio ministrare, seu dicto charactere, qui insigniti non sunt, insigniri, et si idonei fuerint, ad omnes etiam sacros et Presbyteratus Ordines praedictos promoveri, et quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, etiam si canonicatus, praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia existant, sive si iam obtineant, sive si eis alias in futurum canonice conferantur, recipere et obtinere, et quoad vixerint, retinere; nec non cum eisdem Episcopis, ut Ecclesiis, quibus canonice praesunt seu prefecti fuerunt, praeesse et munere consecrationis per eos antea rite suscepto uti, et ad alias similes Cathedrales, vel etiam maiores, etiam Metropolitanas Ecclesias transferri, et illis praeesse libere et licite possint et valeant, dicta auctoritate dispensem.

Ipsis vero Hypatio et Cyrillo et Oratoribus facultatem et potestatem dedimus, cum in Russia fuerint, absolvendi eadem nostra Apostolica auctoritate eodem modo ab excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, censuris et poenis Michaelem Archiepiscopum et ceteros Episcopos supradictos, ac similiter cum praefatis Archiepiscopo et Episcopis super huiusmodi irregularitate praemissorum occasione per eos fortasse contracta dispensandi. Ac insuper, ut iidem Archiepiscopus et Episcopi supradicti sic absoluti, et cum quibus, ut praefertur, fuerit dispensatum, unusquisque in propria Civitate et Diocesi, vel in sua iurisdictione omnes et singulos tam Presbyteros et Clericos, quam alias quascumque etiam laicas utriusque sexus personas, qui quaeve ad huiusmodi unitatem S. R. E. venerint vel eam amplexi fuerint, in praedicta forma Ecclesiae absolvere, nec non cum Presbyteris et Clericis praedictis super irregularitate per eos, vel eorum aliquem occasione praemissorum quomodolibet contractam (tam) quoad Ordinum exequutionem, quam quoruncunque beneficiorum ecclesiasticorum retentio nem vel assequutionem dispensare pariformiter eadem nostra auctoritate possint, quemadmodum etiam aliis literis in forma Brevis latius continetur.

Ut igitur de Ruthenorum ad Romanam Ecclesiam reditu et reconciliatione ad posteritatis memoriam certa et perpetua extet testificatio, hac nostra perpetua constitutione Venerabiles fratres Michaelem Archiepiscopum Metropolitam et caeteros Episcopos ruthenos supradictos, qui decreto consenserunt et literis ad Nos missis subscriptserunt, tam praesentes, quam absentes, una cum omni eorum Clero et populo Nationis Ruthenae seu Russae, quae ad temporale dominium et ditionem charissimi filii nostri Sigismundi Poloniae et Sueciae Regis pertinet, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, ad incrementum et exaltationem Fidei Christianae intra gremium Ecclesiae Catholicae et unitatem S. R. E. uti membra nostra in Christo recipimus, unimus, adiungimus, anneximus et incorporamus, atque ad maiorem charitatis nostrae erga ipsos significacionem omnes sacros ritus et caeremonias, quibus rutheni Episcopi et Clerus

iuxta sanctorum Patrum Graecorum instituta in Divinis Officiis et sacro-sanctae Missae sacrificio, caeterorumque Sacramentorum administratione aliisve sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae Fidei Catholicae non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, eisdem ruthenis Episcopis et Clero ex Apostolica benignitate permittimus, concedimus et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Omnes igitur unanimes uno spiritu benedicamus Deum coeli et Patrem misericordiarum, qui facit mirabilia magna solus a saeculo, qui corda filiorum ad patrem convertit, oves Christi ad ovile reduxit, membra capiti iterum conglutinavit. Benedictus Deus, qui semper cogitat cogitationes pacis, et vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Benedicti sint fratres nostri Michael Archiepiscopus Metropolita et Coepiscopi eius rutheni, qui aures suas non obturaverunt ad voces Domini, sed illi ad ostium cordis stanti et pulsanti aperuerunt, per ipsius gratiam, qui dat velle et perficere pro bona voluntate. Det illis Deus abundantiam caelestium donorum, et conservet et corroboret in hoc sancto proposito cum omni Clero et fidi populo, ut permaneant in charitate et obedientia S. R. E. Matris suae, ut agnoscant et perpetuo confiteantur magnitudinem divinae misericordiae erga ipsos, et ambulent in via Domini, conservantes unitatem spiritus in vinculo pacis nobiscum ut filii nostri dilecti, quos singulari nostro cum gaudio suscepimus in Domino. Ita Christus Dominus pro sua immensa clementia Ruthenorum exemplo Graecos omnes ab Orthodoxae Fidei tramite aberrantes, qui eos in erroribus sequuntur, permoveat, qui Ruthenis ipsis in hac reconciliatione praeire debuerant, qui tamdiu duplice gravissimo iugo animae et corporis premuntur, quorum calamitatem dies et noctes lugemus, et ut ipsi sectentur unitatem et pacem, ac erroribus et tenebris reiectis, amplectantur veritatem et lucem et revertantur ad Nos, qui intra cor nostrum in visceribus Iesu Christi eos recipere optamus, ut in omnibus glorificetur Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, et fiat unum ovile et unus Pastor. Amen.

Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae iisdem praesentibus haberentur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae receptionis, unionis, adiunctionis, annexionis, incorporationis, permissionis, concessionis et indulti infringere etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae MCXCV, decimo Kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

133.

Romae, 30 . XII . 1595

Clemens VIII Sigismundum de conclusa Unione Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Romana deque professione fidei ab Episcopis ruthenis praestata certiorem facit.

ASV, *Epist. ad Principes*, vol. 27, fol. 366v-367r.

THEINER A., *Vet., Mon. Poloniae et Lituaniae*, vol. III, p. 232, nr. 184.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae
et Sueciae Regi Illustri

CLEMENS PAPA VIII-us. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magnum divinae misericordiae fructum cepimus sabato die vigesima tertia huius mensis Decembris, quae duplice ieiunio, quattuor anni temporum et vigilia Natalis Christi Domini insignis erat. Etenim sacrum et amplissimum Collegium fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium convocavimus et multis praeterea Episcopis, et Prelatis, viris domesticis praesentibus, publice admisimus duos Venerabiles fratres Episcopos ruthenos, Hypatium et Cyrillum, qui suo et Metropolitani sui, ac coepiscoporum provincialium nomine, suppliciter a nobis petierunt, ut eos ad unitatem Ecclesiae Catholicae Romanae receperimus. Itaque cum fidem catholicam rite professi essent, et nobis qui beati Petri locum et sedem, quamvis immeriti, tenemus, debitam obedientiam praestiterunt, omnia denique recte, et ordine acta essent, ipsos praesentes, et caeteros absentes, in spiritu caritatis, et Unionis Sanctae complexi sumus, ad Dei laudem, et gloriam et Ecclesiae Sanctae exaltationem fideique catholicae incrementum. Haec autem omnia copiosius exponit Maiestati Tuae Venerabilis frater Episcopus Sancti Severi, Nuntius noster Apostolicus. Nos interea, fili carissime, gaudium nostrum tecum communicamus, tibique gratulamur, qui eosdem ruthenos Episcopos, et totum hoc plium, et salutare negotium magno pietatis affectu, nobis per literas commendasti. Nihil nobis iucundius, nihil optatius est, quam animas in Christo luerari, et illius aberrantes oves, quae nobis sunt creditae, ad ovile reducere, eius gratia celesti adiutrice, in qua confidimus, quod his seminibus incrementum dabit, et alios in tenebris degentes excitabit, et sua luce perfundet, ut nostrum et tuum, et bonorum omnium gaudium, ob multorum conversionem, tanto cumulatius sit, et vehementius augeatur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXX Decembris MDXCV, Pontificatus Nostri Anno quarto.

134.

Romae, 7. II . 1596

Mandatum Clementis VIII, ut solvantur 2000 scuta monetae, pro expensis redditus Episcoporum ruthenorum in patriam.

ARCHIVIO DI STATO DI ROMA, *Fondo Camerale*, VII: *Registri dei Mandati Camerali*, vol. 945 (1594-96), f. 84r.

Per li Vescovi Rutheni per le spese del viaggio
a retornarsene alli loro Vescovati

Mons. Cesi etc. ordinarete a Giuseppe Giustiniani, nostro Depositario generale, che paghi a Luca Dottorio¹⁷², maestro di casa di Vescovi rutheni,

¹⁷² Lucas Doctorius (Doktorowicz), qui missus est a Nuntio Poloniae Romam cum Legatis ruthenis prout eorum interpres.

o a chi per esso ordinara scudi mille d'oro et mille moneta, quali facciamo pagarli per darli alli Vescovi rutheni per le spese del viaggio a retornare alli loro Vescovati, et così pagati vogliamo dalla Nostra Camera Apostolica, quali siano accettati et fatti buoni alli conti della Depositeria Generale etc.

Del mio Palazzo Apostolico questo dì 7 di febrero 1596

CLEMENS PP. VIII

Fu dato l'ordine di Mons. Thesoriere a dì detto.

135.

Romae, 7. II . 1596

Clemens VIII Regi Poloniae Episcopos Roma revertentes et res Ruthenorum nec non Synodum congregandam commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, f. 36v-37v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 41r.-43r.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 252, nr. 188a.

Carissimo in Christo filio Nostro Sigismundo Poloniae
et Sueciae Regi Illustri

CLEMENS VIII-us. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gaudium nostrum de Ruthenis ad huius sanctae catholicae et Apostolicae Ecclesiae receptis, iam alteris nostris litteris Maiestati Tuae communicavimus, et revera dignum est, tam pium et salutare negotium, quod nos et tu, fili, et boni omnes, spirituali in Domino laetitia, et gratulatione prosequantur, cum ex hac sancta unione plurima ad Dei gloriam et animarum illarum utilitatem bona sint promanatura, spiritu sancto auctore, qui est fons bonitatis et caritatis, te quoque adiutore, ut iam praecclare facere incoepisti, ex tua pietate, et zelo. Itaque cum Venerabiles fratres Hypatius et Cyrillus episcopi, qui ad nos ab eorum Metropolitano et Coepiscopis rutheni missi sunt, viri prudentes et pii iam rebus per Dei gratiam ex sententia confectis, in Poloniam, et Russiam nostra cum benedictione revertantur, placuit iterum ad te litteras dare, quas multo sane cum affectu scribimus, ut totam hanc ruthenicam causam, quam tua sponte, Dei instinctu, complexus es, nostro etiam intuitu adhuc multo magis habeas commendatam.

Ut autem quae Romae acta sunt, a duobus supradictis Episcopis, tam suo ipsorum, quam Archiepiscopi, et aliorum Episcoporum nomine, isthic quoque omni ex parte absolvantur, fide nimirum catholica profitenda, et obedientia quae nobis, et huic Sanctae Apostolicae Sedi debetur praestanda, atque ut haec saluberrima unio, Deo qui caepit incrementum dante, tanto firmius coalescat, ob eam causam scribimus ad eundem fratrem nostrum Archiepiscopum, et metropolitam Ruthenorum, ut Episcoporum suorum Synodum convocet, et omnia rite exequantur, in qua quidem Synodo aliquos item latinos Episcopos interesse, expedire censuimus, et nominatim Archie-

piscopum Leopolis, et duos Episcopos Luceoriensem, et chelmensem, quibus etiam ea de re scripsimus, quorum pietatem et prudentiam in eo conventu usui fore, atque ex ea communione, fraternalae caritatis vinculum inter eos arctius constringi posse confidimus. Huic igitur Synodo congregandae, et celebrandae Maiestas Tua pie, ut solet, favebit, curabitque ut ruthenici ritus homines ad eam frequentes convenient.

Et quia audimus fructus Ecclesiarum illarum, multis alienationibus valde esse attenuatos, ita ut non solum Episcopi ipsi decenterque sustentari non satis queant, sed multa praeterea incommoda consequantur, dum sacrarum aedium sacra tecta curari, et verbi Dei idonei concessionatores, et Scholarum magistri, et caetera eiusmodi adhiberi nequeunt, propterea ruthenorum Episcoporum Ecclesias earumque bona, census, et proventus tibi magnopere commendamus, et te favente et auxiliante, non modo quae adhuc extant, conserventur, sed etiam illa quae alienata sunt, etiam regia confirmatione interposita, gravi cum Ecclesiarum detimento, quantum fieri poterit ex iustitiae praescripto recuperentur.

Tum generatim Maiestatem Tuam paterne hortamur, ut capita et articulos a ruthenis Episcopis oblatis, iis in rebus, quae ad te praecipue pertinent, pro tua aequitate, et animi magnitudine sedulo exequaris, iubebisque ut tui item diligenter pro sui muneris officio exequantur, quemadmodum iam te benigne pollicitum esse accepimus.

Sed unum illud est, quod a tua regali magnificentia pro fratribus nostris Episcopis ruthenis omni studio expetimus, et requirimus, ut eos scilicet, inter Senatores ecclesiasticos Regni Poloniae admittas, et recipias, quamdiu tamen in unitate, et obedientia Romanae Ecclesiae permanserint, et fidei catholicae integritatem retinuerint, ex cuius loci amplitudine et ipsi apud populum maiorem splendorem illorum Ecclesiae, opem efficaciorum tutelam consequentur, et haec Sancta Unio catholicae religionis, cum ad hos quoque externos honores se admitti viderint, firmiores aget radices; erunt et ipsi vicissim usui, et ornamento senatui tuo, et certe cum nos eos ad nostram huius Sanctae Sedis gratiam et communionem receperimus, et iam ut fratres nostros agnoscamus, aequissimum est, ut eodem iure, quo caeteri catholici Episcopi censeantur, et iisdem honoribus potiantur ac perfruantur. Accedit quod hoc insigni beneficio non solum Metropolitam, et episcopalem ordinem, ac clerum, sed totam nationem illam sibi peculiari quodam nexu perpetuo devincies, atque obstringes, quod quantas secum utilitates afferat, quantum ad Regni tui istius firmitatem, et incrementum pertineat, tu ipse optime intelligis, ita simul et Dei honori servies, et commodis tuis consules, quae duo, ubi quis vere, et ex animo Dei gloriam quaerit, et rebus omnibus anteponit, praecclare coniunguntur, et Dei gratia auxiliante, se mutuo consequuntur.

Quam ob rem, fili carissime, perge, ut facis, complecti omni caritate, et beneficentia ruthenos Episcopos, ut gaudium nostrum, et merita tua apud Deum augeas. Erit hoc tibi ad omnem posteritatem gloriosum, quod tua auctoritate, opera, consilio, adiumento Rutheni ad viam salutis, et unitatem Ecclesiae catholicae redierint, et ad fidei catholicae propagationem, ut in Dei clementia speramus, ostium magnum apertum sit.

Caetera ex Venerabili Fratre Episcopo Sancti Severi, Nuntio nostro Apostolico, Maiestas Tua copiosius intelliget, cui de more fidem habebit cumulatam.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii MDXCVI, Pontificatus Nostri Anno quarto.

136.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VIII Cardinali Georgio Radivilio Episcopos ruthenos inter Senatores Regni promovendos commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 28v-39.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 43rv.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 253, nr. 188b.

Dilecto filio nostro Georgio tibuli Sixti praesbitero
Cardinali Radivilo nuncupato¹⁷³.

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilekte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Salutari negotio reversionis Ruthenorum ad communionem et obedientiam huius sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matris, et magistrae, feliciter quantum ad nos pertinebat, absoluto, dimisimus cum benedictione nostra Venerabiles Fratres Hypatium et Cyrillum, Episcopos, qui eius rei causa missi ad nos fuerunt, quos et venientes, et hic commorantes, et recedentes, omni cum humanitate tractavimus. Cupimus enim et Episcopos, et clerum, et nationem illam perfectae caritatis glutine coniungi nobiscum et cum Ecclesia catholica. Quare etiam optamus eosdem ruthenos Episcopos non solum ut fratres nostros agnoscí, quibus caeteri polonici Episcopi fruuntur, et nominatim ut inter Senatores ecclesiasticos numerentur, quandiu in fide catholica, et debita Romanae Ecclesiae obedientia permanserit. Qua de re ad carissimum filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem accurate scripsimus (f. 43v); id enim ad sanctae huius unitatis conservationem, ad fidei catholicae incrementum, et ad Regni quoque istius utilitatem pertinere arbitramur, quod tu, fili, pro tua prudentia optime intelligis. Tu ergo, qui membra illa olim divulsa, suo capiti adhaerere optasti, et ut id fieret pro tua virili procurasti, et nunc gaudes gaudium nostrum in Domino, tu idem pro tua auctoritate, et gratia hoc cura, ut rutheni Episcopi in Senatum istum ea, quam diximus, lege admittantur, quod tua pietate dignum erit, et nobis valde gratum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

¹⁷³ Cfr. notam 168.

137.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VII congratulatur cum Archiepiscopo Gnesnensi de receptione Ruthenorum eosque Primi polono commendat, in specie ut reciperentur inter Senatores Regni Poloniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 39-40.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 43v-44v.

THEINER A., *op. cit.*, p. 253-4, nr. 188c.

Venerabili fratri Stanislao, Archiepiscopo Gnesnensi¹⁷⁴.

CLEMENS PP. VIIIs. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magnae laetitiae materiam praebet merito bonis omnibus ruthenorum Episcoporum ad Romanam catholicam Ecclesiam reversio. Per suos enim oratores Hypatium et Cyrilum, Episcopos, huius Sanctae Apostolicae Sedis summam auctoritatem agnoverunt, et nobis, qui licet meritis impares, in eadem Sede Ecclesiae universalis praesidemus, debitam obedientiam reddiderunt, et veteribus erroribus reiectis fidem catholicam ex formula praescripta (f. 44) rite professi sunt. Speramus autem quod Venerabilis frater Michael eorum Metropolitanus, et caeteri eius Coepiscopi omnia quae ab eorum oratoribus, et ipsorum nomine hic sunt acta, rata, ut par est, habebunt, et hanc cum suo capite, post tam diuturnam divulsionem, novam adglutinationem, quo nihil illis salutarius perpetuo, Deo auxiliante, retinebunt. Nos certe erga eorum oratores et ipsos quoque absentes, quantum cum Domino potuimus, nullas humanitatis, et paternae caritatis partes praetermisimus, ut eos quam arctissime cum hac eorum ac fidelium omnium, matre carissima adstringamus, qua etiam ex causa valde cupimus, ut eorumdem Episcoporum desiderio satisfiat, a carissimo filio nostro Sigismundo Rege, cui etiam de eo efficaciter scripsimus, nimirum ut eos in senatum recipiat, quandiu tamen et fidem catholicam, et integritatem, et obedientiam erga hanc sanctam sedem conservaverint. Quia vero Fraternitas Tua isto loco auctoritate, et gratia ad eam obtinendam multum omnino adiumenti afferre potest, tibi propterea ruthenos Episcopos magnopere tum in rebus ceteris, tum in hac potissimum senatoria causa commendamus. Te praecipue decet Episcopos tueri, et hos maxime, ut intelligent, se, qui gratiam et communionem Apostolicae Sedis sunt consecuti, ut (f. 44v) fratres in Christo a fratribus nostris agnoscet, et iisdem ornamenti, atque honoribus frui, quo illi fruuntur, quod nobis erit valde gratum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die septima Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

¹⁷⁴ Stanislaus Karnkowski (1581-1603).

138.

Rome, 7 . II . 1596

Pontifex Maximus congratulatur cum duce Radziwill de Unione Ruthenorum petitque ut auctoritatem suam interponat pro receptione Episcoporum ruthenorū in Senatum Regni.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 49rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 44v-45v.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 260, nr. 1880.

Dilecto filio, nobili viro, Nicolao Christophoro Radzivilo¹⁷⁵, Duci Oliche.

CLEMENS PP. VIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad Dei gloriae, et christiana fidei incrementum, recepimus intra gremium sanctae Romanae Ecclesiae catholicae Venerabiles fratres Michaelem Archiepiscopum, et eius Coepiscopos ruthenos, qui id a nobis suppliciter petierunt per suos Oratores, quos ad nos miserunt, Venerabiles fratres, scilicet Hypatium, et Cyrillum, Episcopos, qui procuratorio, et suo proprio nomine omnes haereses, et schismata detestati sunt, et fidei catholicae professionem rite fecerunt, et nobis, qui licet immeriti, Dei tamen dispositione ad universalis Ecclesiae gubernacula praesidemus, tamque visibili corporis Ecclesiae capiti, et Christi in terris Vicario debitam, et veram obedientiam praestiterunt, et eundem Archiepiscopum, et caeteros, a quibus missi fuerunt, haec eadem rata habituros promiserunt. Gratulamus Nobi (f. 45) litati Tuae cuius praestantem pietatem novimus, et quanto spiritualis gaudii sensu ex hoc salutari negotio movearis, plene perspicimus. Gratulamus Ecclesiae Dei, et Regno Poloniae nominatim, quod tam multae oves ad ovile Christi reductae sunt, et ad mysticum Christi corpus, quod est Ecclesia catholica, haec sunt membra adglutinata, quae ut tanto magis cohaereant glutine caritatis, omni benevolentiae significatione Episcopos, et nationem illam, quantum cum Domino licet, libenter prosequimur. Itaque cum iidem Episcopi Hypatius et Cyrillus, viri pii et prudentes, cum benedictione nostra, et multa cum paterni amoris nostri testificatione dimissi, in Russiam revertantur, scribimus diligenter ad carissimum filium nostrum Regem, ut inter Senatores Regni Archiepiscopum et Episcopos ruthenos adscribat, quandiu tamen et fidei integratatem retinuerint et in nostra et Sedis Apostolicae obedientia perseveraverint, atque hoc beneficio eorum in catholica religione constantiam et erga se voluntatem et totius nationis studium tanto magis corroboret, atque obstringat. Hortamur Nobilitatem Tuam, ut ad eam rem procurandam suam quoque gratiam et auctoritatem adiungat; aequum est, ut qui huius Sanctae Sedis communionem habent, et inter fratres nos-

¹⁷⁵ Nicolaus Christophorus Radziwill (Sierotka), nat. 1549. Ab an. 1589 Palatinus Trocensis, dein ab anno 1604 Vilnensis. Obiit anno 1616. Reliquit opus sub tit.: «*Hierosolymitana peregrinatio Ill. D. Nic. Chr. Radzivilii epistolis comprehensa*», an. 1601 Brunsberga, quod postea translatum fuit in linguam polonicam, germanicam, russicam, diversaque habuit editiones. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 21, p. 894-5.

tros Episcopos connumerantur, eadem, quae alii fratres nostri catholici (f. 45v) Episcopi honoris praerogativa in Regno tam catholico a tam pio Rege ornentur. Quidquid autem tu, fili dilekte, ad Ruthenorum commoda, et ornamenta operae et officii contuleris, erit id tua virtute dignum, et nobis valde gratum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

139.

Romae, 7 . II . 1596

Pontifex Ioanni Zamoyski Episcopos ruthenos et eorum in Senatum Regni adnumerationem commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 41rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 45v-46v.

THEINER A., *op. cit.*, III, nr. 188i.

Dilecto filio, nobili viro, Ioanni Zamoschio¹⁷⁶,
Magno Cancellario Regni Poloniae.

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commune gaudium est, cum omnes aberrantes ad ovile Christi reducuntur, sed Ruthenorum cum sancta hac Romana Ecclesia reconciliationem, et membrorum illorum ad caput suum novam conglutinationem, praecipuo quodam nomine Nobilitati Tuae gratulamus. Neque enim dubitamus, te pro tua praestanti pietate, et animi magnitudine, et huic tam salutari negotio pie suffragatum esse, et singularem ex ea re voluptatem capere, et deinceps te multis modis ad ea quae salutariter acta sunt conservanda, tua auctoritate adiumento fore. Ad laudem igitur Dei omnipotentis, et exaltationem fidei, et religionis christiana, recepimus intra gremium Ecclesiae Catholicae Venerabiles fratres Michaelem Archiepiscopum et eius Coepiscopos ruthenos (f. 46) cum omni clero, et populo nationis illius. Nam, ut Tua Nobilitas novit, venere ad nos ab eodem Metropolitano, et Episcopis missi, Venerabiles fratres Hypatius et Cirillus, Episcopi, viri graves, et pii, qui redditis litteris et mandatis expositis, suppliciter petierunt se, Episcopos, et gentem suam ad gratiam, et communionem nostram, et huius sanctae Apostolicae Sedis admitti, quod rebus omnibus perpensis, et examinatis benigne concessimus, posteaquam iidem duo Episcopi, et Oratores tam procuratorio nomine, quam proprio errores omnes et schismata detestati, catholicae fidei professionem rite fecerunt, et humilitati nostrae, tamque visibili Ecclesiae universalis capit, et Christi Domini in terris Vicario debitam obedientiam praestiterunt, et eadem omnia Metropolitanum, et Episcopos supradictos rata habituros, et confirmaturos promiserunt.

¹⁷⁶ Joannes Zamoyski, nat. 1541, Magnus Cancellarius Poloniae ab an. 1576-1605. Obiit an. 1605, die 3, Junii. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 28, p. 256-264.

Inter ceteras autem amoris nostri, et paternae caritatis significaciones erga Episcopos, et Nationem Ruthenam, hoc nominatim eorum causa a carissimo filio nostro Sigismundo Rege petivimus, ut eos inter ecclesiasticos Regni Poloniae Senatores adscribat, atque adnumeret, quandiu tamen in fide catholica, et Sanctae Romanae Ecclesiae obedientia permanserint. Ad eam vero praerogativam obtainendam quantum in tua gratia, et patrocinio positum sit, plame scimus. Quare tibi efficaciter Ruthenos commendamus; iam fratres nostri sunt, iam eiusdem corporis, et capitinis (f. 46v) membra. Aequum certe est, ut paribus honoribus, cum caeteris catholicis Regni Episcopis, perfruantur; multa quoque bona ex eo emanare posse, et ad catholicae religionis propagationem, et ad Regis Regnique comodum, tu optime pro tua prudenter intelligis. Quare tibi, qui ad praeclera et pia semper propensum te ostendis, Ruthenos generatim, sed in hoc senatorio negotio potissimum commendatos esse cupimus, in quo et de religionis causa bene mereberis, et nobis in primis gratum facies.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

140.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VIII Episcopos ruthenos Vicecancellario Regni commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 42rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 46v-47v.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 259, nr. 188 m.

Dilecto filio Ioanni Tarnouskio, Vicecancellario Regni Poloniae.

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Redeunt in Russiam Venerabiles fratres Hypatius, et Cyrillus, Episcopi, qui a Venerabili fratre Michaele, Metropolitano Ruthenorum, ut nosti, ceterisque illius nationis Episcopis ad Nos missi fuerant, et quidem rebus per Dei gratiam optime constitutis, illos enim tam suo proprio, quam procuratorio nomine veteres errores, et schismata detestantes, et fidem orthodoxam rite professos ad communionem nostram admisisimus, quemadmodum et absentes Episcopos cum clero, et populo in gremium sanctae catholicae Romanae Ecclesiae (f. 47) recepimus. Nos enim, quamvis meritis impares, per hos Oratores suos, ut verum Christi in terris Vicarium, et visibile totius Ecclesiae caput, agnoverunt, et nihilominus iidem oratores polliciti sunt, et promiserunt, quod eodem modo tam Archiepiscopus, quam ceteri Episcopi supradicti et fidem catholicam profitebuntur, et nobis atque Apostolice Sedi obedientiam reddent, et denique omnia, quae ab ipsis eorum Oratoribus acta sunt, comprobabunt, et confirmabunt. Ergo cum benedictione nostra dimisiimus eosdem Episcopos Hypatium, et Cyrillum, quos et hic manentes omni cum humanitate tractavimus, et abeuntes omni benevolentiae significatione prosecuti sumus. Scripsimus autem ruthenorum Episcoporum causa ad caris-

simum filium nostrum Sigismundum Regem eique illos, eorum Ecclesias, et bona accurate commendavimus, sed nominatim illud ab eo efficaciter petivimus, ut Metropolitanos et Episcopos ruthenos senatoria dignitate orname-
ntamento augeat, et inter Ecclesiasticos Regni Poloniae Senatores adnumeret, quandiu tamen in fidei catholicae integritate, et Romanae Ecclesiae uniate, atque obedientia permanserint. Et hoc quidem aequum esse arbitramur, ut qui pari cum ceteris catholicis Episcopis Sedis Apostolicae gratia, et communione gaudent, iisdem quoque honoribus Regni, et Regiae (f. 47v)
munificentiae splendoribus potiantur, quamquam autem hoc potissimum ad Dei gloriam, et catholicae religionis propagationem est referendum, multas quoque ex humana prudentia utilitates afferre posse, tu quoque facile intelligis. Tanto enim magis filius noster Rex nationem illam obtemperantem habebit, sibique hoc illustri beneficio obstringet. Quare te hortamur, ut pro tuo zelo divini honoris, et pro ea quam sustines persona, ad hanc rem obtinendam Ruthenis adiumento esse velis, quemadmodum te et ulti facturum, quae tua est pietatis, non dubitamus, et pro ea quam ageris erga Nos, et hanc Sanctam Sedem devotionem, impensis facturum confidemus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

141.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VIII Cancellario Lithuaniae Episcopos ruthenos eorumque dignitatem senatoriam illis concedendam commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 43rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 47v-48v.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 257-258, nr. 188d.

Dilecto filio Leoni, Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae¹⁷⁷

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilekte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Accepimus de te, quod in hoc salutari negotio de Ruthenis cum hac Sancta Romana Ecclesia reconciliandis, pia sedulitate prompta virili parte laboraveris. Commendamus in Domino zelum tuum, et tibi gaudium nostrum amanter communicamus, (f. 48) quod ex bono semine bonos fructus, Deo auxiliante, iam caepimus. Nam Venerabiles fratres Hypatius, et Cyrillus, Episcopi, qui a Venerabili fratre Michaele Archiepiscopo, et eius Coepiscopis ruthenis ad nos missi fuerant, ut intra gremium catholicae Ecclesiae a nobis reciperentur, omnes errores, et schismata detestati sunt, et orthodoxae fidei professionem, ex forma ab hac Sancta Sede praescripta, publice professi sunt, atque humilitati nostrae, uti summo ecclesiae universalis pastori, et Christi in terris Vicario, veram et debitam obedientiam praestiterunt.

¹⁷⁷ Sapieha Leo, nat. 1557. Ab an. 1589 Cancellarius M. D. Lithuaniae. Ab anno 1623 Palatinus Vilnensis. Obiit an. 1633 (7. VII), Vir insignis. Cfr. eius epistulam ad S. Josphat in A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, Romae 1952, p. 246-255. Enc. Powszechna, vol. 22, p. 933-34.

Atque haec omnia egerunt tam suo proprio, quam procuratorio nomine, spondentes insuper, quaecumque ab eis acta essent, cuncta Archiepiscopum ipsum cum Episcopis suis supradictis comprobatueros. Quare ad gloriam et honorem omnipotentis Dei, cui servimus in veritate, Metropolitanum et Episcopos ruthenos, cum clero, et populo ad communionem nostram, et unitatem Ecclesiae Catholicae recepimus, et cum ceteris huius mystici Christi corporis membris, suo visibili capiti adjunximus, ut iam omnes singulari Dei benignitate unum simus in Christo. Cum autem iidem Venerabiles fratres Hypatius, et Cyrillus, quos omnis paternaе benevolentiae significacione prosecuti sumus, in Russiam revertantur, hoc quoque inter cetera ad carissimum filium nostrum Sigismundum Poloniae (f. 48v) Regem Ruthenorum causa scripsimus, ut eorum Metropolitanum, et Episcopos inter Regni senatores adscribat, atque adnumeret, quandiu tamen fidem catholicam incorruptam retinuerint, et obedientiam huic Sanctae Sedi inviolate reddiderint. Tu ergo, fili, qui iam tua sponte ad Ruthenorum causam adiuvandam propensus es, age hortatu nostro, et in hoc quoque pietatis tuae partes represesta. Certe aequum est, ut qui vineculo caritatis nobiscum adstricti, unam et eandem matrem Romanam Ecclesiam cum ceteris Episcopis agnoscant, paribus honoribus perfruantur. Erit hoc tibi ad meriti cumulum, et nobis valde gratum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

142.

Romae, 7 . II . 1596

Pontifex Maximus Vicecancellario Lithuaniae Ecclesiam Ruthenam Unitam eiusque Episcopos ad senatoriam dignitatem promovendos commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 43v-44v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 48v-48v.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 258-59, nr. 188l.

Dilecto filio Gabrieli, Magni Ducatus Lithuaniae Vicecancellario.

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Singulari nostro cum gaudio, ad gloriam Dei et religionis Christianae incrementum, recepimus intra gremium huius sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris, et magistrae, Venerabiles fratres Michaelem Archiepiscopum Ruthenorum, cum eius Coepiscopis, totoque clero, et populo nationis illius, qui sub eorum pastorali cura degunt (f. 49). Miserunt enim ad nos, ut nosti, Oratores Venerabiles fratres Hypatium et Cyrillum, Episcopos, ex eorum numero, viros prudentes, et religiosos, qui tam illorum, quam suo proprio nomine veteribus erroribus, et schismate damnato, orthodoxae fidei professionem fecerunt et nobis tamquam legitimo beati Petri successor, et vero in terris Christi vicario, quamvis meritis impares simus,

debitam obedientiam praestiterunt, et haec eadem promiserunt quam primum confirmaturos Metropolitanum, et Episcopos supradictos.

Quare ut haec membra capiti suo per Dei gratiam iterum conglutinata, omni quo possumus in Domino, paternae caritatis vinculo adstringamus, inter ceteras amoris nostri erga absentes, et presentes Episcopos ruthenos significationes, placuit nominatim eos commendare quam diligentissime filio nostro carissimo Sigismundo Regi. Sed illud imprimis ab eius pietate, et magnificientia petivimus, ut Archiepiscopum et Episcopos supradictos senatoria dignitate ornet, et inter ecclesiasticos Regni Senatores adscribat, quan- diu tamen fidem catholicam conservaverint, et nobis atque huic Sanctae Sedi obedientes erunt. Ad eam rem obtinendam cupimus, ut tu, fili, pro eo, quod geris munere, te adiutorem praebeas. Vides quam id aequum sit, ut qui ad nostram gratiam, et (f. 50) communionem sunt admissi, eodem quo ceteri catholici Episcopi iure censeantur, et iisdem honorum praerogativis perfruantur. Tum omnis opera danda est, ut in sancto proposito corroborantur, et ea omnis natio novo hoc beneficio Regi suo magis sit obstricta. Non dubitamus, te ultro tam pio, et iusto negotio suffragaturum, et pro tua erga nos, et hanc Sanctam Sedem devotione tanto id propensius facturum, quod nobis certe erit gratum,

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

143.

Romae, 7 . II . 1596

Episcopi rutheni ad dignitatem senatoriam evehendi Palatino Cracoviensi commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 44v-45.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 49v-50v.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 259-60, nr. 188n.

Dilecto filio, nobili viro, Nicolao Firleyo, Palatino Cracoviensi.

CLEMENS PP. VIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad Dei gloriam et christianaे religionis exaltationem, et incrementum Venerabiles fratres Michaelem Archiepiscopum Ruthenorum, et eius Coepiscopos cum clero, et populo eiusdem nationis, intra sinum catholicae, et Apostolicae Romanae Ecclesiae, quamadmodum iam Nobilitatem Tuam audisse arbitramur, ritu solemni recepimus, et admisisimus. Illi enim Oratores suos, qui id a nobis suppliciter peterent, miserunt, Venerabiles fratres Episcopos Hypatium, et Cyrillum, prudentes (f. 50), et religiosos viros, qui suo et illorum nomine, veteribus omnibus erroribus detestatis, fidem catholicam rite professi sunt, et nobis, atque huic sanctae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matri, et magistrae veram obedientiam praestiterunt, et haec eadem omnia, eundem Archiepiscopum et Episcopos, quam primum poterunt, in suo

Conventu rata et grata habituros promiserunt. Nos ergo, qui in visceribus Jesu Christi Episcopos, et gentem Ruthenorum complectimur, cupientes ut haec membra recenter Christi corpori conglutinata, firmissima in fide, et caritate coalescant, eosque omni paternaee benevolentiae significatione prosequentes, scripsimus inter cetera carissimo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi, ut ruthenos Archiepiscopum, et Episcopos inter Ecclesiasticos Regni Senatores atque adnumeret, ut se veluti fratres nostros, et catholicos Episcopos agnoscit, et tractari intelligant, unde multa bona promanare possunt, quod tua prudentia optime perspicit. Quare te quoque valde hortamur, ut tua opera, et auctoritate ruthenis Episcopis adiumento sis ad hanc senatorialm dignitatem obtinendam, quamdiu quidem in fide catholica, et nostra, atque Apostolicae Sedis obedientia perseveraverint. Novimus quanta animi propensione, et zelo eiusmodi rebus, in quibus Dei honori, et animarum utilitati servitur, presto sis, sed nobis certe pergratum feceris, qui pro nostro pastorali officio nulla re magis quam (f. 50v) animarum lucro, in Christo Domino reficimur, et oblectamur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

144.

Romae, 7 . II . 1596

Ecclesia Ruthena Unita eiusque Episcopi, horum Episcoporum ad statum senatorium enectio, filio Duci de Ostrog commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 45-46.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 50v-51v, nr. 55.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III, p. 258, nr. 188k.

Dilecto filio, nobili viro Janusio¹⁷⁸, Duci Ostrosiae,
et Castellano Cracoviensi.

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Multis nominibus Nobilitati Tuae toto cordis affectu gratulamur in Domino, quod fratres nostri Michael Archiepiscopus Ruthenorum, et eius Coepiscopi eiusdem nationis, veteribus erroribus divina gratia ope cognitis, et reiectis, ad fidei catholicae unitatem, ac ad Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matris, et magistrae, obedientiam venerunt, et quod nobilis vir

¹⁷⁸ Janusius Ostrožskyj, filius Duci Constantini Ostrožskyj. Ex antiqua familia principum Ucrainae, quae adhuc saec. XVI immensas possessiones in Ucrainae provinciis: Volhynia et Podolia. Janusius erat primogenitus, transiit ad Ritum Latinum iam circa annum 1580. Alii sui fratres natu minores iuvenes obierunt. Pater obiit an. 1608, acerrimus adversarius Unionis Berestensis. Prout Castellanus Cracoviensis Janusius erat etiam primus Senator Regni et influxum maximum habuit in negotia Regni. Post eius mortem, an 1620, familia haec in linea masculina extincta est. Cfr. G. MYLANYK, *Constantini Senioris Ducis de Ostrog pro Unione ecclesiastica activitas*, Romae 1940 (Dissert.); Enc. Powszechna, vol. 20, p. 161-162, etc.

Palatinus Kioviensis, pater tuus, eandem fidei catholicae veritatem, ut audi-
mus, complecti statuit, spiritu sancto illius cor permoveente, et collustrante; haec mutatio dexteræ excelsi est, hoc tua fili, pietas a Dei clementia prome-
rita est, ut dupli simul gaudio cumulareris. Nos certe cum haec membra
divulsa, ad caput, et corpus per Dei gratiam adnecteremus, tanta spiritualis
voluptatis copia perfundi nos sentimus, quantam nullis verbis exprimere sa-
tis possumus. Venerabiles enim fratres Hypatium, et Cyrillum, Episcopos (f.
51), ab Archiepiscopo et ruthenis Episcopis ad nos missos, ut se ad Catholi-
cae Romanae Ecclesiae corpus adiungi, suppliciter a nobis peterent, omni
cum humanitate excepimus, et postquam fidem catholicam rite professi sunt,
et nobis, atque huic Sanctae Sedi veram obedientiam praestiterunt, et haec
quidem tam suo proprio, quam eorum qui eos miserunt procuratorio nomi-
ne, quos etiam eadem omnia quam primum in Russia confirmaturos, et ra-
ta habituros spouonderunt, nos ad Dei gloriam christianaæ fidei incremen-
tum Ruthenos ad gratiam, et communionem nostram, et sanctae Romanae Ec-
clesiae admisisimus, et recepimus.

Cupientes autem Episcopos fratres nostros, et nationem illam in fide et
caritate firmius radicari, et coalescere, praeter caetera paternae benevolentiae
nostræ erga illos indicia, hoc imprimis insigne praestitimus, ut Sigismundo
Poloniae Regi, filio nostro carissimo, eos quam diligentissime commenda-
remus, tum ab eo nominatim peteremus, ut eos inter Senatores ecclesiasticos
Regni adnumeraret, ut hoc illustri beneficio et Episcopos ipsos, et gentem
illam arctius sibi obstringeret, et ad obedientiam et unitatem catholicæ
Ecclesiae retinendam tanto efficacius permoveret. Quia vero non ignoramus
quam multis modis et possis, et velis huic Ruthenorum conversioni, et cum
Ecclesiae corpore conglutinationi [51v] conservandæ prodesse, Nobilitatem
Tuam in Domino hortamur, ut tua opera et auctoritate Archiepiscopum, et
Episcopos ruthenos, iam ut fratres, et membra nostra senatoria dignitate or-
nandos, cures, cum aliis catholicis Episcopis quando tamen et fidei integri-
tatem, et obedientiam erga hanc Sanctam Sedem retinuerint. Deus, et pater
misericordiarum, qui hoc bonum operatus est, illud confirmet, atque adau-
geat, ut tibi quem paterne diligimus, et publico, et privato nomine saepe
gratulemur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII
Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

145

Romæ, 7 . II . 1596

*Breve gratiarum actionis Episcopis ruthenis datum, quo etiam hortantur, ut
rata habeant ea omnia, quae ab Oratoribus eorum Romæ conclusa sunt, in
Synodo provinciali convocanda.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 46-49v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 51v-55r, nr. 56.

THEINER A., *Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III, p. 250-2, nr. 197.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Metropolitae, Kioviensi, et Haliciensi, ac totius Russiae, et Gregorio nominato Archiepiscopo, electo Episcopo Polocensi, Vitebsensi, et Joanni electo Episcopo Pinsensi, et Turoviensi, et Michaeli Episcopo Premisliensi, et Samboriensi, et Gedeoni, Episcopo Leopoliensi, et Dionysio Episcopo Chelmensi, nationis Russorum, seu Ruthenorum.

CLEMENS PP. VIII. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Benedictus sit pastor ille bonus et princeps pastorum, qui animam suam posuit pro ovibus suis, qui venit, ut eas dispersas [52] adduceret, et congregaret, ut omnes unum sint, sicut ipse et pater unum sunt; benedictus sit ipse, qui dives est in misericordia, et secundum divitias bonitatis suae fecit vobiscum, et replevit nos gaudio spirituali propter conversionem vestram, ad hanc vestram matrem carissimam sanctam Romanam Ecclesiam, quae est magistra, et mater omnium Ecclesiarum, quae materno affectu iam pridem hoc expectabat, et assidue precabatur a patre luminum, qui dat spiritum bonum, et sapientiam his, qui invocant eum in veritate. Deus enim ipse caelesti sua luce corda vestra collustravit, ut veterum errorum tenebris disiectis, agnosceretis, quia unus est Deus, et una fides, et una Ecclesia Catholica, et Apostolica supra unum Petrum Apostolorum Principem fundata, cui Christus ipse, qui portat omnia verbo virtutis suae, immobilis petrae firmitatem dedit, cui oves suas, et agnos creditit, iussitque ei, ut ipse confirmaret fratres suos Episcopos, qui in partem sollicitudinis vocantur, et veluti caput omnia membra regeret; unum est enim visible caput Ecclesiae Catholicae, unus in terris Vicarius aeterni Sacerdotis, et Episcopi animarum nostrarum Jesu Christi, summus Romanus Pontifex, beatissimi Petri Apostoli successor, cui qui non adhaeret, longe a via salutis aberrat, et qui cum eo non collegit, dispergit. Recete igitur, fratres, et pie, ac prudenter spiritu sancto auctore statuistis, venire ad montem Domini, et ad Domum Dei Jacob, ut doceret vos vias suas, et ambularetis in semitis eius. Misistis enim ad nos Oratores (52v) vestros, pios, et religiosos homines, et Dei zelo praeditos, Venerabiles fratres Hypatium Vuladimiriensem, et Brestensem, et Cyrillum Luceoriensem, et Ostroviensem Episcopos, qui litteras vestras nobis reddiderunt, quibus significatis, cupere vos vehementer corpori Christi, quod est Ecclesia Catholica, adglutinari, et ad nostram, et Romanae Ecclesiae communionem admitti, quemadmodum olim maiores vestri in sacra generali synodo Florentina admissi sunt, ac propterea vos iisdem Episcopis, et procuratoribus vestris mandata dedisse, ut vestro, et eorum proprio, totiusque cleri, et populi nationis vestrae nomine huic sanctae sedi, et humilitati nostrae, uti summo pastori Ecclesiae Christi debitam obedientiam deferrent. Nos igitur, qui pro nostro pastorali officio, nihil aliud quaerimus, quam animas Christo lucrari, et fidem catholicam propagare, eosdem vestros Coepiscopos, tanquam Nuntios pacis omni cum humanitate excepimus, idque tanto impensius, quod carissimus filius noster Sigismundus Poloniae, et Sueciae Rex, de vestra salutari deliberatione ad nos scripsit, totumque hoc conversionis vestrae et membrorum ad caput conglutinationis plium negocium accurate commendaverat, quod nonnulli item Venerabiles fratres nostri poloni Episcopi fecerunt. Quare petitionibus, et oblationi-

bus vestris consideratis, quas iidem Episcopi, et procuratores vestri detulerunt, et omnibus gravi, et prudenti consultatione examinatis, et deliberatis, tandem ad laudem, et gloriam Dei Omnipotentis, ad sanctae [53] Ecclesiae exaltationem, et fidei catholicae incrementum statuimus vos, et clerum, populumque vestrum intra Ecclesiae Catholicae gremium recipere, et ad nostram, et sanctae Romanae Ecclesiae Unionem admittere. Quod ut ritum magis solemni fieret, certo praestituto die, qui fuit tertius, et vigesimus proximi mensis Decembris, sacro quatuor temporum anni ieunio, et Vigilia Natalis Domini insignis, Venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales totumque sacrum, et amplissimum Collegium convocavimus, quibus nobiscum considentibus, multis etiam praesentibus Praelatis, et viris honoratis Aulae Romanae, duos Episcopos et Oratores vestros introduci, vestrasque litteras, et decretum de Unione cum Romana Ecclesia petenda, et obedientia nobis uti capiti, et summo Ecclesiae pastori praebenda, clara voce legi iussimus, primum rutheno vestro sermone, deinde latino; mox iidem Episcopi duo catholicae fidei professionem de scripto fecerunt, tam suo quam vestro nomine omnesque hereses, et schismata, et errores detestati sunt, et eos prasertim, qui vos hactenus a Sancta Romana Catholica Ecclesia separarunt, et disiunixerunt, et nobis, qui licet indigni, et meritis impares, Deo tamen ita disponente, beati Petri locum, et auctoritatem tenemus, successoribusque nostris, et sanctae huic Apostolicae Sedi perpetuam obedientiam praestiterunt, quam nos una cum iisdem fratribus nostris Cardinalibus accepimus, et duos Episcopos Oratores vestros, et te frater Archiepiscope, et vos omnes Episcopos, corpore quidem absentes, sed spiritu presentes, uti fratres et membra nostra una cum clero, et populo vestro [53v] complexi sumus, caritate sincera, in visceribus intimis Iesu Christi, tanto nostro cum gaudio, et omnium, qui aderant, quantum ne cogitatione quidem facile quamquam aestimare, ne dum verbis exprimere satis licet. Ergo in aeternum benedicta sit sancta, et individua Trinitas, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Fratres vero nostros Hypatium, et Cyrillum, Episcopos, Praelatos nostros domesticos et Assistentes fecimus, qui saepius nobiscum interfuerunt ad sacram et tremendum sacrificium, et solempnes divinorum officiorum functiones, et precipue in Basilica religiosissima ad venerandum corpus Principis Apostolorum, ut verae unionis, et communicationis in Christo manifesta signa extarent, eosdem autem, cum opus fuit, benigne ad nos privatum etiam admisisimus, et dum hic fuerunt omni cum humanitate tractari iussimus, et descendentes, omni erga vos, et illos benevolentiae significatione prosecuti sumus. Quae enim expetere visi sunt, libenter, quantum cum Domino licuit, concessimus, ritus enim et ceremonias vestras, quae fidei catholicae integritatem, et mutuam nostram coniunctionem nequaquam impediunt, eadem ratione, et modo, quo a Concilio Florentino permisum est, et nos quoque vos retinere permisimus. Sigismundo Regi, filio nostro carissimo, vos, et ecclesias vestras, earumque bona efficaciter commendavimus, atque ab eo petivimus, ut non solum vos, et vestra sua ope, et auctoritate tueatur, sed etiam ut vos omnes, et amplificet, et senatoribus Regni adscribat, quamdiu in Ecclesiae Romanae obedientia [54], et fidei catholicae integritate permanseritis, quod Deo auxiliante, perpetuo fore speramus. Quo de negotio scripsimus etiam dili-

genter ad complures Regni Senatores ecclesiasticos, et saeculares, denique quantum cum Domino potuimus dedimus operam, ut viscera nostra paterna Episcopi ipsi Oratores, et Collegae vestri, qui visitatis de more beatorum Apostolorum Petri, et Pauli Iiminiibus, et caeteris almae huius Urbis Basilicis, et sanctorum Martyrum reliquiis pro cultu veneratis, ad vos cum nostra benedictione revertuntur, quorum zelum et prudentiam, et in agendo sedulitatem in Domino commendamus.

Reliquum nunc est, ut vos quae Romae acta sunt a procuratoribus vestris, eadem animi alacritate, et sinceritate rata habeatis, et confirmetis. Eius rei causa volumus, ut tu frater Archiepiscope, nostra etiam auctoritate suffultus, synodum provinciale indicas, et Episcopos tuos convokes, ut singuli profiteamini in publico conventu fidem catholicam ex eadem formula integre, quemadmodum Episcopi duo Oratores vestri hic professi sunt. Haec enim fidei professio, quam S. R. E. docet, fides est Petri, et Apostolorum, fides est Patrum, et orthodoxorum, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Tum eodem modo nobis, et huic Sanctae Apostolicae Sedi veram obedientiam [f 4v] spondebitis. Et de his omnibus, quae a vobis in Synodo acta erunt, litteras ad nos dabitis, rite conscriptas, et publica auctoritate communitas, ut ad perfectae conversionis vestrae, ad Ecclesiam Catholicam Romanam aggregationis, et unionis testificationem, et ad memoriam posteritatis perpetuam, in nostris Archivis, et Tabulariis conserventur. Scripsimus autem et ad latinos Episcopos, fratres nostros, Archiepiscopum Leopolis, et Episcopos Luceoriensem, et Chelmensem, ut in eadem Synodo vestra interesse velint, ut haec inter fratres unio tanto profundiores caritatis radices agat, et tanto firmius in Domino coalescat

Agite fratres, confitemini Deo Caeli et coram omnibus viventibus date gloriam nomini eius, qui facit mirabilia magna solus, qui vos in viam pacis, et salutis direxit, et vos nobiscum coniunxit, et statuit supra petram pedes vestros, ut non essetis veluti parvuli fluctuantes omni vento doctrinae, sed ut viri perfecti in plenitudine Christi, stabiles essetis in fide, et nobiscum una ambularetis in Domo Dei cum consensu. Conservate hanc mentem, fratres, conservate pacem, et caritatem, quae est vinculum perfectionis, conserve sanctam humilitatem, quae diaboli machinas prosternit, et Domino summopere placet, qui dixit: discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Pascite gregem vestram verbo, et exemplo, et (f. 55) docete eum viam bonam, et obedientiam erga Apostolicam Sedem, et Romanam Ecclesiam, ut cum eo ad gaudia aeterna perveniatis.

Postremo orate pro nobis, ut gravissimum hoc pastoralis officii onus in hac temporum acerbitate ipso adiuvante, qui dat omnem sufficientiam, et infirmum corroborat, ad eius gloriam fortiter sustineamus.

Gratia Dei sit vobiscum fratres, quibus nostram Apostolicam benedictionem amantissime impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

146.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VIII Episcopos ruthenos et eorum negotia Episcopo Leopoliensi commendat, eumque invitat et hortatur, ut in Synodo convocanda nomine Sedis Apostolicae praesideat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 49v-50v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 55r-56v, nr. 57.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lituaniae*, t. III, p. 254, nr. 188d.

Venerabili fratri Joanni Demetrio¹⁷⁹, Archiepiscopo Leopoliensi.

CLEMENS PP. VIII-us. Venerablis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

In hac temporum acerbitate, in qua tam crebrae existunt dolendi causae iis, qui zelum Dei habent, non cessat pater misericordiarum Deus spiritalis gaudii materiam praebere Ecclesiae suae Sanctae, et nos consolari in omni tribulatione nostra. Ecce enim, Venerabiles fratres nostri, Michaelis Archiepiscopi Ruthenorum et Coepiscoporum eius, ut Fraternitati Tuae notum est, corda tetigit Deus, et tenebras disiecit, et spiritum salutaris compunctionis immisit, ut quaererent viam bonam, et redirent longo tamen [f. 55v] intervallo ad suam, et omnium fidelium matrem, et magistrum Romanam Ecclesiam. Nam suos oratores, et procuratores ad nos, et Apostolicam Sedem misserunt, cum litteris, et mandatis, Venerabiles fratres Hypatium, et Cyrillum, Episcopos, qui suo et Coepiscoporum nomine suppliciter petierunt, admitti se ad communionem, et unitatem Ecclesiae catholicae, quae sub uno visibili capite, summo Romano Pontifice toto orbe terrarum diffusa est, extra quam Ecclesiam nulla est salus.

Nos igitur, qui nihil aliud quaerimus, aut vehementius optamus, quam oves dispersas congregare, et ad ovile Christi perducere, eisdem Episcopis et Oratoribus suo, et aliorum nomine, fidem catholicam rite coram nobis, et fratribus nostris Cardinalibus professis, et veram obedientiam spondentibus, ac praestantibus, nobis licet immeritis, uti legitimo tamen beati Petri successori, et Christi in terris Vicario, paternae caritatis sinum aperuimus, et tam ipsos praesentes, quam caetereos, a quibus missi erant, absentes ad communionem et unitatem Ecclesiae Catholicae admisisimus, et recepimus, ea lege ut idem Archiepiscopus, et caeteri Episcopi quae hic coram nobis ab eorum procuratoribus, duobus Episcopis, ipsorum etiam nomine, acta sunt, comprobent, et rata habeant, [f. 56] fidemque catholicam ex eadem praescripta formula profiteantur, et nobis, ac Romanis Pontificibus successoribus nostris veram obedientiam spondeant, et iurent, quemadmodum eos rite facturos, procuratores dicti promiserunt.

Huius rei causa iniunximus eidem fratri nostro Michaeli Metropolitae, ut Synodus Episcoporum suorum indicet, et convocet, atque haec quae tanti

¹⁷⁹ Joannes Demetrius Solikowski (1582-1603).

momenti sunt, atque ad ipsum totiusque cleri, et populi ruthenici salutem adeo sunt necessaria, sedulo, et quam primum exequatur, quae ut recte et ordine tanto magis fiant, et ut inter latinos, et ruthenos Episcopos fraterna caritas firmius in Domino coalescat, existimavimus expedire, ut tu frater in primis, aliquique praeterea Episcopi duo, Luceoriensis et Chelmensis, ad quos etiam scripsimus, eidem provinciali synodo intersint.

Quare Fraternitatem Tuam hortamur, ut quod commodo tuo facere possis, huius pii muneric officio fungaris, ruthenosque Episcopos tuo aspectu recrees, et opera iuves, quos tibi etiam in universum valde commendamus, nominatim vero, ut eorum desiderio tua auctoritate faveas, nimirum ut inter senatores Regni et ipsi quoque adnumerentur, quo certe loco, et honore digni habendi sunt, posteaquam Ecclesiae Catholicae corpori iterum inserti, et membra nostra effecti sunt, de quo item scribimus ad carissimum [f. 56v] filium nostrum Regem, ut eos hoc ornamento augeat, quandiu quidem permanserint in fide, et obedientia Romanae Ecclesiae.

Quod reliquum est, frater, da operam, ut facias, ut gregem tibi creditum, ad caelestia pascua, Dei adiutrice gratia, perducas. Ora etiam pro nobis, qui te paterne amamus, et virtutem, ac pietatem tuam plurimi facimus, ut his difficillimis temporibus onus nostrae pontificalis sollicitudinis gravissimum ad Dei gloriam perferamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

147.

Romae, 7 . II . 1596

Bernardo Episcopo Luceoriensi Sedes Apostolica commendat, ut Synodo Ruthenorum congregandae participaret resque Ecclesiae et Episcoporum ruthenorum, praesertim negotium senatorium promoveret.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 50v-51v.

ASV, *Armarium* 44 ,vol. 56v-57v, nr. 58.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III, p. 256-7, nr. 188h .

Venerabili fratri Bernardo¹⁸⁰, Episcopo Luceoriensi.

CLEMENS PP. VIII-us. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanta portio ad Fraternitatem Tuam pertineat huius gaudii quo nunc in Domino fruimur, de ruthenorum Episcoporum ad Romanam Catholicam Ecclesiam conversione, plane scimus, et pietatem tuam saepe nobis perspectam hoc etiam nomine valde in Domino commendamus; reddit tibi copiosam mercedem iustus iudex in die retributionis, qui tantopere optasti, et pro tua

¹⁸⁰ Bernardus Maciejowski, Ep. Luceoriensis ab an. 1588, dein Vilnensis et Cracoviensis ab an. 1600. Anno 1603 nominatus Cardinalis S. R. E. Obiit 19.I.1608.

virili laborasti, ut divulsa membra suo capiti iterum unirentur. Fratres nostri Hypatius, et Cyrillus, Episcopi [f. 57], qui a fratre nostro Michaele Metropolita aliisque Episcopis ruthenis ad nos, et ad hanc Sanctam Sedem oratores, et procuratores sunt missi, iam rite omnia egerunt, quae agenda hic fuerant, nam et procuratorio nomine, et proprio veteres errores, et eos maxime, qui Ruthenos ab huius Sanctae Apostolicae Sedis communione seiungebat, damnarunt, fidei professionem ex formula praescripta fecerunt, nobisque uti legitimo Christi in terris Vicario, quamquam indigni, et meritis impares sumus, debitam obedientiam praestiterunt. Postremo promiserunt Archiepiscopum, et Episcopos supradictos haec eadem quamprimum exacte, ut par est, facturos. Eam ob causam scribimus inter cetera eidem fratri nostro Archiepiscopo, ut suorum Episcoporum Synodus convocet, et qua Romae per eorum procuratores acta sunt, rata habeant, et confirment, fidei professionem emitant, et eorum subscriptione communitam ad nos transmittant, et denique omnia ritu solemni execuantur, quae eorum officii ratio postulat, ut perfecto nexu in vinculo caritatis nobiscum constringantur.

Existimavimus autem opportunum fore, ut duo, vel tres Episcopi poloni in eodem Episcoporum ruthenorū Conventu intersint, tu scilicet, et Archiepiscopus Leopolis, et Episcopus Chelmensis, ad quos etiam hac ipsa de re scripsimus; id enim ad fraternalm caritatem alendam [f. 57v] Ruthenosque catholicae Ecclesiae arctius conglutinandos pertinere arbitramur. Tum quae agenda diximus accuratius, et diligentius fient, te praesertim adiutore, qui hanc salutarem causam peculiari zelo complexus es.

Itaque pergratum nobis, si interesse potueris. Et quia fratres nostros Episcopos ruthenos iam uti membra nostra omni amoris significatione, quantum cum Domino licet, prosequi cupimus, scripsimus efficaciter ad carissimum filium nostrum Sigismundum Regem, ut eos inter Regni Senatores Ecclesiasticos adscribat, quandiu quidem in fide catholica, et nostra ac sanctae Romane Ecclesiae obedientia permanserint.

Age frater, et in hoc quoque ruthenos Episcopos adiuva, ut hoc quoque beneficio obstricti, pergant in via salutis, et in sancto proposito firmius inhaerent totaque natio illa in corde perfecto ad Dominum, et ad matrem suam Romanam Ecclesiam convertatur, quod te pio tuo zelo sponte facturum nostro hortatu impensis facturum non dubitamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

148.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VIII Episcopo Premisiensi Episcopos ruthenos eorumque negotia, et in specie senatoriale, commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 51v-52v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 58r, nr. 59.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae* vol. III, p. 256, nr. 188g.

Venerabli fratri Laurentio¹⁸¹, Episcopo Premisliensi.
CLEMENS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Reduxit Pastor bonus, et Princeps Pastorum oves aberrantes ad ovile suum, fratres nostros, videlicet Michaelem Archiepiscopum Ruthenorum, et eius Coepiscopos ad sanctam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistrum; nam quemadmodum Fraternitas Tua novit, miserunt ad nos Oratores suos, Venerabilis fratres Episcopos Hypatium et Cyrillum, prudentes et religiosos viros, qui omni cum humilitate a nobis petierunt, ut ad nostram et huius Sanctae Apostolicae Sedis gratiam, et communionem admitterentur. Quare cum veteribus erroribus condemnatis, et iis maxime quorum causa a nobis hactenus disiuncti fuere, fidei catholicae professionem, tam suo proprio, quam procuratorio nomine rite fecissent, et nostra humilitati, qui licet immeriti Christi in terris vicem gerimus, veram obedientiam detulissent, et cum eundem Archiepiscopum et collegas Episcopos, quae ab ipsis acta sunt rata, et grata habituros promisissent, nos ad Dei gloriam et fidei catholicae exaltationem, et incrementum ruthenos Episcopos cum clero et populo ad Ecclesiae unitatem recepimus, et tamquam membra ad caput univimus, et adiunximus. Quo nomine bonis omnibus et tibi frater, cuius zelum non ignoramus, nominatim gratulamur, [f. 58v]. Huc enim omnia studia, e labores referri debent, ut animas Christo lucremur.

Quare cupientes, ut iidem rutheni Episcopi, in fide, et caritate nobiscum perseverent, et Deo iuvante firmius coalescant, praeter caeteras amoris significaciones, quibus eos et praesentes, et absentes prosecuti sumus, hoc praecipue honoris, et ornamenti eis procuramus apud carissimum filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem, ut Archiepiscopus, et Episcopi rutheni inter ecclesiasticos Regni Senatores, non secus, ac caeteri catholici Episcopi numerentur, quamdiu quidem et fidem catholicam, quam professi sunt, integrum conservaverint, et in nostra atque Apostolicae Sedis debita obedientia permanserint. Ob eam causam illos quoque Fraternitati Tuae commendamus, ut opera, et auctoritate tua eos iuves, et iam ut fratres, et membra eiusdem corporis in Christo complectaris, quod pro tua pietate, et rei aequitate, et spirituali fructu, qui inde emanare potest, te ultro facturum, et pro tua in nos, et hanc Sanctam Sedem devotione propensius facturum plane confidimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

149.

Romae, 7 . II . 1596

Clemens VIII Episcopo Chelmensi res Ruthenorum unitorum commendat eique iniungit, ut Synodo Provinciali Ruthenorum participaret.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 52v-53v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 59r-60r.

THEINER A., *op. cit.* III, p. 255, nr. 188 e.

¹⁸¹ Agitur de Laurentio Goslicki, antea Episcopo Chelmensi (1587-91), dein Peremysliensi (1591-1601) et demum Posnanensi (1601-1607). Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 3, p. 677, 681.

Venerabili fratri Stanisla¹⁸², Episcopo Chelmensi.

CLEMENS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commune gaudium est, et vestrum peculiare, quod fratres nostri Michael Archiepiscopus Metropolita, et Episcopi rutheni ex veterum errorum tenebris in lucem veritatis emerserunt. Dei gratia iuvante, ex qua bona omnia promanant. Iam enim fratres nostros Hypatium, et Cyrillum, Episcopos, pios, et prudentes viros, eorum oratores, ad nos missos benigne excepimus, qui tam proprio suo quam procuratorio eorum, a quibus missi sunt, nomine, fidei catholicae professionem fecerunt, et humilitati nostrae, qui licet immeriti, beatissimi Apostolorum Principis locum et auctoritatem tenemus, veram et debitam obedientiam reddiderunt, atque haec eadem Archiepiscopum, et Coepiscopos suos facturos, et comprobatus primo quoque tempore promiserunt.

Benedictus in aeternum sit Deus, et pater misericordiarum, qui oves aberrantes ad ovile reduxit, et membra divulsa iterum capiti suo univit, atque adiunxit.

Nunc autem cum iidem duo Episcopi, et oratores Hypatius, et Cyrillus in Russiam revertantur, scribimus ad eundem Michaelem Archiepiscopum ut suorum episcoporum Synodus congreget, quae Romae a suis procuratoribus acta sunt rata habeant, et confirmant, fidem profiteantur ex eadem formula praescripta [f. 59v] et rite subscriptam ad perpetuam rei testificationem ad nos transmittant, obedientiam nobis, et huic Sanctae Sedi praestent, et caetera, quae tanti negotii ratio postulat, sedulo exequantur. In ea vero Synodo aliquos ex fratribus etiam nostris polonis Episcopos interesse sane utile fore existimamus, ut Ruthenae Nationis Episcopi hoc adiumento corroborarentur in fide, omnia cum maiori cura et dignitate fiant, et mutuum fraternae caritatis vinculum validius adstringatur; delegimus autem Fraternitatem Tuam propter tuam pietatem, et prudentiam, ut in eadem Synodo intersis una cum fratribus nostris Joanne Demetrio Archiepiscopo Leopolis, et Bernardo Episcopo Luceoriensi, ad quos item hac ipsa de re scripsimus.

Et quia viscera nostra paterna multis in rebus ostendimus ruthenis Episcopis, tam his qui ad nos venere, quam eorum Archiepiscopo, et Coepiscopis absentibus, illud praecipue ad eos ornandos, atque ut haec membra recenter corpori conglutinata firmiter coalescant, apud carissimum filium nostrum Sigismundum Regem vestrum per litteras procuramus, ut scilicet inter Ecclesiasticos Senatores Regni rutheni etiam Episcopi connumerentur, et quando nostram, et Apostolicae Sedis gratiam, et communionem sunt consecuti, quamdiu quidem in eiusdem sedis obedientia permanserint, eodem quo caeteri Episcopi catholici iure, et honoribus [f. 60] perfruantur. Erit nobis gratum, si tu quoque ad hoc ornamentum consequendum eos tua opera, et auctoritate adiueris quod nationi illi magis obstringenda, et fidei propagationi usui

¹⁸² Episcopus Chelmensis Latinorum erat Stanislaus II Jelita Gomolinski (1591-1600), translatus ad Sedem Luceoriensem (1600-1604), in qua obiit. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 651.

fore, Deo auxiliante, confidimus. Optamus te frater in tuo pastorali officio prospere agere, et de mutiplici animarum lucro in Domino gaudere.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostrī Anno quarto.

150.

Romae, 7 . II . 1596

Episcopi rutheni eorumque negotium senatoriale Episcopo Cuiaviensi commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 28, fol. 53v-54v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 40, fol. 60r-61r.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 255-6, nr. 188f.

Venerabili fratri Hieronymo¹⁸³, Episcopo Cuiaviensi.

CLEMENS PP. VIIIIs. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Misericordia Domini plena est terra, et miserationes eius super omnia opera eius. Ecce enim Deus noster tenebras convertit in lucem, et eos qui longe erant prope ad nos adduxit, ut sint unum nobiscum in fide, et caritate. Etenim, ut novit Fraternitas Tua, fratres nostri Michael Archiepiscopus, et eius Coepiscopi rutheni miserunt ad nos oratores suos, praestantes viros Hypatium, et Cyrillum, Episcopos, qui supplices a nobis petiere, ut eos ad gratiam, et communionem nostram, et huius Sanctae Apostolicae Sedis admitteremus. Se enim omnes veteres errores abiicere, Romanam (f. 60v) Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistrum, agnoscere, paratos se esse fidem catholicam profiteri, nobis debitam obedientiam praestare, et summam Romani Pontificis in Ecclesia universalis potestatem aperte confiteri. Quae cum omnia publice, ac rite essent executi, tam suo, quam procuratorio nomine Archiepiscopi, et collegarum suorum, et insuper promisissent, illos pariter quaecumque ab ipsis Romae acta essent, eodem modo in Russia rata habituros, et confirmaturos, nos vicissim, qui, licet immeriti, illius locum in terris tenemus, qui venit procurare, et salvum facere quod perierat, viscera paternae dilectionis illis aperuimus, et intra sinum Romanae Catholicae Ecclesiae illos recepimus, et admisisimus, et omni amoris significatione prosecuti sumus. Haec enim membra olim divulsa, nunc per Dei gratia suo capiti conglutinata, quam arctissime nobiscum coniungi optamus.

Quamobrem tibi etiam magnopere commendamus ruthenos Episcopos, ut eos omnibus in rebus quibus poteris, poteris autem pro tua acutoritate, et zelo sane plurimis, adiuves ac foveas. Nominatim vero in eo operam tuam adhibeas, ut inter Regni senatores connumerentur, quamdiu tamen fidem catholicam inviolatam servaverint, et summo Pontifici atque huic Sanctae

¹⁸³ Hieronymus Rozrażewski (1581-1600). Obiit Romae die 9.II.1600. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 639.

Sedi obedientiam tribuerint, qua de re scripsimus accurate ad carissimum filium nostrum Sigismundum (f. 61) Regem. Ex eo autem multa bona proficiisci posse, ut tam insigni beneficio Episcopi illi, et eorum natio obstringatur, tu pro tua prudentia optime intelligis.

Tibi vero, frater, quem sincere corde semper amavimus, et cuius virtutem plurimi semper fecimus, nostram paternam, et Apostolicam benedictionem impartimur, tibique caelestis gratiae copiam precamur, ut gregem tibi creditum ad aeterna caeli pascua perducas.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII Februarii 1596, Pontificatus Nostri Anno quarto.

151.

Romae, 13 . II . 1596

Mandatum Clementis VIII, ut solvantur expensae confectionis vestium liturgicarum Episcopis ruthenis dono datarum.

ARCHIVIO DI STATO DI ROMA, Fondo Camerale, VII: *Registri dei Mandati Camerali*, v. 945 (1594-96), f. 85v.

Per trina et bottoni d'oro et argento per guarnire li paramenti da messa che se donano alli Vescovi Rutheni.

... 153.20

Mons. Cesi etc. ordinarete a Giuseppe Giustiniano, nostro Depositario generale, che paghi alli Heredi di Cristofano Raggi scudi centocinquantatré et b 20 di moneta, che se li fanno pagare per il prezzo de once centodicinove di trina d'oro et argento, et bottoni numero 130 simili dati a Girolamo Mai-nardi nostro banderaro per guarnizione de paramenti da messa, che da Noi si donano alli Vescovi rutheni¹⁸⁴, et paghati vogliamo da la Nostra Camera Apostolica, quali siano accettati, et fatti buoni alli suoi conti della Depositoria Generale.

Del Nostro Palazzo Apostolico dì 13 febraro 1596.

CLEMENS PP. VIII

Fu dato l'ordine da mons. Thesoriero da Nattano a 16 detto.

... 153.20

152.

Romae, 23 . II . 1596

Metropolitae Ruthenorum conceditur facultas consecrandi Episcopos sui Ritus, Ecclesiis vacantibus, qui tamen Metropolita a Romano Pontifice debeat confirmari.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 372, fol. 76-83.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 260-2, nr. 189.

¹⁸⁴ Agitur de vestibus pro Hypatio Potij et Cyrillo Terleckyj, Legatis Hierarchiae ruthenae. De donatione harum vestium cfr. infra respectiva Brevia Pontificia de data 26.II.1596.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem eos, qui pravis schismatum erroribus relic-tis ad Sanctae Matris Ecclesiae unitatem redierunt, specialibus favoribus prosequi, ut illi in eiusdem Ecclesiae fide et obedientia eo constantius perse-verent, quo cumulationibus beneficiis se affectos esse perspexerint. Cum ita-que Venerabiles fratres Hypatius Protothronius Wladimiriensis et Bresten-sis, ac Cyrillus Exarcha Luceoriensis et Ostrosiensis, Episcopi Nationis Ru-thenae seu Russae, suo et Venerabilium fratrum Michaelis Archiepiscopi Me-tropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae, Gregorii Archiepiscopi nominati electi in Archiepskopum Polocensem et Vitebscensem, Michaelis Episcopi Praemisliensis et Samboriensis, Gedeonis Episcopi Leopoliensis, Dionysii Episcopi Chelmensis et Belsensis, Leontii Episcopi Pinscensis et Turoviensis postea defuncti, et Iona Archimandritae Kobrinensis Ecclesiae Sancti Salvatoris, deinde electi in Episcopum Pinscensem et Turoviensem loco dicti Leontii, Episcopi, defuncti, nomine, qui antea cum Romana Ec-clesia non communicabant, sed proprii sermonis et idiomatis usu, retento Graeco Ritu, vivebant, ad nos et ad Sedem Apostolicam nuper accesserint, ac tam privato amborum, quam praedictorum Michaelis Archiepiscopi et aliorum Coepiscoporum communi et procuratorio nomine se et illos in eius-dem Ecclesiae gremium recipi, et tamquam membra suo capiti uniri suppli-caverint, ac omnes suos et ipsorum errores, haereses et schismata damna-verint et detestati fuerint, Fideique Orthodoxae professionem iuxta formam Graecis ab hac Sancta Sede prae scriptam integre et ad verbum fecerint et emiserint, nobisque et Apost. Sedi debitam obedientiam et subiectionem praestiterint et perpetuo praestare promiserint, Nosque nomine pii patris ipsos, universumque eorum Clerum et populum Ruthenae seu Russae Na-tionis in eiusdem Ecclesiae gremium receperimus, et tamquam membra in Christo unitati Ecclesiae restituerimus et incorporaverimus, ac praeterea ad nostram erga ipsos charitatem magis ostendendam, omnes sacros ritus et cae-ri monias, quibus idem Archiepiscopus seu Metropolita, Episcopi et Clerus praedicti iuxta sanctorum Patrum Graecorum instituta in Divinis Officiis et sacrosancto Missae sacrificio, et Sacramentorum administratione aliisque sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et fidei catholicae non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, ex Apostolica beni-gnitate eisdem permiserimus, concesserimus et indulserimus, aliaque fece-rimus, quae in nostris sub plumbo confectis literis datis decimo Kal. Ianuarii praesentis anni plenius continentur.

Cupientes nunc eosdem uberioribus gratiis prosequi, cum Provincia Rus-siae seu Ruthena longo intervallo a Romana Curia distet, et propterea Epis-copis, qui pro tempore eligentur, valde incommodum futurum sit, ad Aposto-licam Sedem pro sua electionis confirmatione accedere, seu etiam alios, qui eorum nomine huiusmodi confirmationem petant, ad eamdem Sedem trans-mittere, eorum in hac parte commodis et indemnitat, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio et ex certa scientia nostris, et Sedis Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitu-tione statuimus et ordinamus, ut quandocumque post hac aliquas ex praedictis eorum Cathedralibus Ecclesiis seu Sedibus Episcopalibus, Wladimi-riensi nimirum et Brestensi invicem, Luceoriensi et Ostrosensi etiam invi-

cem, Plocensi et Vitebsensi etiam invicem, Praemisliensi et Samboriensi similiter invicem, Chelmensi et Belsensi etiam invicem, Leopoliensi et Camenecensi etiam invicem perpetuo vel alias unitis seu annexis, pastoris solatio destitui aut quovis modo vacare contigerit, is qui ad dictas Ecclesias pastoris solatio destitutas seu vacantes iuxta memorem eorum, seu modum illis permissum electus seu nominatus fuerit, a praedicto Archiepiscopo Metropolita Kioviensi ac Haliciensi nunc et pro tempore existenti auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmari vel institui, eique munus consecrationis impendi possit et debeat, ac ut sic electus seu nominatus et confirmatus vel institutus ab eodem Archiepiscopo Metropolita, vel de eius licentia ab alio Catholico Antistite eiusdem Nationis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, ascitis duobus vel tribus aliis Catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus et sibi in hoc assistantibus, munus consecrationis huiusmodi suscipere, idemque Antistes illi dictum munus impendere valeat, super quo ipsi tam in Episcopum pro tempore electo seu nominato et confirmato, quam Archiepiscopo Metropolitae pro tempore existent plenam, amplam et liberam potestatem et facultatem per praesentes concedimus et indulgemus.

Verum cum Sedes Archiepiscopales seu Metropolitanas Ecclesias Kiovensem et Haliciensem praedictas, similiter invicem perpetuo vel alias unitas sive annexas, per obitum vel alias quovis modo quamdocumque tam forsan in Romana Curia, quam extra eam ubilibet pastoris solatio destitui seu vacare contigerit, volumus et pari motu atque auctoritate perpetuo statuimus et ordinamus, ut is, qui in Archiepiscopum seu Metropolitam iuxta eorum morem, seu modum illis permissum pro tempore similiter electus seu nominatus fuerit, electionis seu nominationis suaee confirmationem institutionem seu provisionem, nec non et muneris consecrationis licentiam a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente petere et obtinere omnino teneatur et debeat.

Volumusque et similiter perpetuo statuimus, ut literae confirmationis seu institutionis et provisionis huiusmodi, et licentiae praedictae in eadem Curia per officiales, ad quos spectat, per viam secretam gratis expediantur, decernentes sic et non aliter per quoscumque Iudices et Commissarios quacumque auctoritate et dignitate fungentes, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque Apostolicis, ac Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo etc. Nostrum statutorum, ordinationis concessionis, indulti, decreti et voluntatis infringere etc. Si quis etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae MDXCV, VII Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

153.

Romae, 26 . II . 1596

Episcopo Volodimiriensi et Berestensi Hipatio Potij eiusque successoribus, conceditur usus vestium sacrarum, quas Saccocium appellant, dalmaticarum et tunicarum instar, dum sacrosanctum missae sacrificium divinaque officia pontificali more celebrant.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 372, fol. 83-87, et 71-73.
Bullarum diplomatum et privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificium, Augustae Taurinorum T. X, 1865, p. 253-254, n. 126.

CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Hipatio, pro-thronio metropolis Kioviensis, Episcopo Wlodimiriensi et Brestensi, Nationis Ruthenae seu Russae, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex specialibus favoribus libenter prosequi consuevit, quorum merita et virtutes suis ac Sedis Apostolicae beneficiis dignas esse animadvertisit.

Cum igitur tu, neconon Venerabilis frater Cyrillus, exarcha metropolis Kioviensis, Episcopus Luceoriensis et Ostroviensis, nationis Ruthenae seu Russae utriusque vestrum. et aliorum Venerabilium fratrum Michaelis. Archiepiscopi metropolitae Kioviensis ac totius Russiae, neconon Gregorii Archiepiscopi nominati, electi in Episcopum Polocensem et Vitebsensem, Michaelis, Episcopi Praemisliensis et Samboriensis, Gedeonis, Episcopi Leopoliensis, Dionysii, Episcopi Chelmensis et Belsensis, Leontii, Episcopi Pinscensis et Turoviensis, postea defuncti, et Jonae, Archimandritae Kobrinensis, ecclesiae Sancti Salvatoris, deinde electi in Episcopum Pinsensem et Turoviensem, loco dicti Leontii defuncti Episcopi nomine, qui omnes antea cum Romana Ecclesiae minime communicabatis, sed, proprii sermonis et idiomatis usu retento, graeco ritu vivebatis, ad nos et Sedem Apostolicam nuper accesseritis, ac tam privato amborum, quam praedictorum Archiepiscopi sive Metropolitae, et aliorum Coepiscoporum communi procuratorio nomine, vos et illos in Romanae Ecclesiae gremium recipi, ac tamquam membra suo capiti uniri supplicaveritis, universosque vestros et illorum errores, haereses et schismata damnaveritis et deserti fueritis, fideique orthodoxae professionem, iuxta formam Graecis ab hac Sancta Sede praecriptam, integre et ad verbum feceritis et emiseritis, nobisque et Apostolicae Sedi debitam obedientiam et subiectionem praestiteritis. nosque more pii fratribus vos et ipsos, universumque eorum populum et clerum Ruthenae seu Russae nationis praedictae in eiusdem Ecclesiae gremium receperimus et tanquam membra in Christo unitati Ecclesiae restituerimus et incorporavimus; volentes nunc, ut par est, insignem aliquam paternae nostrae erga Fraternitatem Tuam voluntatis significationem ob eam rem pie ac diligenter pro virili sua parte prestitam exhibere, Motu proprio, et ex certa scientia nostris, eidem Fraternitati Tuae, ac tuis successoribus Wlodimiriensibus et Brestensibus Episcopis in unione et obedientia sanctae Romanae Ecclesiae perseverantibus, ut post hac perpetuis futuris temporibus vestibus illis sacris, quas Saccos appellatis, dal-

maticarum et tunicarum instar, quibus Venerabilis frater Archiepiscopus seu Metropolita ex speciali indulto uti solet, et quibus eidem Archiepiscopo seu Metropolitae, vel alicui vestrae nationis Episcopo sine simili indulto uti non licet, dum sacrosanctum missae sacrificium, vel alia divina officia pontificali more, tu vel ipsi successores tui celebrabitis, uti libere et liceite valeatis, facultatem et licentiam, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex speciali dono gratiae concedimus et indulgemos.

Ut vero eius rei aliquod momentum extet, et in eadem tua ecclesia [f. 254] post hoc perpetuo conservetur, nos eas vestes auro et serico coerulei coloris intertextas et eminentibus hinc inde liliis auro similiter intorto seu ricio, ut vocant, ornatas, confici iussimus, illasque cum nonnullis altaris ornamentis, necnon cum stola tum minore tum maiore, quas Petrachilos et Omo-phoria appellatis, ac cum aliis vestibus inferioribus, quibus pro albis utimini, ex serico coerulei coloris confectis, floribusque aureis et argenteis decoratis, simili motu et auctoritate eidem Fraternitati Tuae ac tuis successoribus prae-fatis gratiose donavimus et elargiti sumus, prout denuo auctoritate Apostolica tenore praesentium donamus et elargimur.

Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quacumque auctoritate et dignitate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus ecclesiarum Wladimiriensis et Brestensis, quavis etiam Apostolica auctoritate roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium exemplis, etiam impressis, notarii pu-blici manu subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum ha-beatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo... etc, Si quis autem... etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1596,
IV Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno IV.

154.

Romae, 26 . II . 1596

Episcopo Luceoriensi et Ostrogoviensi Cyrillo Terleckyj eiusque successoribus, conceditur usus vestium sacrarum, quas Saccocium appellant, dalmaticarum et tunicarum instar, dum sacrosanctum missae sacrificium divinaque officia pontificali more celebrant.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 372, fol. 73-76, 87-89.

Bullarum diplomatum et privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum, T. X,
Augustae Taurinorum 1865, p. 252, nota 1.

CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Cirillio, Exarchae Metropolis Kiovensi, Episcopo Luceoriensi et Ostrogoviensi, nationis Ruthenae seu Russae, salutem et apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex eos specialibus favoribus... (*Simile privilegium hoc die, iisdemque expressum verbis concessit Clemens Episcopis Luceoriensibus, quibus sacras vestes rubri coloris dono dedit. — Cfr. Breve praecedens pro Hypatio Potij, mutatis mutandis.*)

Ut vero eius rei aliquod monumentum extet et eadem tua ecclesia posthac perpetuo conservetur, Nos eas vestes auro et serico rubei coloris intertextas, et eminentibus hinc inde liliis auro similiter intorto seu ricio, ut vocant, ornatas confici iussimus illasque cum nonnullis altaris ornamenti nec non cum stola etc. (*prout in Brevi praecedenti*). Decernentes etc. Non obstantibus etc. Volumus autem etc. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1595 (1596), quarto Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno quarto (*quinto*).

155.

Romae, I . III . 1596

Mensae episcopali Volodimiriensi et Berestensi unitur monasterium SS. Salvatoris, Ordinis S. Basillii.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 372, fol. 93-95, 97-99.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis Apostolicae servitutis officio, Ecclesiarum quarumlibet, earum praesertim quarum Praesules pravis haeresum et schismatum erroribus relictis ad Catholicae Romanae et Universalis Ecclesiae unitatem et obedientiam redierunt utilitati et eorundem Praesulum commodis, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque, sicut accepimus, mensa episcopalnis Wlodimiensis et Brestensis Metropoliae Kiovensis Ruthenae Regionis exiguo redditus habeat, quibus Venerabilis frater noster Hyppatius Protothronius illius Episcopus iuxta suae pontificalis dignitatis exigentiam statum suum decenter tenere, et onera sibi incumbentia, praesertim Concionatoris Verbi Dei, et Scholae Magistri pro spirituali Christi fidelium dictae Ecclesiae consolatione, necessariaque instructione sufferre non potest, et si monasterium Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Basilii Wlodimirense certo modo, quem praesentibus pro espresso haberi volumus, vacans, cuius fructus, redditus, et proventus [f. 97v] ad centum circiter ducatos auri de Camera secundum communem aestimationem annuatim ascendunt, eidem mensae episcopalni perpetuo uniretur, ex hoc profecto utilitati dictae Ecclesiae pro Concionatoris Verbi Dei, et Scholae Magistri manutentione valde consuleretur.

Nos volentes Ecclesiam ipsam eiusque Episcopum, quos nuper una cum aliis Episcopis ruthenis, qui antea cum Romana Ecclesia non communicabant,

sed proprii sermonis et idiomatici usu retento graeco ritu vivebant, ad eiusdem S. R. E. gremium, et unitatem recepimus, spiritualibus favoribus, et gratiis prosequi, ac Ecclesiae et monasterii praedictorum ubiores valores annuos ipsiusque monasterii ultimum vacationis modum praesentibus pro expressis habentes, Motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra monasterium praedictum quovis modo, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio etiam in Corpore Iuris clausa, etiam per obitum apud Sedem, aut per illius ultimi possessoris resignationem sponte, etiam coram Notario et testibus factam, aut vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam Legitime devoluta existat, et [f. 98] super illo inter aliquos lis, cuius etiam statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa eidem mensae episcopali Wladimiriensi, et Brestensi, cuius Episcopus pro tempore, sicut etiam caeteri omnes eiusdem Nationis Ruthenae seu Russae in eadem Sancti Basillii regula professi esse consueverunt, ad effectum tamen, ut ex eiusdem monasterii fructibus Concionatorem Verbi Dei, et Magistrum Scholae sustentare valeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, anneximus, et incorporamus. Ita quod liceat eidem Episcopo nunc et pro tempore existenti, eiusdem monasterii ac illius honorum regiminis et administrationis, seu quasi possessionem propria auctoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, ipsaque bona locare, et arrendare ac illorum fructus, redditus et proventus, et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare ac in eorundem Concionatoris et scholae Magistri substantiationem convertere. Ita tamen quod in eodem monasterio divinus cultus, ac solitus monachorum, et Ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed eiusdem monasterii [f. 98v] eiusque conventus, quatenus fructus separatos a mensa abbatiali non habeat, congrue per dictum Episcopum supportentur onera consueta.

Decernentes unionem, annexionem, et incorporationem huiusmodi ac praesentes litteras nullo unquam tempore etiam ex eo quod quicunque interesse habentes, seu praetendentes ad id vocati non fuerint, neque praemissis consenserint, aut quod fructus dictae mensae episcopalnis, cui dictum monasterium univimus, iuxta regulam nostram non sint expressi, aut aliter ex quo cunque capite de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi, invalidari, retractari, vel alias annullari nullatenus posse, sed semper validas, efficaces, existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque per quoscunque Iudices ordinarios et delagatos, etiam causarum Palatii Apostolici [f. 99] Auditores, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra praedicta de exprimendo valore beneficii, cui aliud uniri peteretur, ac de unionibus committendis ad partes, coactis quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, Praedecessoris nostri, aliisque constitutionibus et or-

dinationibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodolibus Conciliis specialibus vel generalibus, nec non monasterii et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, illis ac eiusdem [f. 99v] Ordinis Superioribus, et personis in contrarium praemissorum quorumcunque concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis.

Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua mentio habenda foret, illis aliter in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae consignatis eadem illa prorsus fides habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli etc. nostrae unionis, adnexionis, incorporationis, decreti, voluntatis, et derogationis infringere etc. Si quis etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini 1595, Kalendas Martii¹⁸⁵, Pontificatus Nostri Anno V.

156.

Romae, 4 . III . 1596

Unio monasterii Pečarensis Kioviensis mensae Metropolitanae item Kioviensi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 372, fol. 101-103, 105-107v.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis Apostolicae servitutis officio... (*ut supra sub nr. precedenti*). Cum itaque, sicut accepimus, mensa archiepiscopalis Kioviensis et Haliciensis, quae totius Nationis Ruthenae, seu Russae Metropolis existit, exiguo admodum redditus habeat, ex quibus Venerabilis frater noster illius Archiepiscopus seu Metropolita¹⁸⁶, iuxta suae pontificalis dignitatis extinguitam statum sive decenter tenere non potest, etsi monasterium quod Peczeorum¹⁸⁷ vocant Ordinis Sancti Basillii Kioviense certo modo... vacans... ad MCC circiter ducata auri de Camera secundum communem extimationem... Nos volentes etc. Decernentes unionem etc... quibus omnibus etc. Volumus autem etc... Nulli ergo hominum etc...

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini 1595, quarto Nonas Martii¹⁸⁸, Pontificatus Nostri Anno V.

¹⁸⁵ Debet esse revera anno 1596.

¹⁸⁶ Michael Rahoza (1588-1599).

¹⁸⁷ Monasterium Grotarum in Kyjiv. Fundatum secunda medietate saec. XI, a primis monachis Antonio s.d. Pečerskyj et eius discipulo Theodosio, item Pečerskyj († 1073). Famosum in tota Ucraina et etiam in reliqua parte Europae orientalis. Centrum peregrinationum.

¹⁸⁸ Debet esse anno 1596.

157.

Rome, 5 . III . 1596

Petro Arcudio donantur 500 scuta, ut possit iter in Russiam instituere in adiutorium Episcoporum ruthenorum.

ARCHIVIO DI STATO DI ROMA, Fondo Camerale, VII: *Registri dei Mandati Camerali*, v. 945 (1594-96), f. 85v.

A Pietro Sacerdote Greco per il viaggio andare in Russia per lui et un suo Compagno con li Vescovi Ruteni s. di 500 di moneta.

Mons. Cesi etc. ordinarete a Giuseppe Giustiniani etc. che paghi a Pietro Arcudi¹⁸⁹ Sacerdote, et Alunno del Collegio Greco s.di cinquecento di moneta, cioè s.di 250 gli si paghi qua et altri s.di 250 gli se faccia lettera, che gli siano pagati in Venetia; quali s.di 500 se li fanno pagare per le spese per il viaggio per lui e Moschetti, suo compagno, per andare in Russia per ordine Nostro con li Vescovi rutheni et per fare un parato sacerdotale per portarlo seco per celebrare la messa, arrivato che sarà la, et pagati vogliamo etc.

Del nostro Palazzo Apostolico questo dì 5 di marzo 1596.

CLEMENS PP. VIII.

Fu dato l'ordine di Mons. Thesoriero a dì detto 500 di m.

158.

Rome, 7 . III . 1596

Mandatum pro 100 scutis, ut remunerazione pro Luca Doctorovio, ut sibi Romae libros desideratos compararet.

ARCHIVIO DI STATO DI ROMA, Fondo Camerale, VII: *Registri dei Mandati Camerali*, v. 945 (1594-96), f. 86v.

Donativo al Inteprete di Vescovi ruteni s. 100.

Mons Cesi etc. ordinarete a Giuseppe Giustiniani etc. che paghi scudi cento di moneta al canonico Lucerae, quale è stato inteprete dellli Vescovi ruteni et gli ci doniamo per provedersi di libri che lui desidera, et pagati vogliamo...

Del nostro Palazzo Apostolico questo dì 7 Marzo 1596.

CLEMENS PP. VIII.

Fu dato l'ordine di Mons. Thesoriero a dì detto 100.

¹⁸⁹ Petrus Archudius. Nat. an. 1562 cca. Ex insula Corfu. Graecus. Unus e primis alumnis Collegii Graecorum de Urbe, et primus cui datus fuit gradus doctoratus in theologia. Duabus vicibus erat in terris Ucrainae et Bélorussiae. Prima vice, ut videtur, ann. 1590-93, alia vero vice ab an. 1597, et fortasse usque ad an. 1613, ad mortem Metropolitae Hypatii Potij. Anno 1596/97 missus fuit in hanc regionem ut Seminarium ad educandam iuventutem institueret. Revera aliquod Seminarium fundatum fuit Vilnae. Interea Episcopus adiuvabat polemizando cum adversariis Ecclesiae Unitate. Obiit an. 1633, Romae. Sepultus in Collegio Graecorum.

159.

Romae, 21 . VIII . 1596

Signum Charitatis universalis Sedis Apostolicae in procuranda salute omnium gentium, etiam corporali, clarissime in redemptione captivorum demonstratur. Ecce Unione Berestensi nondum ratiohabita, captivus ruthenus Fimaniolicz misericordiae omnium Christifidelium commendatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 26, fol. 174rv.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex omnibus christianaee charitatis officiis, quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa redemptori nostri Jesu Christo maxime placere credimus, per quae infelices captivi a tetra impiorum servitute revocantur. Horum enim plerique tempestivae redempctionis expertes sive longa consuetudine sive acerbitate vitae, quam diris ibi cruciatibus conterunt, viam veritatis paulatim derelinquentes in infidelitatis errores denique prolabuntur. At quia tantae multitudini, qua continenter urgemur, nequaquam per nos ipsos succurrere valemus, singulare erga illos misericordia admoti pia pro ipsis Christianorum auxilia cogimur implorare.

Nuper siquidem accepimus quod dilectus filius Petrus Fimaniolicz, Ruthenus, a Tartaris cum uxore ac duobus filiis suis captus, et ab eis impiis Turcis venditus, Belgrado in miseranda servitute detentus fuit, imposito illis redempctionis pretio quingentorum florenorum. Et deinde, mortua uxore praedicta, dictus Petrus ab eadem servitute, relictis in ea filiis praedictis obsidibus, liberatus fuit, ac dictorum filiorum salutem et liberationem anxie procurans, dictum pretium ob eius extremam paupertatem congerere nullo modo potest, nisi piis fidelium largitionibus adiuventur. Quare nos ad dictorum captivorum salutem paterna charitate propensi omnes Christifideles quo possumus affectu hortamur in Domino et ab ipsis omni studio contendimus, ut memores divini eloquii, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, huius calamitatis et impendentis periculi commiserentes pias suas in huiusmodi redempctione eleemosynas pro cuiusque arbitrio et voluntate eidem Petro, viro circiter quinquagenario, iusta statura, barba et capillis castaneis, ac parvulam cicatricem in fine nasi habenti, praesentes, quas exemplari aut imprimi prohibemus, personaliter ostendenti, conferant.

Hortamur quoque in Domino omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates caeterosque Praelatos, ac parochialium ecclesiarum Rectores, eorumque Vicarios, nec non verbi Dei Praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, monasteriis et concionibus, quo poterunt favore et auxilio eosdem captivos populo commendent. Quod cum fecerint atanctum habeant se copiosum ab ipso Redemptore nostro retributionis premium feliciter adepturos. Sed ne pietatis specie questus impius consequantur, volumus praesentes litteras ad triennium tantum ab earum data computandum valere, nec intendimus quemquam excuso dicti triennii spatio ad eleemosynam obtentu earundem praesentium invitari.

Datum Romae apud S. Marcum. Anno etc. Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, duodecimo Kal. Septembbris. Pontificatus Nostri Anno quinto.

160.

Rome, 18 . I . 1597

Archiepiscopo Leopoliensi Clemens VII congratulatur de eius efficaci participatione in Synodo Berestensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 29, fol. 24-25.
ASV, *Armarium* 44, vol. 41, fol. 31v-32r.

Venerabili fratri Joanni Demetrio¹⁹⁰, Archiepiscopo Leopolis.
CLEMENS PP. VIIIs. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex communibus litteris, quas Fraternitas Tua cum Venerabilibus fratribus Episcopis Luceoriensi, et Chełmensi e Bresta Lituana ad nos dedit, tum ex tuis propriis, quas Leopoli scripsisti de provinciali Ruthenorum Synodo¹⁹¹, a Venerabili fratre Michaele eorum Metropolitano iussu nostro convocata, ea cognovimus, quae valde optamus ad Dei gloriam, et animarum illarum utilitatem gaudemusque in Domino, quod antiqui hostis machinationes, quas ad pium opus impediendum adhibere conatus est, vestra omnium tuaque imprimis constantia, et diligentia disiectae sunt. Tuam ea in re piam sedulitatem, tuum laborem iusto praemio remunerabit Deus, et nos grato animo quidquid nostra cohortatione egisti prosequimur, tuamque erga nos et hanc Sanctam Apostolicam Sedem devotionem agnoscimus, et commendamus. Perge, frater, eosdem Ruthenos Metropolitanum, et Coepiscopos eius, qui Sanctae Romanae Ecclesiae, unde omnis sacerdotalis unitas promanat, copulati sunt, tuae auctoritatis patrocinio tueri, eorumque honestis desideriis favere, ut et ipsi, eorumque natio in sancto proposito tanto magis confirmentur, et alii qui nondum hanc sanctam unionem receperunt, ad lumen catholicae veritatis tanto efficacius invitentur. Interea Fraternitati Tuae quam [f. 32] in Christi visceribus gerimus, prosperum ad Ecclesiam, et sponsam tuam redditum gratulamur. Age quod agis, operare quod operaris, Spiritu Sancto adiutore, imple ministerium tuum in isto Archiepiscopali munere, et ovibus fidei tuae creditis pascendis, ut eas benedicente Domino ad pascua caelestia perducas, et simul cum illis aeternitatis gloriam consequaris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Januarii MDXCVII, Pont. Nostri Anno quinto.

161.

Rome, 18 . I . 1597

Clemens VIII Episcopis et Magnatibus in Synodo Provinciali Ruthenorum participantibus congratulatur eosque invitatur, ut ulterius res Unionis Ruthenorum protegant.

¹⁹⁰ Joannes Demetrius Solikowski (1582-1603).

¹⁹¹ Synodus Provincialis Berestensis anno 1596 (mense octobri) celebrata unionem Provinciae ecclesiasticae Kioviensis cum Ecclesia Romana ratam habuit, secundum ea, quae acta fuerunt Romae mense Decembri 1595, et Januario-Februario 1596. Cfr. supra documenta de unione.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 29, fol. 25-26.
 ASV, *Armarium* 44, vol. 41, fol. 32r-33r, nr. 20.
 THEINER A., *op. cit.*, III, p. 269-70, nr. 198.

Venerabilibus fratribus Joanni Demetrio Archiepiscopo Leopoliensi, Bernardo Luceoriensi, et Stanislaw Chelmensi, Episcopis, et dilectis filiis, nobilibus viris, Nicolao Christophoro, Duci Olicae, Leoni Cancellario, et Demetrio Thesaurario Magni Ducatus Lituaniae¹⁹².

CLEMENS PP. VIII. Venerabiles fratres, et dilecti filii, nobiles viri, salutem et Apostolicam benedictionem.

Recrearunt nos in Domino, et spirituali cor nostrum laetitia compleverunt litterae vestrae, quas, vinculo caritatis coniuncti, simul ad nos e Bresta Lituana scrisistis, ex quibus, et ex actorum serie, caeterisque scriptis [f.32v] ad nos transmissis cognovimus, Synodum provincialem Episcoporum ruthenorum a Venerabili fratre Michaele eorum Metropolitano, ad praescriptum mandati nostri indictam, et celebratam esse, atque in ea cum ipsum tum eius Coepiscopos, et ex Clero primarios, quae Romae ab eorum procuratoribus, et oratoribus acta erant, rite comprobasse atque iterum fidei catholicae professionem fecisse, et nostrae humilitati, atque huic Sanctae Apostolicae Sedi, in qua immeriti praesidemus, veram obedientiam detulisse, et ut membra corporis Christi, quod est Ecclesia, suo legitimo capiti adhaesisse, atque haec omnia scripta, et signis suis confirmasse.

Benedictus Deus et pater misericordiarum, qui numquam cessat effundere divitias bonitatis suae, et animas precioso Agni immaculati sanguine redemptas in viam pacis, et salutis dirigere. Et quamvis antiquus humani generis hostis, cuius insidias non ignoramus, vias Domini rectas subvertere, et opus Dei, si quo modo posset, impedire conatus sit, tanto magis in Domino gaudemus, quod vester zelus, Frater venerabilis, quod studium vestrum in causa Dei, filii dilecti, quodque vestrum omnium constantia adversus Satanae machinationes tanto maiori vestra cum laude eluxit, qua in re filii nostri carissimi Sigismundi Regis saepe quidem perspectam pietatem nunc etiam agnovimus, qui viros fortes, et prudentes delegit, qui eius nomine ad tam prius negotium conficiendum, et impedimenta removenda praesto adessent, quem certe tantum animi ardorem ad id prae se tulisse ut scribitis, non tam novum, quam [f. 33] iucundum nobis accidit, et hoc ipsum de eo iam nobis plane persuadebamus.

Et licet aliqui ex ruthenis Episcopis magis tenebras dilexerunt, quam lucem et hanc sanctam, et salutarem unionem non receperint, attamen de illis quoque, ut recte dicitis, meliora speranda sunt, Spiritu Sancto auctore, quem pie oramus, ut auferat velamen de cordibus eorum, et ad fratrum imitationem permoveat, ut et ipsi salvi fiant in Christo Jesu, qui est pax nostra.

Hortamus autem vos, fratres et filii, ut Metropolitanum, et Episcopos illos, fratres nostros, qui in gremium Sanctae Romanae Catholicae Ecclesiae

¹⁹² Epistula haec data est ad Legatos Pontificis et Regis ad Synodum Berestchensem. Nomine Summi Pontificis intervinerunt: Joannes Demetrius Solikowski, Bernardus Maciejowski, Stanislaus Gomolinski. Nomine Regis Sigismundi III aderant: Nicolaus Christophorus Radziwill, Leo Sapieha, et Demetrius Chalecki. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, I, p. 550-51.

recepti, iam nobiscum unum sint in Christo, omni caritate faveatis, omni ope, et opera apud Regiam Maiestatem adiuvetis, ut honoribus affecti, et **commodis** aucti, se vere a nobis fratrum loco haberi, seque Regi carissimos esse intelligent, ut in **omnibus** glorificetur Deus, et pater Domini nostri Jesu Christi, qui reddet nobis mercedem bonam in die retributionis, vestramque erga nos, et hanc Sanctam Sedem devotionem, quam paterno affectu prosequimur, tanto magis ostendetis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Januarii MDXCVII, Pontificatus Nostri Anno quinto.

162.

Romae, 5 . VI . 1597

Breve pontificium invalidationis excommunicationis Episcoporum ruthenorum a Patriarcha Constantinopolitano schismatico pronuntiatae.

ASV., *Ep. ad Principes*, vol. 29, fol. 138-139v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 41, fol. 138r-139v, nr. 150.

THEINER A., *op. cit.*, III, p. 270-71, nr. 199.

Pro Ruthenis Catholicis.

CLEMENS PP. VIIIs. Ad futuram rei memoriam.

Significatum nobis est de asserto Patriarcha Graecorum, qui apud Constantinopolim resedit¹⁹³, quique nobiscum, et cum hac Sancta Apostolica Sede, in qua meritis licet impares, Deo tamen auctore, Universali Ecclesiae praesidemus, non communicat, quod cum audisset Venerabiles fratres Metropolitam, et Episcopos aliquos ruthenos, nec non ex clero, et populo nationis illius quamplurimos, divinae gratiae lumine collustratos, Graecorum Schismate, et erroribus reiectis, ad unionem S. R. E. omnium Ecclesiarum matris, et magistrae ultro venisse, et unam catholicam fidem, quam eadem Romana Ecclesia a Beatissimo Apostolorum Principe Petro, cum sanguine glorioi martyrii, acceptam semper docuit et docet, et sine qua nemo salvus esse potest, recipisse, atque ex formula praescripta rite, et publice professos esse, nosque eosdem Ruthenos, id instanter, et humiliter petentes, intra gremium eiusdem catholicae Romanae Ecclesiae benigne, et paterne admisisse, idem assertus Patriarcha zelo non secundum scientiam neque spiritu caritatis, et pacis, sed schismatis, et dissensionis permotus, omnes Ruthenos [f. 138v], qui communionem fidei, et unitatis nobiscum, et cum hac sancta Apostolica Sede receperunt, et professi sunt, temere nimis, atque audacter excommunicare praesumpsit, cum potius Deo altissimo gratias agere, et ipse quoque ad cor redire et eamdem viam salutis ingredi, et pacem, et concordiam in Christo complecti debuisse.

Quae cum ita se habeant, nos pro nostro pastorali officio tantam audaciam coercere, quam certe dissimulare non possumus, et opportune provi-

¹⁹³ Tune temporis erat Theophanes I (1596-97), qui hoc ipso anno Sedem suam cedere debuit Meletio Pigas. Ut videtur, excommunicatio haec proveniebat iam a novo Patriarcha Meletio. Cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa...*, p. 182, 592.

dere volentes, ne ex eiusmodi praetensa excommunicatione pusilli aliqui scandalum accipient, neve fortasse trepident, ubi non est timor, ob eam causam per has nostras litteras eamdem excommunicationem a dicto Patriarcha contra dictos catholicos Ruthenos, sic ut dictum est, prolatam invalidam, nullam, irritam, et inanem, nulliusque valoris, roboris, vel momenti fuisse, et esse dictosque Praesules, et alios catholicos Ruthenos nullatenus affecisse, vel afficere, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium dicimus, et declaramus, eamque ut temere, nulliter, et de facto latam revocamus, et abolemus, et quatenus opus est, invalidamus, irritamus, cassamus, et annullamus, et pro revocata, abolita, irritata, cassata, et annullata [f. 139r] haberi volumus, decernimus, et significamus, mandantes eisdem Venerabilibus fratribus Metropolitae, et Episcopis ruthenis, gratiam et communionem nostram, et Apostolicae huius Sedis habentibus, ut ubi et quoties opus fuerit, eisque expedire videbitur, per se ipsos, aut per parochos, aliosve hanc nostram declarationem, revocationem, abolitionem, atque irritationem, et annulationem clero, et populo Nationis Ruthenae, qui Romanae Ecclesiae unitatem, et obedientiam complectuntur, eadem nostra Apostolica auctoritate suffulti publice significant, et denuntient, seu significari, et denunciari current, excommunicationem praedictam nullam, irritam, atque inanem fuisse, et esse, ut praefertur, publicent, et promulgent, seu publicari, et promulgari faciant, et mandent, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Quod si idem assertus Patriarcha aliquid deinceps eiusmodi attentare praesumpserit, illud ex nunc irritum atque inane decernimus, et declaramus. Quo vero magis iidem catholici Episcopi rutheni, fratres nostri, intelligent antiquum humani generis hostem opus Dei impedire, et vias rectas subvertere conari, tanto ipsi magis pervigilent, atque elaborent, ut nationem illam [f. 139v] in fide, et pietate, et salutari unione, Dei adiutrice gratia, conservent, et multos a via salutis aberrantes convertant.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die V Junii 1597, Pontificatus Nostri Anno sexto.

163.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Cardinali Radziwiłł Episcopi rutheni, Rege absente a Regno, commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 162rv.
ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 164v, nr. 194.

Dilecto filio Georgio, tituli S.ti Sixti praesbytero Cardinali Radivilo nuncupato.

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilekte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Omnes quidem catholicos Episcopos, fratres nostros, amamus, et paterna caritate quantum cum Domino possumus favemus. Sed rutheni Episcopi, qui nuper ad Catholicae Ecclesiae unitatem, ut nostri, redierunt, tanto nobis-

commendatores sunt, quanto veluti novellae in Christo plantationes irrigandae sunt, ut firmius in eo, qui illis incrementum dat, coalescant. Etsi autem pietas tua stimulis non indiget, teque sponte erga eos propensum esse non dubitamus, tamen ut tanto sis propensior, eosdem Episcopos catholicos, eorumque clerum, et populum tibi diligenter commendamus. Etenim filio nostro carissimo Sigismundo Rege a Regno isto absente¹⁹⁴, nunc maxime bonorum omnium, et tuo imprimis patrocinio indigent, ne a quoquam iniuria afficiantur. Erit igitur nobis valde gratum, si eos ita pro tua virili tueri perges, ut nullius audacia eis quovis modo detrimentum afferat.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

164.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Archiepiscopo Gnesnensi Episcopi rutheni commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 164v-165.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 167, nr. 196.

THEINER, *Vetra Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 271, nr. 200.

Venerabili fratri Stanislao¹⁹⁵, Archiepiscopo Gnesnensi.

CLEMENS PP. VIIIIs. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nihil necesse arbitramur, commendare Fraternitati Tuae ruthenos Episcopos, fratres nostros, qui reiectis erroribus, et perniciose Schismate, ad fidei veritatem, et catholicae Ecclesiae unitatem redierunt. Nobis enim perspecta est pietas tua, et zelus divini honoris, teque sponte tua paratum esse non dubitamus propter Dei gloriam tueri Episcopos illos, qui iam nobiscum unum sunt in Christo. Sed quia illos valde amamus, et insidiae sathanae nobis ignotae non sunt, et forte occasione arrepta, per absentiam Carissimi filii nostri Sigismundi Regis, aliqui ex Schismaticis quidquam eis iniuriae, aut incommodi quovis modo inferre moliantur, ob eam causam Fraternitatem Tuam hortamur, et requirimus, ut eorumdem patrocinium, totiusque illius nationis, quae nostram communionem sequitur, tanto efficacius suscipientias, quanto id nobis gratius fore intelligis.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

¹⁹⁴ Sigismundus III, qui etiam Rex Suetiae haereditarius erat, post mortem patris (1592) Regnum hoc in possessionem accipere contendebat. Inde anno 1598 iam secunda vice huius rei causa in Suetiam profectus est. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 28, p. 876-7.

¹⁹⁵ Stanislaus Karnkowski (1581-1603).

165.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Archiepiscopo Leopoliensi res Ecclesiae Ruthenae, durante Regis absentia, commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 165rv.
ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 167, nr. 197.

Venerabili fratri Joanni, Archiepiscopo Leopoliensi.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ruthenos Episcopos, qui Schismate damnato ad Romanae Catholicae Ecclesiae unitatem, Spiritu Sancto auctore, redierunt, valde amamus, et in visceribus Christi complectimur. Itaque ut semen Dei in ipsis, et in eorum natione incrementum accipiat, et ne ulla sathanae insidiis quovis modo impendiatur, valde in Domino expetimus. Quare Fraternitati Tuae magnopere commendamus, ut absente praesertim Carissimo filio nostro Sigismundo Rege, eos tuo patrocinio, ubi opus fuerit, tuearis. Erit id nobis apprime gratum, tuaeque imprimis pietati consentaneum.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

166.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Absente Rege Sigismundo a Regno Episcopi rutheni et S. Unio Episcopo Luceoriensi Bernardo commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 165v-166.
ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 167v-168r, nr. 198.

Venerabili fratri Bernardo, Episcopo Luceoriensi.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pietas Fraternitatis Tuae non indiget stimulis cohortationis nostrae, ut ruthenos Episcopos, quos nuper intra sinum Romanae Catholicae Ecclesiae recepimus, tuo patrocinio, ubi casus venerit, tuearis. Te enim id iam et sponte fecisse, et sedulo facturum non dubitamus. Membra enim nostra sunt, et corpus unum in Christo. Sed quia eos valde amamus, id tibi modo significandum duximus, pergratum nobis fore, si nunc potissimum, Sigismundo Rege filio nostro carissimo absente, eis perges suffragari, ne cuiusquam iniuria, et eorum praecipue, qui ex eorum natione in schismate perseverant, Episcopi illi, quique sub eorum spirituali gubernatione sunt, ullo modo violentur.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

167.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

*Episcopo Cuiaviae Episcopi rutheni commendantur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, 166rv.ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 168rv, nr. 199.

Venerabili fratri Hieronymo, Episcopo Cuiaviae.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Scimus antiquum humani generis hostem assidue contra Christos Dei mali aliquid moliri, quos propterea nos tanto magis christianaे charitatis affectu tueri debemus. In eorum numero sunt Venerabiles fratres Episcopi rutheni, qui errores, et schismata detestati, ad Catholicam Ecclesiam confrigerunt, quos nos ad communionem nostram amantissime recepimus, atque ut membra nostra in Christo sincere amamus. Illos igitur Fraternitati Tuae valde commendamus, hoc praesertim tempore, quo carissimus filius noster Sigismundus Rex e Regno isto est abfuturus. Age pro tua pietate ne cuiusquam iniuria eiusdem Sathanae instinctu afficiantur, sed eos eorumque spirituales subditos pro tua virili tuere, et defende. Servies in eo Dei gloriae, et nobis rem pergratam facies.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

168.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

*Alberto, Episcopo Plocensi, Episcopi rutheni commendantur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 166-167.ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 168v-169r, nr. 200.Venerabili fratri Alberto¹⁹⁶, Episcopo Plocensi.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Novellas plantas, quas in agro Catholicae Ecclesiae nuper, benedicente Domino, plantavimus, ruthenos scilicet Episcopos illos, qui ad sinum matris suae Romanae Ecclesiae redierunt, et eorum populos, qui eamdem communionem complectantur, paternae caritatis affectu irrigamus, et foveamus. Ita-

¹⁹⁶ Albertus Baranowski (1590-1607), translatus ad Eparchiam Cuiaviensem (1607-8), dein Archiepiscopus Gnesensis et Primas Poloniae (1608-1616). Cfr. *Enc. Pow.*, vol 3, p. 666, et vol. 2, p. 124. Antea erat Episcopus Peremysliensis (1584-1591). *Ibid.*, vol. 3, p. 681.

que Fraternitati Tuae tanto illos libentius commendamus, quanto magis pietatem tuam perspectam habemus, teque ultra ad eos iuvandos et defendendos propensum esse non dubitamus. Si quis igitur per absentiam praesertim carissimi filii nostri Sigismundi Regis eos quovis modo iniuria afficeret, aut laedere tentaverit, tu pro tua virili parte eos adiuva, et sathanae insidiis obste; erit id tua virtute dignum et nobis valde gratum.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

169.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Joanni, Episcopo Posnaniensi, Rutheni, Rege absente, commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 167rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 169rv, nr. 201.

Venerabili fratri Joanni¹⁹⁷, Episcopo Posnaniensi.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Commendamus Fraternitati Tuae ruthenos Episcopos illos, cum eorum Clero, et populo, qui errores, et schismata detestati veram fidem, et unam Catholicam Ecclesiam agnoverunt, seque in eius sinum admitti humiliter petierunt, quod eis benigne concessimus, et nunc ut viscera nostra in Christo illos amamus. Nec vero dubitamus te quoque erga illos pie affectum esse. Id enim pietas tua, et zelus salutis animarum requirit. Sed quia veremur, ne malorum omnium architectus satana, per absentiam praesertim carissimi filii nostri Sigismundi Regis, aliquid contra eos molliatur, te propterea hortamur, ut nunc tanto magis eos tua ope defendas, tuoque patrocinio, ubi casus venerit, tuearis. Erit id nobis valde gratum.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

170.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Joanni Zamoyski, Cancellario, Rutheni commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 167v-168.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 169v-170r, nr. 202.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 271, nr. 200b.

¹⁹⁷ Joannes X Tarnowski, Subcancellarius Poloniae, Episcopus Posnaniensis (1597-1600), Cuiaviensis (1600-1603), Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Poloniae (1603-1606), qua in Sede obiit an. 1606. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 677, vol. 2, p. 124.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Zamoschio,
Regni Poloniae Magno Cancellario.

CLEMENS PP. VIII s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Libenter Nobilitati Tuae ea proponimus, quae ad Dei gloriam et catholicae religionis incrementum in Regno isto pertinent, ut quae tua sponte facis, nostro etiam hortatu impensis facias. Commendamus igitur tibi efficaciter Venerabiles fratres Episcopos ruthenos, illos qui Spiritus Sancti afflatu, scismate reiecto, ex errorum tenebris ad lumen catholicae veritatis emerserunt, ut intra sinum sanctae Romanae Ecclesiae, extra quam non est salus, a nobis sint recepti. Veremur enim, ne per absentiam carissimi filii nostri Sigismundi Regis, satan per idoneos aliquos ministros suos eis molestiam inferre moliatur. Tu ergo pro tua pietate servos Dei, membra nostra, et eorum clerus, et populum patrocinio tuo tuere, et defende, ut publica quies omni ex parte retineatur, atque hoc quoque laudis apud bonos, et meriti apud Deum Nobilitati Tuae accrescat.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

171.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Palatino Cracoviensi, Nicolao Firley, Rutheni commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 168.
ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 170r, nr. 203.

Dilecto filio, nobili viro, Nicolao Firleio, Palatino Cracoviensi.

CLEMENS PP. VIII s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Postulat pastoralis sollicitudo nostra, ut Venerabiles fratres ruthenos Episcopos, qui intra sinum Romanae Catholicae Ecclesiae a nobis recepti sunt, una cum eorum clero, et populo, omni caritatis officio prosequamur. Quia vero de Nobilitatis Tuae pietate praeclare sentimus, et omnia quae ad Dei gloriam pertinent de te nobis pollicemur, propterea eosdem Episcopos tibi magnopere commendamus, praesertim hoc tempore, cum filius noster carissimus Sigismundus Rex, e Regno isto est abfuturus, ne forte filii tenebrarum servos Dei quovis modo perturbare moliantur. Erit igitur virtutis Tuae eos pro tua virili tueri, quod Deo acceptum, et nobis erit apprime gratum.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

172.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Palatino Lenciciensi, Stanislao Minski, Rutheni commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 168rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 170v, nr. 204.

Dilecto filio, nobili viro, Stanislao Minschio, Palatino Lenciciensi.

CLEMENS PP. VIII s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Prosequimur praecipuo caritatis affectu ruthenos Episcopos illos, quos nos ipsi, Deo benedicente, ut Nobilitas Tua novit, intra sinum Catholicae Romanae Ecclesiae recepimus, eosque cum eorum clero, et populo, omni quiete frui valde in Domino optamus. Quare solliciti, ne quis Satanae administer, per absentiam praesertim carissimi filii nostri Sigismundi Regis e Regno isto, aliquid incommodi eis inferre moliatur, te, cuius pietatem, et virtutem plurimi faciamus, efficaciter hortamur, ut, ubi casus venerit, illis pro tua virili praesidio, atque adiumento esse velis. Erit hoc tibi ad meriti cumulum apud Deum, cui in suis servis honor adhibetur.

Datum ut supra.

173.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Janusio, Duci Ostrogiae, rutheni Episcopi commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 168v-169.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 171r, nr. 205.

Dilecto filio Janusio Duci Ostrogiae, Castellano Cracoviensi¹⁹⁸.

CLEMENS PP. VIII s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gaudium nostrum est in Domino, Venerabiles fratres nostros Episcopos omni quiete frui, ut Deo altissimo servire, et sacrificia pro peccatis populi offerre, et gregem sibi creditum multa possint cum tranquillitate ad caelestia. Deo iuvante, perducere. Sed pro Episcopis ruthenis, qui Romanae Ecclesiae unitati adhaerent, tanto id impensius optamus, quanto magis eos diligimus, propterea quod nos ipsi, Dei benignitate, illos ex schismate ereptos, intra sinum Catholicae Romanae Ecclesiae recepimus, quod Nobilitas Tua non ignorat. Ne igitur per occasionem absentiae carissimi filii nostri Sigismundi Regis e Regno isto aliquis Satanae administer eos perturbare, aut quovis modo eis iniuriam inferre moliatur, te magnopere hortamur, ut pro tua virili eosdem Episcopos, et qui eis spiritualiter subiecti sunt, sedulo

¹⁹⁸ Cfr. supra nota 178.

tuearis. Hoc tua virtute, et pietate in primis dignum erit, et nobis valde gratum.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

174.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

N. N. Episcopi rutheni commendantur, Regis absentia durante.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 169.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 171v, nr. 206.

Dilecto filio, nobili viro, N...

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Hoc erit argumento Nobilitati Tuae quam praeclare de tua pietate sentiamus, quod tibi servos Dei, fratres nostros, libenter commendamus. Hi sunt Episcopi rutheni catholici, qui, abiecto perniciose schismate, iam superioribus mensibus ad unitatem, et communionem Romanae Ecclesiae confugerunt, quos paterne amamus, eosque omni quiete frui optamus. Sed quia multae sunt insidia satanae, ne forte per absentiam carissimi filii nostri Sigismundi Regis aliqui eos perturbent, et damni aliquid, aut incommodi eis inferre moliantur, ob eam causam te magnopere hortamur, ut si opus fuerit, eosdem catholicos Episcopos, eorumque clerum, et populum pro tua virili parte ab omni iniuria tuearis; id Dei acceptum, tuaque virtute dignum erit, et nobis valde gratum.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

175.

Ferrariae, 29 . VII . 1598

Alicui nobili viro polono, a Nuntio Apostolico determinando, Episcopi rutheni catholici commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 30, fol. 171v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 42, fol. 172r, nr. 207.

Dilecto filio, nobili viro, N...

CLEMENS PP. VIII s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Persuasum nobis est de tua pietate, quod erga Episcopos ruthenos catholicos tua sponte egregie sis affectus; et vere a piis omnibus favendi, et

adiuvandi sunt, qui veteri, et perniciose schismate damnato, erroribusque abiectis, ad Ecclesiae, fideique catholicae unitatem redierunt. Itaque ut tanto propensius eis faveas, eos Nobilitati Tuae per litteras nostras diligenter commendamus. Erit nobis valde gratum, si eos hoc praesertim tempore, cum filius noster carissimus Sigismundus Rex a Regno isto aberit, a cuiusvis iniuria pro tua virili tuearis, si quis forte satanae instinctu illis molestiam adhibere conabitur.

Datum Ferrariae, sub Annulo Piscatoris, die 29 Julii 1598, Pontificatus Nostri Anno septimo.

176.

Romae, 11 . I . 1599

Clemens VII novum Nuntium in Poloniam mittendo Metropolitano Chioviensi suam gratiam testificat, et ut in omnibus Nuntio fidem haberet rogat.

ASV, *Ep ad Principes*, vol. 31, fol. 24v-25.

ASV, *Armarium* 44, vol. 43, fol. 28v-29r.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, fol. 271-2, nr. 201.

Venerabili fratri Michaeli, Metropolitano Chioviensi, et totius Russiae.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nulla locorum distantia caritatem disiungit, et nos fraternitatem tuam amamus, et tamquam portionem corporis nostri complectimur in visceribus Jesu Christi, posteaquam pio et salutari consilio rediisti ad Unitatem Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matris, et magistrae una cum Coepiscopis tuis, qui lucem illam Spiritus Sancti acceperunt. Nunc ergo per has litteras nostras, nostri erga te amoris testes, salutamus te paterno affectu, nam per hoc tempus mittimus ad carissimum filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem, et ad Regnum ipsum novum ordinarium Nuntium nostrum, et huius Sanctae Apostolicae Sedis, in qua Deo ita disponente, meritis licet impares, praesidemus. Is autem est unus ex Praelatis nostris domesticis quique in divinis officiis nobis propius assistunt, Venerabilis frater Claudius, Episcopus Regiensis, ex nobili Comitum Rangonum familia natus¹⁹⁹, sed multis praeterea meritis et virtute praestans, quem praeterea valde amamus. Huic fidem Fraternitas Tua in omnibus cumulate habebit, et quae ad Dei gloriam et animarum utilitatem, et catholicae fidei amplificationem in tua ista natione pertinere intellexeris, poteris multa cum fiducia cum eo communicari; nam ope, opera, et omni officii genere, quantum cum Domino poterit, tibi adiumento erit, ut in vinea ista excolenda fructuosius, benediciente Domino, labores. Age igitur frater, vigila super gregem tibi creditum, illudque intra Domini ovile fideliter retine, hoc est in unione cum hac

¹⁹⁹ Claudio Rangoni, Nuntius Varsaviensis (1599-1606).

Sancta Sede, ut simul cum illis aeterna gaudia consequaris, et nos tibi, et clero, ac populo tuo fideli Apostolicam nostram benedictionem impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XI Januarii MDCIX, Pontificatus Nostri Anno octavo.

177.

Romae, 11 . I . 1599

Novus Nuntius Apostolicus Episcopo Volodimiriensi, Hypatio Potij, commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 31, fol. 25v-26.
ASV, *Armarium* 44, vol. 43, fol. 29v.

Venerabili Fratri Hipatio, Episcopo Vuladimirensi, et Brestensi.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qua semel Fraternitatem tuam praesentem caritate complexi sumus, eamdem sincero corde retinemus, tuique memores sumus, et te bene valere, et in ista Episcopali vocatione, qua Deo servis, feliciter agere optamus. Nunc autem nostri amoris testes litteras ad te damus, opportuna occasione invitati. Novum enim Nuntium mittimus in Polonię, qui apud carissimum filium nostrum Sigismundum Regem, et Regnum ipsum, ordinarium illud munus gerat, nostro et huius Sanctae Apostolicae Sedis nomine, in qua humilitatem nostram divina bonitas praesidere voluit. Is autem est Venerabilis frater Claudius, Episcopus Regiensis, ex Comitibus Rangonis, quae familia in primis nobilis habetur. Idem praeterea Praelatus noster domesticus est, et Assistentis, nobisque ob spectatam virtutem, et pietatem valde carus, cui ut fidem cumulatam habeas, non secus ac nobis ipsis a te petimus. Tu vero, frater, attende, ut facere te confidimus, tibi ipsi, et gregi tibi credito, et pasce eum verbo, et exemplo, memor coniunctionis, quam in spiritu caritatis Christi habes nobiscum, et cum hac Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre, et magistra, quam unitatem quo magis conatus fueris retinere, et ad eam quam plurimos, Deo iuvante, adducere, eo maiorem tibi ipsi in terris laudem, et in Caelo premia comparabis.

Datum ut supra.

178.

Romae, 11 . I . 1599

Episcopo Luceoriensi Cyrillo novus Nuntius Apostolicus commendatur, ipse que invitatur, ut Unionem propagare non cessen.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 31, fol. 26rv.
ASV, *Armarium* 44, vol. 43, fol. 30rv.

Venerabili fratri Cirillo, Episcopo Luceoriensi, et Ostrogiensi.

CLEMENS PP. VIII s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gaudium illud spirituale, quod eo tempore cepimus, quo Metropolita, et Episcopi aliquot rutheni, fratres nostri in Christo, Spiritus Sancti luce collustrati, ad unitatem Sanctae Romanae Catholicae Ecclesiae venerunt, perpetuo retinemus, et conservamus, et eos qui in sancto illo negotio pie laborarunt praecipuo amoris affectu prosequimur. Itaque Fraternitatem Tuam eo in primis nomine paterne amamus, tuique memores in Domino sumus, et nostrae erga te propensionis, et voluntatis testes, has ad te litteras damus, quas te omni cum reverentia accepturum non dubitamus, propter honorem Beatissimi Apostolorum Principis Petri, cuius locum, et sedem, meritis licet impares, Deo auctore, tenemus. Scribendi autem ea occasio est, quod novum nostrum, et eiusdem Sedis Apostolicae Nuntium mittimus in Poloniam, ut apud carissimum filium nostrum Sigismundum Regem Regnumque ipsum eo ordinario munere fungatur. Is autem est Venerabilis frater Claudius, Episcopus Regiensis, Praelatus noster domesticus, et Assistens, virtute sua et maiorum etiam nobilitate praestans. Est enim ex pernibili Comitum Rangonum familia, quem merito suo valde amamus. Huic nostro (f. 30v). Apostolico Nuntio fidem in omnibus habebis, perinde ac nobis ipsis haberes. Quod reliquum est, frater, vigila super gregem fidei tuae creditum, et pasce illum vitae exemplo et pabulo salutaris doctrinae, ut, Dei gratia adiutus, in eadem Unitate Ecclesiae Sanctae Catholicae, et Apostolicae illum retineas, et ad pascua aeterna perducas.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XI Januarii MDXCIX, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

179.

Romae, 11 . I . 1599

Novus Nuntius Apostolicus Janusio, Ostrogiae Duci, commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 31, fol. 28rv.

ASV, *Armarium* 44, vol. 43, fol. 31rv.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio, Duci Ostrogiae, Castellano Cracoviensi²⁰⁰.

CLEMENS PP. VIII s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Amamus Nobilitatem Tuam sincero affectu, et te vicissim erga nos, et hanc Sanctam Sedem, in qua immeriti praesidemus, animo in primis devoto esse, plane scimus. Itaque has ad te libenter litteras damus, amoris nostri testes (f. 31v), quas tibi reddet novus noster Apostolicus Nuntius, quem ad carissimum filium nostrum Sigismundum Regem, et Regnum ipsum Polo-

²⁰⁰ Cfr. supra nota 178.

niae mittimus. Is autem est ex Praelatis nostris domesticis, et Assistantibus, nobis in primis carus, Venerabilis frater Claudius, Episcopus Regiensis, et Comitum Rangonum nobilitate, ex qua est familia, et suis virtutibus praestans. Ex eo caetera intelliges, quae te scire volumus, cui propterea fidem omnem habebis, et in eo praesentium, quod ad nostram erga te propensam voluntatem pertinet, quam tibi, ubi usus venerit, rebus ipsis, quantum cum Domino poterimus, amanter comprobabimus.

Datum ut supra.

180.

Romae, 3 . IV . 1599

Rex Poloniae adhortatur, ut Unionem Ruthenorum contra hostes protegat, et Episcopis privilegia promissa concedat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 31, fol. 172v-173v.

ASV, *Armarium* 44, vol. 43, fol. 167r-168r.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 272, nr. 202 a.

Carissimo in Christo filio nostro, Sigismundo, Poloniae
et Suetiae Regi Illustri

CLEMENS PP. VIII s. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non ignorat Maiestas Tua, quanto paternae caritatis affectu receperimus Episcopos Nationis Ruthenae, qui pernicioso schismate, ceterisque erroribus reiectis ad gremium catholicae, et Apostolicae Ecclesiae redierunt, quos etiam eodem tempore tibi accurate commendavimus. Amamus enim illos, ut fratres venerabiles, et ut membra nostra in Christo; et certe quasi novella plantatio omnibus humanitatis officiis est irriganda, ut in fide, et unitate firmiter coalescat. Quare iterum, et saepius eos tibi (f. 167v) commendamus, atque a te magnopere petimus, ut quae pacta, et conventa sunt, rite, et recte quaeque eis promissa sunt, cum ad hanc salutarem Unionem accesserunt, ea et a te observentur, et a ceteris observanda cures. Hoc enim et aequum est, et tua pietas id postulat, et Christianae Reipublicae utilitas ad catholicam fidem propagandam merito requirit. Et quia satanas non cessat, ut audimus, circumire, si quomodo tritico Domini zizania superseminet, atque admiscat, et tantum bonum sua astutia imminuat, Maiestatem Tuam etiam, atque etiam hortamur, et requirimus, ut omnem diligentiam adhibeas, ne Haeretici, et Schismatici aliquid contra sanctam hanc Ruthenorum cum Romana Catholica Ecclesia unionem moliri possint. Quod si id tentare ausi fuerint, ut certe eos audere non dubitamus, tua auctoritate, et iustis poenis coercentur. Tum etiam pro tua prudentia pervigila ne Episcopi schismatici, qui clam ad regiones istas ditionis tuae a Patriarcha Constantinopolitano, ut relatum est nobis, mittuntur, plebem perturbent, neve occultas seditiones excident (f. 168), magno fidei catholicae, et animarum illarum detimento. Vides rei gravitatem, agitur Dei honorem et multorum aeterna salus. Hoc nobis

cordi est, maxime optamus, ut tu quoque in eamdem curam sedulo incumbas, ne fraude, atque insidiis satanae, et ministrorum eius ii qui nobiscum, singulari Dei dono, unum corpus in Christo sunt effecti, ullo modo vexentur, et in aliquod discrimen incurant. Erit hoc Maiestati Tuae ad paeclarum meritum apud Deum, et nobis quoque pergratum facies, qui te ut filium carissimum unice amamus, Tibique Apostolicam benedictionem nostram toto ex animo impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3 Aprilis 1599, Pontificatus Nostri Anno octavo.

181.

Romae, 10 . VII . 1599

Regi Poloniae commendantur Rutheni uniti, ut eis privilegia promissa procurare curet, et contra impetus Schismaticorum defendat.

ASV, *Armarium* 44, vol. 43, fol. 154.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 272-3, nr. 202 b.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Novimus nos quidem pietatem Maiestatis Tuae et zelum divini honoris nobisque persuademos, ubi de gloria Dei et animarum salute et Catholicae Religionis propagatione agatur, te sponte tua per illius gratiam, in cuius manu sunt corda Regum, ita incensum esse, ut cohortationis nostrae stimulis non indigeas. Sic enim te docet, fili carissime, toto cordis ardore Deo fideliter servire, qui te tot donis cumulavit, et coronavit te in misericordia et miserationibus suis. Sed nos pastoralis officii nostri cura urget, et Ven. fratres ruthenos Episcopos, qui se in sinum Catholicae et Apostolicae Ecclesiae Spiritus Sancti instinctu coniecerunt, tanto caritatis affectu complectimur in visceribus Iesu Christi, ut de illorum quiete, dignitate et commodis non valde solliciti esse non possimus.

Audimus enim, et multa cum molestia audimus, malorum omnium architectum Satanam huic Sanctae Unioni infensum miris modis vexare Episcopos illos, qui pernicioso schismate damnato Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiastum caput, matrem et magistrum agnoverunt et professi sunt, et per idoneos impietatis ministros multa moliri et omnem machinationem movere, si quo modo salutiferam unitatem recenter conglomeratam labefactare possit, sed confidimus in Dei clementia et in tuae etiam Maiestatis virtute et catholici animi magnitudine, quod portae inferi adversus causam Dei et servorum eius non praevalebunt; tametsi illud, quod ad nos affertur, valde acerbum est, Venerabilem fratrem Metropolitam Ruthenorum catholicorum a viro nobili Regni istius, ut cuidam Abbati schismatico gratificaretur, bonis fere omnibus et possessionibus spoliatum esse, quod nullo modo a te est ferendum.

Quamobrem, quod aliis quoque litteris nostris fecimus, Maiestatem tuam etiam atque etiam hortamus atque a te efficaciter petimus, ut propter gloriam Dei et fidem Christi Domini et, propter Sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam carissimam, et nostraem commendationis intuitu catholicos ruthenos Episcopos habeas quam commendatissimos, neve eos a quoquam iniuria affici patiaris, sed eos tua regali gratia foveas, adiuves, omnique denique ratione Sanctae Unionis nexum, Deo iuvante, adstringas, et eos, qui illum dissolvere impie concupiscent, pio zelo commotus coerces, curesque, ut quae illis promissa fuere, in primis de loco senatorio, de clericorum privilegiis, quibus caeteri catholici clerici et presbyteri in Regno tuo isto fruuntur, et caeterae conditiones re ipsa observentur, ut ius et aequum postulat, et multa certe cum propensione et cumulata mensura, ut novella Christi plantatio tua et aliorum beneficentia irrigata crescat ad laudem Dei, quin etiam ad tuam ipsius, fili Rex. Nihil enim te dignius et Deo gratius facere potes, ne quid interea de nobis ipsis dicamus, quibus id erit plane gratissimum, quemadmodum Ven. frater Episcopus Regiensis, noster Apostolicus Nuntius, pluribus verbis testabitur Maiestati Tuae, cui cum nostra Apostolica benedictione summam a Deo felicitatem toto ex animo precamur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die X Iulii MDXCIX, Pontificatus Nostri Anno octavo.

182.

Romae, 5 . II . 1600

Clemens VIII Sigismundo Poloniae Regi difficultates in provisione Metropoliae Kioviensis p[re]ae oculis ponit, earumque solutionem a Rege propositam acceptat, et brevi Metropolitanam Sedem provisam fore promittit.

ASV, *Armarium* 44, vol. 44, fol. 64v-65r. nr. 72.
THEINER A., *op. cit.*, III, p. 274, nr. 205.

Carissimo in Christo Filio nostro Sigismundo, Poloniae,
et Sueciae Regi Illustri

CLEMENS PAPA VIII-s. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vera narrat Maiestas T. de Venerabilis fratris Hipatii Episcopi Vulodimiriensi rutheni insigni pietate, et pastorali vigilantia ac pio quodam ac ferventi zelo salutaris istius Unionis conservandae, ac propagandae, quae Spiritu Sancto auctore, tanta cum Tua et Nostra, bonorumque omnium spirituali voluptate conciliata est, multa etiam cum ipsis Hipatii laude, quem nos amamus plurimum, et complectimur in visceribus caritatis Christi. Itaque probavimus valde consilium Maiestatis Tuae, ut is Metropolitanae Ecclesiae Chioviensi nationis eiusdem ruthenae (f. 65), quae Ecclesia Pastoris solatio orbata est, nostra Apostolica auctoritate praeficiatur; quae iam multo antea esset effectum, nisi ea, ut nosti, deliberatio moram attulisset, quem-

admodum Episcopo consuleretur, ne ex dimissione prioris Ecclesiam nimium detrimentum pateretur, et ut loci ac muneris Archiepiscopalis dignitatem decenter sustinere posset. Nunc autem libenter audivimus placuisse eam rationem, ut certa annua pensio super fructibus prioris Ecclesiae ei reservetur, atque ita ad Metropolitanam transferatur, quod certe nobis gratum accidit, quodque, si is modus non successisset, alia etiam non defuisset via, qua ad id, quod cupiebamus perveniretur; pro nostra enim erga Maiestatem et Episcopum ipsum propensa voluntate valde expectabamus, quodvis impedimenti removere, ut primariae Ecclesiae tam idoneus, et benemeritus Archiepiscopus praeficiatur. Nunc ergo, benedicente Domino, negotium huius praefectionis promoveri et quam brevissime fieri poterit, ex Tuae Maiestatis desiderio expediri mandabimus²⁰¹.

Nihil est autem cur tarditatem respondendi geminis literis tuis excusemus, quas superiori Augusto mense ad nos hac de re dedisti; causam enim plane vides et probas. Hac autem oblata occasione Hipatium ipsum Episcopum et caeteros, et totius Sanctae Unionis causam Maiestati Tuae enixe commendamus. Tibi, fili carissime, intimo quo solemus amoris affectu omnem a Deo optimo felicitatem precamur, et paternam atque Apostolicam benedictionem nostram toto ore, animo impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die V Februarii Anno Jubilaei MDC, etc.

183.

Romae, 28 . VII . 1600

Dispensatio Benedicti Wojna a defectu ex schismate parentum ad effectum obtinendi munus consecrationis in Episcopum Vilnen.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 299, fol. 24rv.

Dilecto filio Benedicto Vojna, Clerico Vilnensi²⁰².

CLEMENS PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc.

Catholicae religionis zelus, literarum scientia, vitaeque ac morum honestas, aliaque probitatis ac virtutum merita, super quibus apud Nos fidei digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratis libenter prosequamur. Te igitur a quibusvis ecclesiasticis etc. censemtes Motu

²⁰¹ Bulla provisionis expedita fuit die 15.XI.1600. Cfr. infra.

²⁰² Mathiae Wojna, Castellani Mstislaviensis filius primogenitus. Studuit primum Vilnae apud PP. Soc. Jesu, dein Pataviae, demum Romae studia theologica absolvit, et sacerdos ordinatus est. Ab anno 1576 parochus Trocensis; duabus vicibus dioecesim Vilnensem administrabat, et cum Georgio Radziwill, Cardinali optime collaborabat. Dein an. 1600 et ipse nominatus fuit Episcopus Vilnensis. Erat optimus Episcopus et dioecesis administrator, quam visitationibus et Synodis dioecesanis reformavit. Morbo affectus, venit in Italianam et Pataviae obiit die 22.X.1615. Sepultus est Vilnae in ecclesia cathedrali. Cfr. Enc. Pow., vol. 27, p. 642, p. 642-3. Ut ex nostro patet documento origine erat Ruthenus (Alborussus vel Ucrainus).

proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra deque Apostoliceae potestatis plenitudine, tecum qui ex parentibus ruthenis, Schismaticis, et in schismate natus, et educatus fuisti, postea vero catholicam fidem receperisti, ac Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae gremio restitutus, catholicam fidem huiusmodi constanter retines, super huiusmodi defectu, ita ut illo non obstante ad omnes etiam sacros et praesbyteratus ordines, si nondum promotus (f. 24v) existis, promoveri, ac quaecunque ac qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, si tibi canonice conferantur, aut eligaris, praesenteris, et assumaris ad ea, ac instituaris in eis, recipere, et quoad vixeris, et dummodo simul plena non sint, quamque a Concilio Tridentino permittuntur, retinere, nec non cuicunque cathedrali, aut Metropolitanae Ecclesiae in Episcopum, vel Archiepiscopum praefici, et praeesse libere, et licite possis, et valeas, auctoritate Apostolica tenore praesentium dispensamus, tibique concedimus, et indulgemus. Non obstantibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 28 Julii 1600, Anno nono.

M. Vestrius Barbianus
Cajetanus Amatus

184.

Romae, 9 . IX . 1600

*Gratulatur Episcopo Vilnensi de suscepto regimine suae Eparchiae eique
Unitos eorumque Seminarium Vilnae erigendum commendat.*

ASV, *Armarium* 44, vol. 44, fol. 233.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 275-6, nr. 207.

Venerabili fratri Benedicto Voina, electo Episcopo Vilnensi.

CLEMENS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Nulla re magis cor nostrum in Dei benignitate exultat, quam cum insignibus Ecclesiis bonos Episcopos, Deo auctore, praeficimus. Tuam vero Fraternitatem Vilnensis Ecclesiae pastorem et Episcopum fecimus, multa certe cum voluptate, quod de tua virtute, pietate, conditione praeclare semper censerimus, et in eo quoque plurimum tribuentes gravi de te iudicio ac testimonio carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae Regis. Sic autem de te nobis pollicemur fore, ut Dei gratia adiutrice utriusque nostrum expectationi egregie respondeas, quod tanto magis speramus, quia in iis litteris, quas ad nos dedisti et oneris gravitatem agnoscis angelicis humeris formidandi, et de te ipso tuisque viribus diffidens in Dei clementia eiusque ope fiduciam tuam reponis. Haec firma et solida sunt praeclarci aedificii fundamenta. Esto igitur bono animo, fili, in verbo Dei et nostro ingredere in sanctam vocationem tuam, et pone manum ad aratrum ad excolendum agrum istum, et is, qui humilibus dat gratiam, tibi adiumento erit. Vides quam latus tibi campus propositus sit ad pastorales virtutes exercendas, et quanto-

pere Ecclesia ista quibusdam veluti fluctibus iactata caritatem et vigilantiam tuam requirat, ut tandem aliquando in ea pace Christi conquiescat, quae exuperat omnem sensum. Insta ergo verbo, doctrina, exemplo, ut benedicente Domino de servo fideli ac prudenti laborante, et fides catholica in ista Ecclesia et diocesi propagetur et divinus cultus augeatur, et cleri disciplina eluceat et populi devotione magis inardescat.

Commendamus autem tibi toto animi affectu Ruthenorum unionem adeo salutarem, adeo Deo gratam, ad quam retinendam atque augendam, et ut ubiores in dies pietatis fructus edat, nihil, ut tu pro tua prudentia intelligis, aptius aut accommodatus esse potest, quam ut Ruthenorum communitati Collegium Vilnae erigatur²⁰³. Scimus Fraternitatem Tuam ultro optime affectum esse erga eiusmodi Collegii erectionem, fac ergo, ut opus quamprimum extet, praesertim cum opportune parati adsint sepositi Ecclesiae fructus ex superiorum annorum vacatione, quo etiam praesidio suffulta pietas tua multa valde opportuna ad Dei gloriam et animarum utilitatem efficere poterit, et te certe effecturum de tuo divini honoris et salutis animarum zelo plane in Domino confidimus. Sed quod ad celerem Ruthenici Collegii erectionem pertinet, illud tibi nominatum commendamus.

Fuit etiam ante annos complures Vilnae iussi nostro sacerdos pius et prudens, Alexander Cumuleus, qui cum Ecclesiae illius visitationem obiret, multa utiliter et salutariter decrevit, ea Decreta tua diligentia et pastorali sedulitate in mores induci et re ipsa effici valde optamus, denique vineam illam multa cultura indigentem tua solerti cultura quam diligentissime excoli et conservari percupimus, ut fructus Deo gratissimos producat; si qua vero in re nostra Apostolica auctoritate opus fuerit, ea tibi pro nostri muneric officio et paterno in te amore parata tibi erit, tum etiam nostrum Apostolicum Nuntium, Venerabilem fratrem Episcopum Regiensem²⁰⁴, praestanti virtute Antistitem, propensum ad opus Dei promovendum adiutorem, ubi usus venerit, habebis, ut coniunctis simul studiis Deo eiusque Ecclesiae omnes serviamus. Tibi interea, ut ad munus tuum exequendum divinae gratiae auxilio magis magisque roboreris, nostram Apostolicam benedictionem amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die 9 Septembbris, Anno Iubilaei 1600. Pontificatus Nostri Anno nono.

185.

Romae, 15 . XI . 1600

Bulla provisionis Ecclesiae metropolitanae Kiovensis in persona Episcopi Volodimiriensis, Hypatii Potij.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 377, fol. 198-200v.

²⁰³ Huius rei causa etiam Petrus Arcudi, sacerdos Collegii Graecorum de Urbe Vilnam venit. Ut videtur, Collegium hoc anno 1600 in suis iam initiis erat. Cfr. R. HOLOWACKYJ, *De Seminario Vilnensi SS. Trinitatis annis 1600-1621*, Romae 1950 (Dissertatio).

²⁰⁴ Claudio Rangoni (1599-1606).

Pro Hipatio²⁰⁵ olim Episcopo Wladimirien et Bresten.
Provisio Ecclesiarum Chiovien et Halicien.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Hipatio Episcopo Wladimirien et Bresten, in Archiepiscopum Chiovien, et Halicien electo salutem etc.

Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinacionem suscipiunt universa supereminenter Apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus constituti ad universas orbis Ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, ac pro earum statu feliciter dirigendo Apostolici favoris auxilium adhibeamus, sed de illis propensius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum viri praeſificantur idonei, qui commissos sibi per suas circumspectionem providam, et providentiam circumspectam salubriter dirigant, et intorment, ac bona Ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed et multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium tunc vacantium, et in antea vacatarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum, et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Postmodum vero Chiovien. et Halicien. Ecclesiis invicem unitis, quae Graecos ritus sequuntur, ac quibus bo.me. Michael Rahossa Archiepiscopus Chiovien., et Halicien., dum viveret, praesidebat per obitum dicti Michaelis Archiepiscopi qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destitutis, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relibus intellecta ad provisionem earundem Ecclesiarum celerem, et felicem, de quibus nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit, sive potest reservatione, et decreto obsistentibus supradictis ne Ecclesiae ipsae longae vacationis expellantur incommodis paternis, et solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eisdem Ecclesiis personam utilem, et etiam fructuosam cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Episcopum Wladimirensem, et Bresten. consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus insignivit, et quod tu, qui Wladimirien., et Bresten. Ecclesiis invicem unitis hactenus laudabiliter praefuisti, easdem Ecclesias Chiovien., et Halicien. scies, voles, et poteris, auctore Domino, etiam una cum Wladimirien., et Bresten. Ecclesiis praedictis salubriter regere, et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis;

²⁰⁵ Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis et Brestensis (1591-1613), Legatus Hierarchiae Ruthenae Romanam ad unionem ecclesiasticam ineundam. Dein an. 1600 nominatus Metropolita Kioviensis totiusque Russiae, Unionem confirmavit et in Provincia sua ecclesiastica constabilivit. Anno 1609 non Uniti in vitam eius Vilnae attendarunt. Tandem anno 1613 Unionis ecclesiasticae indefessus defensor die 18 Julii obiit. Multa etiam scripsit opera in defensionem fidei catholicae et Unionis Ruthenorum, quorum aliqua perierunt aliqua vero typis mandata erant. Extat etiam collectio sermonum eius et homiliarum: *Kazania i Homilije Hip. Pocieja z dolaczeniem listu Melecyusza Patryarchy alexandryjskiego z odpowiedzia Hipacyjusza*, in traductione ex lingua ruthenica in polonicam Leonis Kiška, Supraslji 1714, ed II, ed. vero III Počajoviae 1788, Cfr. Enc. Powszechna, vol 20, p. 873-4; Enc. Cattolica, vol. IX, p. 1857, Città del Vaticano (1952); A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa...*, Torino 1948, secundum indicem nominum. Multa etiam scripta fuerunt an. 1913, in occasione commemorationis tertii ab eius morte saeculi.

quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis ex quavis re etc. censentes, Chiovien., et Halicien. Ecclesiis praedictis de persona tua nobis, et ipsis fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate providemus, teque illis in Archiepiscopum praefecimus, et Pastorem, curam et administrationem ipsarum Ecclesiarum Chiovien., et Halicien. tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias, et largitur premia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praedictae Ecclesiae Chiovien., et Halicien. sub tuo felici gubernio regentur utiliter, et prospere dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipient incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, ipsa curam, et administrationem tu exercere studeas solicite, fideliter, et prudenter, quod ipsae Ecclesiae Chiovien., et Halicien. Gubernatori provido, et fructuoso Administratori gaudeant se commissas, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram, dictaeque Sedis benedictionem, et gratiam exinde ulterius consequi merearis.

Quocirca Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis, ac dilectis filiis Capitulis, et Vassalis earumdem Ecclesiarum Chiovien., et Halicien., nec non Clero, et populo Civitatum, et Dioecesis Chiovien., et Halicien. per Apostolica scripta mandamus, quatenus Suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, ac Capitulum tibi tamquam Patri, et Pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam, et reverentiam debitas, et devotas ita quod mutua inter te, et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et Nos eorum devotionem possumus propterea in Domino merito commendare. Ac Clerus te pro nostra dictaeque Sedis reverentia benigne recipientes, et honorifice pertractantes tua salubria monita, et mandata suscipient humiliter, et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam Patrem, et Pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant ita, ut tu in eos devotionis filios, et ipsi in te per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam, nec non consueta servitia, et jura tibi alias debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Rogamus quoque, et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem Illustrem quatenus te, ac ipsas Ecclesias Chiovien., et Halicien. tuae curae commissas habens pro nostra dictaeque Sedis reverentia propensius commendatas in ampliandis, et conservandis eaurundem Ecclesiarum Chiovien., et Halicien. juribus, sic vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu illius fultus praesidio in credito tibi curae pastoralis officio possis Deo propitio prosperari, ac eidem Sigismundo Regi exinde a Deo perennis vitae premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Ac insuper propter paucitatem personarum idonearum in illis partibus Ruthenorum, qui proximis annis ad gremium, et unionem sanctae Romanae Ecclesiae rediere, attenta quoque notitia, quam habemus tuorum morum, et

probitatis, utque statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decen-
tius tenere valeas Motu proprio etc, non ad tuam, vel alterius pro te nobis
super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, te-
cum quod etiam postquam in vim provisionis, et praefectionis praedictarum
pacificam possessionem seu quasi regiminis, et administrationis Chiovien., et
Halicien. Ecclesiarum praedictarum, ac illarum bonorum, seu maioris par-
tis earum assequutus fueris Wladimirien., et Bresten. Ecclesias praedictas
et invicem unitas, quibus praees simul cum praedictis Chiovien., et Halicien.
Ecclesiis, ut prius, quoad vixeris, retinere, ita ut tu Archiepiscopus Chio-
vien., et Halicien., simulque Wladimirien., et Bresten. Episcopus esse non
desinas, sed dictis Chiovien., et Halicien. Ecclesiis praesidens etiam verus
Episcopus, et Praesul Wladimirien., et Bresten. Ecclesiarum earundem exis-
tens. illarumque singulis praesidere libere, et licite valeas auctoritate praedicta
tenore presentium de specialis dono gratiae dispensamus, decernentes
Wladimirien. et Bresten. Ecclesias praedictas propterea non vacare, irritum
quoque et inane si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter, vel
ignoranter contigerit attentari.

Volumus autem, quod antequam regimini, et administrationi Chiovien.,
et Halicien. Ecclesiarum praedictarum in aliquo te immisceas, in manibus
Venerabilis fratris nostri Claudi, Episcopi Regien., ad praedictum Sigis-
mundum Regem nostri dictaeque Sedis cum potestate legati de latere Nuncii,
nostro, et dictae Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum praes-
tes iuramentum iuxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus introclusa,
ac formam iuramenti huiusmodi a te tunc praestiti nobis de verbo ad ver-
bum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium nuntium
quantocius destinare procures. Nos enim praedicto Claudio Episcopo per
eadem praesentes etiam mandamus quatenus ipse a te recipiat huiusmodi
iuramentum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ
Millesimo sexcentesimo, decimo septimo Kal. Decembris. Pontificatus Nos-
tri Anno nono.

A. Cardinalis Montaltus summator

A. de Alexiis

186.

Romae, 30 . I . 1601

Petrus Potij Hypatii filius, Regi commendatur. ex Urbe rediens.

ASV, *Armarium* 44, vol. 45, fol. 35v-36, nr. 32.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 277, nr. 210a.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

CLEMENS PAPA VIIIIs. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostol.
benedictionem.

Quo tempore ad hanc Almam Urbem venerunt Episcopi rutheni, ut se
tam suo, quam aliorum nomine, a quibus missi fuerant, ad nostram, et huius

Sanctae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matris et magistrae unitatem adiungent, quemadmodum Maiestati Tuae notum est, Nos pro nostro amore magis declarando erga Venerabilem fratrem Hipatium, Episcopum Wladimirensem, nunc Metropolitanum Chioviensem, qui in ea legatione obeunda, totoque negotio praecclare se gessit, Petrum Poceium, eius filium, Romae a parente relictum²⁰⁶, bonae spei adolescentem, nostra impensa hactenus aluimus, et sustentavimus, ut bonis artibus operam daret, et ad pietatem educaretur (f. 36), quod per annos aliquot factum est. Nunc autem idem Petrus a patre revocatus, nostra cum venia in patriam redit. Eadem vero voluntate permoti, quam gerimus erga patrem, et filium, hunc ipsum Petrum Poceium Maiestati T. valde ex animo commendamus, subditum tuum, et praestantis viri, et bene de Regno meriti, tibique apprime grati filium. Sed ut nostra etiam causa tua illum Regia gratia complectaris, et benignitate, ac beneficentia prosequaris, a te petimus. Erit id tua regali magnitudine dignum, et nobis valde gratum, quod etiam Venerabilem fratrem Claudium, Episcopum Regiensem, nostrum apud te Apostolicum Nuntium Maiestati Tuae testificari iussimus.

Datum Romae apud Santum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXX Januarii MDCI. Pontificatus Nostri Anno decimo.

187.

Romae. 30 . I . 1601

Episcopo Cracoviensi Petrus Potij commendatur, ex Urbe rediens.

ASV, *Armarium* 44, vol. 45, fol. 36rv, nr. 33.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 277, nr. 210b.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi²⁰⁷.

CLEMENS PAPA VIIIIs. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fuit Romae annos aliquot studiorum causa dilectus filius Petrus Poceius. Venerabilis fratrī Hipatii Metropolitae nunc Chioviensis filius, qui cum esset Episcopus Wladimirensis ad hanc Almam Urbem legatus venit, a ruthenis Episcopis missus, ut tam suo, quam illorum nomine obedientiam (f. 36v), et unitatem nobiscum, et cum hac Sancta Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre, et magistra profiteretur. In eo autem salutari negotio quam prae-

²⁰⁶ Adamus Hypatius Potij ante suam ad Eparchiam Volodimiriensem et Berestensem evectionem, an. 1591, erat Castellanus Berestensis et Senator Regni. Uxorem habuit Annam Ostrožskyj quae ante an. 1590 obiit. Ex hoc matrimonio filios habuit, inter quos etiam nostrum Petrum, quem an. 1595 Romam proficiens secum conduxit. Unione inita filius eius Romae remansit cum aliquo socio, et sumptibus Clementis VIII studiis operam dabat. Anno 1601 in patriam rediens a Clemente VIII Regi Poloniae commendatus est. Ig. STEBELSKI, *op. cit.*, *Przydatek: Chronologia xiażat Ostrogskich*, p. 1-117.

²⁰⁷ Episcopus Cracoviensis hoc anno erat, ut videtur, iam Bernardus Maciejowski (1601-1608), antea Electus Vilnensis, vel fortasse adhuc Georgius Radziwill († 1600), Cardinalis.

clare se gesserit idem frater noster Hipatius Fraternitati Tuae notum est. Quo factum est, ut nostrum erga illum amorem libenter in filio ostenderemus, quem hic bonis artibus operam dantem sumptu nostro sustentavimus. Nunc autem in patriam patris evocatu redeuntem, et carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi nostris litteris apprime commendavimus, et Tuae quoque Fraternitati amanter commendamus. Multis enim modis, praesertim apud Regem tua ope, et auctoritate illi usui, atque adiumento esse poteris. Scimus a te Hipatium Metropolitanum amari, eademque animi propensione affectum erga Petrum te esse non dubitamus. Pergratum tamen nobis erit, si nostrae etiam commendationis intuitu, multo adhuc propensius illum tua benevolentia complectaris, omniisque, ubi usus venerit, officio prosequaris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXX, Januarii MDCI, Pontificatus Nostri Anno decimo.

188.

Romae, 20 . IV . 1602

Pontifex Episcopum Vilnensem hortatur ne permittat libros contra Calendarium Gregorianum imprimi, vel iam impressos damnari invitat.

ASV, *Armarium* 44, vol. 46, fol. 112-113v, nr. 120.
THEINER A., *op. cit.*, III, p. 278-9, nr. 214.

CLEMENS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Accepimus non mediocri sane cum molestia esse apud vos homines (f. 113) quosdam audaces, et inconsideratos, neque se intra suam mensuram, et modestiae limites continentis, sed plane temeritatis spiritu abductos, qui scribere moliuntur, aut etiam scripserint contra Calendarium Romanum, a piae memoriae Gregorio XIII, praedeces. nostro, promulgatum, quod Grae-gorianum appellatur. Nos autem de tuae fraternitatis zelo, vigilantia et devotione erga nos et hanc Sanctam Apostolicam Sedem, in qua immeriti licet, Deo auctore, praesidemus, ea sentimus quae de optimo Antistite, et divini honoris percupido sunt sentienda; sed tamen pro rei gravitate, et pro nostra pastorali sollicitudine has ad Fraternitatem Tuam literas hoc de genere dare placuit, quibus te magnopere hortamus, et requirimus, ne eiusmodi aliquem perniciosum librum, qui Calendarium Gregorianum quovis modo oppugnetur, Vilnae, aut alibi in tua dioecesi imprimi, edique permittas, aut si fortasse iam editus sit omni studio, et diligentia coerces, dannes, neve ubivis impressum vendatur, habeatur, et legatur cures, et prohibeas, imitesque in eo pietatem Venerabilis fratris nostri (f. 113v) Bernardi, Episcopi Cracoviensis, qui zelo zelans pro Domo Dei, una cum insigni Universitate illa eius-

²⁰⁸ Benedictus Wojna (1600-1615). Cfr. supra nota 202.

modi insanorum hominum audaciam, et scripta venenata sua multa cum laude damnavit, atque prohibuit, cuius zeli et laudis te quoque consortem fore, et speramus et optamus, ut omnes simul unanimes in Dei gloriae eiusque Ecclesiae Catholicae sedulo serviatis. Quibus de rebus etiam ad Fraternitatem Tuam iubemus sribet Venerabilis frater noster, Episcopus Regiensis, noster Apostolicus Nuntius. Interea Fraternitati Tuae ad omne pastoralis officii munus obeundum divinae gratiae abundantiam precamur, tibique nostram Apostolicam benedictionem benigne impetrum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20 Aprilis 1602. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

(Alia copia « minuta », in fol. 188, vol. 55). -

189.

Romae, 26 . IX . 1602

Pontifex filios Ducis de Ostrog, de Urbe, studiis absolutis, redeuntes, Sigismundo Regi Poloniae commendat.

ASV, *Armarium* 44, vol. 46, fol. 266v-267r, nr. 287.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae et Sueciae Regi illustri.

CLEMENS PP. VIII-us. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Libenter testamur Maiestati Tuae quod plane sentimus de duobus nobilibus viris, germanis fratribus, Alexandrae et Constantini Janusii Ducis Ostrogiae filiis²⁰⁹, qui nunc in Poloniā revertuntur. Illos nimirum in hac aula, et veluti orbis terrae quodam theatro, honorifice admodum esse commoratos, ut eorum genus et splendor postulabat, ac nobis cumulate satisfecisse, qui paterne erga eosdem affecti sumus, eosque ob virtutem et illustris animi ornamenta, quibus patris et familiae dignitatem praecclare tuerentur, valde amamus. Quam ob rem eos etiam Maiestati Tuae efficaciter (f. 267) commendamus. Nam etsi non dubitamus eos tibi gratos esse, qui tibi subiecti, tuoque sunt regio nomine addictissimi, quique id multis et suis et maiorum nominibus promerentur. Erit tamen nobis perquam gratum, ut eosdem nobiles, et praestantes iuvenes Maiestas Tua nostro quoque intuitu et libentius videat, et tanto propensiua sua benignitate, et gratia complectatur.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos. sub Annulo Piscatoris, die XVI Septembris 1602. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

(Altera copia in vol. 55, fol. 464. s.d. « minuta »).

²⁰⁹ De quibus nam filiis agitur, non constat, quia Janusius filias tantummodo habuit. IG. STEBELSKI in sua *Chronologia*, et genealogia ducum Ostrogensium nihil nobis haec de re indicat. Cfr. op. cit.: *Przydatek*, p. 76 sq.

190.

Romae, 5 . IV . 1603

Gratiae aguntur Janusio Ostrožskyj pro eius defensione rei catholicae in Comitiis Regni anno 1603.

ASV, *Armarium* 44, vol. 47, fol. 87v-89r.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio, Duci Ostrogiae, Castellano Cracoviensi.

CLEMENS PP. VIII-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea est vera virtutis, et solidae pietatis natura, ut ad praeclare semper tendenti, quo se plures, et maiores difficultates abiiciunt, eo validius obsistat, et illustrius emineat. Itaque nihil (f. 88) miramus Nobilitatis Tuae egregiam pietatem, et generosi ac christiani pectoris constantiam, saepe alias perspectam, in novissimis istis Comitiis insigniter eluxisse, teque causam Dei, et catholicae religionis, et Sanctae Unionis, adversus omnes satanae machinationes, et consilia malignantium, fortiter in primis, et feliciter, Dei adiutrice gratia, propugnasse, ita ut Comitiorum finis, post multas tempestates, et procellas, Catholicis, et piis non mediocrem laetitiae materiam attulerit. Deo igitur immortali qui in eo sperantes, et pro eius gloria laborantes nunquam deserit, in spiritu humilitatis gratias agimus, tuae vero Nobilitati toto ex animo gratulamur, quod vetera merita tua erga Regem, et Regnum, et quod caput est, erga Ecclesiam Sanctam Dei, novo, et magno cumulo adauxeris.

Accepimus enim a Venerabili fratre, et Nuntio nostro Apostolico Claudio, Episcopo Regiensi, quanto fidei ardore et divini honoris zelo, quanta denique animi magnitudine optimam causam ubique defenderis, ac sustinueris, praesertim (f. 88v) Sanctae Unionis ruthenicae, quae quo magis nobis est cordis, tanto magis gaudemus, tantoque ubiores in eadem tuenda pietatis tuae fructus capimus. Quare meritis laudibus Nobilitatem Tuam prosequimur, et currentem ultro nostrae etiam paternae cohortationis stimulis libenter incitamus, ut sic pergas currere nimirum, et eadem ope, opera, studio, et auctoritate tua Catholicam Religionem, et Sanctam Unionem adiuves, et promoveas, et habeas quam commendatissimam. Neque enim malorum omnium Architectus, et princeps tenebrarum facile conquiescit, sed novas semper insidias molitur, cui, fili, resiste fortis in fide, ut perseverantiae laudem, et coronam a iusto iudice in die retributionis accipias. Hoc Deo acceptius, hoc ad tuam perpetuam gloriam illustrius, hoc denique nobis gratius facere nihil potes, qui Nobilitatem Tuam paterno affectu amamus, et in visceribus caritatis Christi gerimus, nostrique amoris testes has ad te litteras dare voluimus, quibus etiam te nostra Apostolica (f. 89) benedictione amanter benedicimus, et tibi a Patre luminum prospera omnia toto ex animo optamus, et precamur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die V. Aprilis 1603, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

191.

Romae, 5 . IV . 1603

Pontifex Leoni Sapihae, Cancellario Lithuaniae, gratias agit pro defensione religionis catholicae et Unionis ruthenae in Comitiis Regni anno 1603.

ASV, *Armarium* 44, vol. 47, fol. 89r-90r.

Dilecto filio, nobili viro, Leoni Sapihae,
Cancellario Lithuaniae.

CLEMENS PAPA VIIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sic antea saepe audiebamus, Nobilitatem Tuam egregiam voluntatem et pietatem praesefere erga omnia, quae ad Dei honorem eiusque catholicam fidem in Regno, et Provinciis istis amplissimis propagandam pertinent, imprimis vero te singulari caritate fovere Nationis Ruthenicae Sanctam Unionem, quae merito cordi nobis est maxime. Sed quo excellentis virtutis, et constantiae, animique divinae ardore incensi, in istis novissimis Comitiis insigne potissimum specimen dederis (f. 89v) tuaque summa cum laude, Dei, et religionis causam fortissime propugnaveris, et nobis, ac Regi, filio nostro carissimo, et Reipublicae summopere gaudemus, et Nobilitati Tuae toto ex animo gratulamur. Perscripsit enim ad nos diligenter Venerabilis frater, et Nuntius noster Apostolicus Claudius, Episcopus Regiensis, quam insigniter pietas, prudentia, et animi tui fortitudo eluxerit in eo Conventu, et quam necessaria profecto fuerit ad multas difficultates superandas, et sathanae astutias et machinationes varias deiiciendas. Quae sane difficultates et antiqui hostis, in hoc praesertim genere multiplices insidiae nobis non sunt ignotae. Itaque, fili, praeclare meritus es de Rege, et de Regno, ac de optima causa. Ac quemadmodum nos Immortali Deo ob felicem Comitiorum eventum gratias egimus, teque in corde nostro et laudavimus, et omnis amoris affectu complexi sumus, ita etiam per has nostras litteras, nostrae in te paternae benevolentia indices, idem tibi significare placuit, tuamque operam Deo, et eius Ecclesiae tam fortiter, et tam utiliter a te praestitam (f. 90) ex intimis sensibus commendamus. Ut vero eamdem animi fortitudinem etiam in posterum retineas tuaque auctoritate Unionem ipsam conserves, et augeas, omnique oblata occasione Dei gloriae servias, non tam a te petimus, quam tibi hoc etiam nomine gratulamur, quod virtus tua, Dei munere, eas radices egit, atque ita animatus es ad pietatis opera promovenda, ut cohortationis nostrae stimulis non indigeas. Sed tamen pro nostra pastorali sollicitudine, atque ut intelligas te nobis rem gratissimam facturum, fidei catholicae Sanctaeque Unionis propagationem tibi etiam, atque etiam commendamus, et quod reliquum est, Nobilitati Tuae nostra Apostolica benedictione amanter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die V Aprilis 1603, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

192.

Romae, 10 . V . 1603

Clemens VIII Regem Poloniae petit, ut si Palatinatus Chioviensis vacare contigerit, habeat rationem personae, quae Unioni Ruthenorum faveret.

ASV, *Armarium* 44, vol. 47, fol. 150v-151.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VIIIIs. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostol. benedictionem.

Veritas salutaris Nationis Rutenicae quantopere nobis corde sit, nihil necesse arbitramur Maiestati Tuae fusius explicare. Agitur de Dei honore, de salute animarum, de fidei catholicae propagatione. Itaque totum hoc negotium Unionis conservandae, et, Dei adiutrice gratia, etiam augendae nobis est antiquissimum, nec dubitamus, eundem Maiestati Tuae esse sensum, cuius (f. 151) egregiam pietatem perspectam habemus. Sed tamen pro rei gravitate nostraque pastorali sollicitudine hanc Unionis causam Maiestati Tuae quam efficacissime commendamus. Et quia etiam scimus, quod Maiestas Tua novit optime, quanti momenti sit ad hanc rem quis Palatinatum Chiovensem geret, propterea valde enixe a te petimus, ubi dignitatis vacatio evenierit, ut in successore deligendo ea diligentia, eaque circumspectio adhibeat, quam Sanctae Unitatis ratio maxime postulat, et quam Maiestatem Tuam pro sua prudentia, et zelo habituram plane in Domino confidimus. Cui interea prospera omnia ex intimis praecordiis optantes, Apostolica nostra benedictione quam amantissime benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Maii 1603, Pontificatus Nostri Anno duoedecimo.

193.

Romae, 9 . VIII . 1603

Datur facultas Nuntio Varsaviensi absolvendi Archimandriam Pečarensem a mensa Metropoliae Kioviensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 336, fol. 38-9.

Venerabili fratri Claudio, Episcopo Regiensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae et Suetiae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio.

CLEMENS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Significavit nobis nuper charissimus in Christo filius noster Sigismundus, Poloniae et Suetiae Rex Illustris, in proximis Regni sui Comitiis ruthenos

Nuntios summa contentione flagitasse, ut Archimandriae seu Abbatiae Pieciarensis unio, quae alias Apostolica nostra auctoritate, ipso Sigismundo Rege petente, mensae archiepiscopali Chioviensi facta fuit²¹⁰, dissolveretur, ac veris Patronis ius suum ad eandem Archimandriam seu Abbatiam restitueretur; ab ipsis Ruthenis Nuntiis demonstratum fuisse, ius patronatus eiusdem Archimandriae seu Abbatiae non ad ipsum Regem, sed ad certas illius ritus familiias omnino pertinere. Et ideo ipsum Sigismundum Regem pro sui Regni tranquillitate maxime cupere, ut unio praefata omnino dissolvatur (f. 38v).

Nos igitur eiusdem Sigismundi Regis petitionibus in praemissis annuere volentes, ac litterarum nostrarum super unione expeditarum, aliarumque desuper confectarum scripturarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eiusdem Sigismundi Regis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut unionem dictae Archimandriae seu Abbatiae Pieciarensis praedictae mensae archiepiscopali Chioviensi seu Ecclesiae Metropolitanae Chioviensi auctoritate Apostolica factam, data tamen eidem mensae, seu Ecclesiae Chioviensi aliqua congrua compensatione arbitrio eiusdem ab eodem Sigismundo Rege assignanda, eadem auctoritate Apostolica dissolvas, ac omnia in pristinum et eum in quo ante unionem praedictam erant statum restituas, reponas, et plenarie reintegres, super quibus tibi plenam et liberam facultatem concedimus, et impartimur.

Ipsum autem Sigismundum Regem in Domino hortamur ut pro sua pietate, et catholicae religionis zelo curet, ut ad Archimandriam seu Abbatiam praefatam (f. 39) nonnisi vir catholicus. et pius per eos ad quos spectat, praesentatur, et instituatur. Non obstantibus praedicta unione aliisque praemissis, ac Apostolicis constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, etc., die IX Augusti 1603, Anno XII.

194.

Romae, 9 . VIII . 1603

Regi Poloniae super facultate absolvendi Archimandriam Pečarensem a Metropolia Kiovensi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 361, fol. 266-267.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae
et Sueiae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VIIIIs. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Quod superioribus diebus cum pro paterna nostra caritate qua Maiestatis Tuae petitiones et pia vota complectimur, tuis litteris ad nos scriptis responderimus, abbunde polliciti fuimus. nos ad eundem Regni tui tuorumque Procerum tranquillitatem, quam nobis summopere commendaveras pro-

²¹⁰ Cfr. supra sub data 4. III. 1596.

pediem concessuros, ut Abbatia seu Archimandria Peciarensis, quae antea rogatu tuo Metropolitanae Ecclesiae Kioviensi a nobis auctoritate Apostolica unita et annexa fuerat, ab eadem primo quoque tempore separaretur, ac pristino suo statui restitueretur, ut Maiestatis Tuae desiderio plane satisfaciamus, id re ipsa libentissime praestitimus. Facultatem igitur ad eam unionem dissolvendam necessariam Venerabili fratri, Episcopo Regiensi, nostro et Sedis Apostolicae apud te Nuntio, nuper impertiti sumus²¹¹, eique nunc praecipimus et mandamus, et litteras nostras Apostolicas super ea re expeditas, et ad ipsum Nuntium missas iuxta formam in illis traditam, quamprimum exequatur.

His vero literis alias adiunximus, quibus Episcopis Regni tui idulsimus modumque praescripsimus in negotiis bellicis et causis criminalibus in Senatu ac Regiis Comitiis ac consiliis sententiam dicendi, quod ut illis absque irregularitatis incursu facere liceret Maiestas etiam Tua a nobis postulaverat, quas literas idem Nuntius noster Maiestati Tuae reddet, iisque de rebus tecum aget, et in primis nostro nomine ea in memoriam Maiestatis Tuae revocabit, quae in dissolutione dictae Archimandriae pro iustitia et pro catholicae fidei (f. 266v) propagatione a Maiestate Tua curare et omnino fieri debere prioribus nostris literis significavimus, qua ad tuam pietatem maxime pertineri iudicamus, cui Nuntio eam fidem quam nobis ipsis habere possis speramus, prout haec et tibi gratissima futura, et optatam Proceribus atque Episcopis Regni tui quietem et conscientiam, securitatem allatura. Interea Deum, bonorum omnium auctorem, assidue precabimus, ut Maiestatem Tuam diu salvam et in columem Regno praesesse velit, ac coelestis suae gratiae dono semper protegatur.

Datum Romae apud S. Mariam, sub Annulo Piscatoris, die 9 Augusti 1603,
Pontificatus Nostri Anno XII.

195.

Romae, 10 . I . 1604

Janusius Dux ab Ostrog consolatur, ut non cadat animo in adversis, quae pati debebat a propinquis suis.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 90h-91r.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 281, nr. 217.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio, Duci ab Ostrog, Castellano Cracoviensi²¹².

CLEMENS PP. VIIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Expedit catholicae fidei veris cultoribus tentari interdum humanis calamitatibus (f. 90v) ne christiana virtus diurnae assuefacta quieti, et tranquillitatis otio delinita debilitetur, atque ad omnes animi motus facile concidat.

²¹¹ Cfr. Breve praecedens.

²¹² Vide *Indicem nominum*.

Veri aeternique boni causa arduarum rerum voluntaria perpessione opus est, cuius vis tanta, ut divinum mereatur promissum: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Vides, fili dilecte, quae sunt Nobilitati Tuae proposita premia, non fragilia, non unius diei, non humana, sed coelum, aeternam beatitudinem, divinarum mentium consotiationem. Vides a quo, a Redemptore nostro, qui viam Dei in veritate docet, ex cuius ore veritatis, quae manet in aeternum. Haec si tu tecum pie reputaveris, nulla res tanti esse poterit, ut te a charitate abstrahat, cuius si praecepta audieris, benefacies is, qui te oderunt. De tuis ad nos rebus cum Venerabilis frater Episcopus Regiensis, noster et Apostolicae Sedis Nuntius, accurate scripserit, sumus tua causa non mediocriter commoti, doleamusque (f. 91) te iniuste vexari ab iis, qui tibi naturae vinculo sunt coniunctiores²¹³. Verum audisti iam quid te christianum hominem oporteat agere, et quo solatio praesentem molestiam levare. Tu mane in charitate, atque adversus humana haec animo esto invicto, atque excelsus. Nostra tibi paterna benevolentia nullo unquam tempore deerit. Firmior ad haec obeunda eris benedictione nostra. Hanc tibi patrio affectu, Apostolica imperitum auctoritate.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Januarii MDCIII, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

196.

Romae, 20 . III . 1604

Rutheni Catholici Archiepiscopo Leopoliensi commendantur.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 154rv.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 282-3, nr. 220.

Venerabili fratri Joanni, Archiepiscopo Leopoliensi²¹⁴.

CLEMENS PP. VIIIs. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quale fuerit nostrum de Tua Fraternitate iudicium ex iis potes colligere, quae a nobis sunt statuta antea de tuo commodo, de tua dignitate. Nunc vero quidquid adiunctum est, totum id tua vigilancia, et probitas acquisivit. Deo accepta haec refr. Nos bonis omnibus debemus omnia, et cum quid virtute praeditis damus, non dedisse, sed accepisse nobis videmur. In quo te exerceas in operibus charitatis latiorem habebis nunc campum. Quamobrem: dilectos filios Ruthenos qui iam cum Romana Ecclesia, et voluntate, et re consentiunt, ut tuearis, et velut tuos ipsos amplectaris, ac iuves tibi mandamus diligenter. Tua in hoc pastoralis (f. 154v) sollicitudo nobis probabitur maxime. Tuam in hoc potissimum auctoritatem exoptamus ut tuo praesidio freti audeant

²¹³ Agitur, ut videtur, de aliquibus dissidiis familiaribus, fortasse etiam in rebus fidei. Nam hoc anno Clemens VIII novum fecit conamen, ut Constantinum Seniorem ad Unionem cum Ecclesia Romana induceret. Cfr. G. MYLANYK, *op. cit.*, p. 244 sq.

²¹⁴ Joannes Zomojski (1603-1614).

tandem palam Catholicam profiteri religionem, qui ne id facerent, ab huius Sanctae Sedis hostibus acerrimis prohibebantur. Quam libenter simus tibi gratificati in iis, quae petebas, cognosces ex tuis, imo ex re ipsa, quae animi in te nostri dabit tibi testimonium certissimum. Dei causam istic ut agas viriliter, et magno animo, benedictione te nostra Apostolica auctoritate communimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XX Martii MDCIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

197.

Romae, 31 . III . 1604

Regem Pontifex hortatur, ut tandem promoveat negotium senatoriale Metropolitae rutheni, quia tum tempora tum voluntates Senatorum nunc negotio huic favent.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 158v-159v.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 283, nr. 221.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VIIIs. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Expedit Tuae Maiestati aequa ac nobis tibi subiectos Ruthenos una et mente, et voce cum Sancta Romana Ecclesia consentire quaque statuta sunt paucis ante annis firmari in dies magis. Elaboratum est maxime a nobis coram voluntatis nostrae ut conciliaremus, summoque id studio sumus consequunti. Nunc quod per Dei gratiam ad communem utilitatem sancitum est oportet nos tueri atque illos arctiore vinculo nobis obstringere. Quod nostra situm est in potestate praestabimus. Tu Dei (f. 159) causae ut adsis te hortamur. Inpraesentia videtur conducere maxime Ruthenorum Metropolitam in senatorium ordinem istius Regni cooptari. Id si fiat omnis disceptatio funditus tolleretur, omnium animi tanto deliniti honore acquiescent. Neque est hoc tempore difficile factu, quod et mortui iam sunt, qui obstabant acerrime, et catholicis senatoribus saecularibus non possit non placere pio viro augeri senatum. Ecclesiasticis vero etiam optandum atque expectandum quod eorum auctoritas firmior erit; plures cum fuerint, qui coniunctis sententiis Catholicam tueantur Religionem. Aliorum voluntates dum perquirimus, atque investigamus, tuae pene sumus obliti. Verum id tibi fore utile supervacaneum est affirmare, cum tu intelligas probe tuo in Regno tibi qui sunt obedientes quique facessant negotium, atque Ecclesiasticos esse tibi semper re, ac ratione obsequentiores. Metropolita eo loco erit contentus, quem ei tribues (f. 159v) postremo Episcopo proximum, nec sedem cuiusque occupabit. Det operam Maiestas Tua nostro huic desiderio, ut satisfiat nostramque erga se paternam agnoscere benevolentiam in iis, quae et tua, et religionis catholicae causa agimus istic studiosissime. Ex Venerabili fratre Episcopo Regensi,

Nuntio nostro, cognosces haec fusius. Tam piam rem agat Tua Maiestas, ut tuam, ut Sedis Apostolicae, ut Dei.

Datum Romae aud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXXI Martii MDCIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

198.

Romae, 3 . IV . 1604

*Clemens VIII Duxem Constantinum invitat, ut Ecclesiae Catholicae nomen daret, et ita a*ll* pacem et prosperitatem Ecclesiae Ruthenae contributionem suam praeberet.*

ASV, *Armarium* 44, vol. 47, fol. 159v-160v.

Nobili viro Constantino, Duci ab Ostrog, Palatino Kioviae²¹⁵.

CLEMENS PP. VIII. Nobilis vir, salutem et divinae gratiae lumen.

Nobilitatis Tuae in Nuntium nostrum Venerabilem fratrem Episcopum Regiensem (f. 160) omni humanitate referta voluntas, in nos ipsos redundat primum. Nos in primis allicit ad te amandum atque ad ea tibi subministranda adiumenta, quae certo scimus animae tuae saluti conducere, quaeque officio nostro pastorali convenienti maxime. De Tua Nobilitate diu iam cum nos sentiamus honorifice, et splendorem familiae tuae magno habeamu; in honore, aequum est te quoque a nostra in te propensione animo non esse alieno. Nihil ab invito volumus extorquere; tua si quid voluntate Sanctae huic accedit Sedi, non nobis, sed Dei accedet Ecclesiae. Ut vestræ mentis et cogitationis cum nostra consentiant de Catholica Religione sententia, elaboramus. Ab singulari amore proficiscitur quod nunc experimur neque ad ipsum hoc privata illa causa impellimur. Publica nos move quies, pax, salus animarum. Sine Nos tui ingenii uti bonitate, et fac sponte quod a te ob Dei gloriam summis Nos petimus precibus (f. 160v), Regni Poloniae efflagitant Proceres, carissimus in Christo filius noster Sigismundus cupit

²¹⁵ Constantinus Ostrožskyj, dux de Ostrog, ex antiqua familia principum uerainorum cum sanguine principum Lithuaniae permixtorum, natus est an. 1526, et baptisatus Ritu Graeco, seu Rutheno, cum nomine Basilius, sed postea vocabatur nomine patris Constantinus. Anno 1553 uxorem duxit Sophiam Tarnowski, Ritus Latini, filiam Castellani Cracoviensis, quo matrimonio etiam possessionem familiae auxit. Ab anno 1559 munus Palatini Kiovensis ad mortem usque obibit. Ex matrimonio cum Sophia Tarnowska tres habuit filios et duas filias: Joannem (Janusium) nat. 1554, † 12.IX.1620, Constantimum († 1588), Elisabeth († 1599), Catherinam (n. 1560, † 3.VIII.1579, Alexandrum (n. 1.VII.1577, † 13. XII. 1603). Iam annis 1580-85 plura colloquia habuit de possibilitate unionis Ecclesiarum. Immo adhuc anno 1593 hac de re cogitabat, sed quando an. 1595 Hierarchia Ruthena Legatos suos Romam misit ad unionem ineundam, ipse intentionem hanc reprobavit. Durante Synodo Berestensi an. 1596 (6-10.X.) ipse cum Nicephoro, Graeco, aliquique suis sequacibus alium Conciliabulum adunavit et duos Episcopos, Peremysliensem et Leopoliensem, ad suas pertraxit partes. Unione promulgata, Constantinus totis viribus eam abolire studebat. Clemens VIII pluribus vicibus eum ad suas pertrahere partes frustra conabatur. Tandem annis confectus anno 1608, die 13 Februarii, vita functus est. Cfr. G. MYLANYK, *op. cit.*, p. 7 sq.

tantopere. Per te nobis perficere liceat, quod ubi erit absolutum tibi aequa, ac nobis iucundissimum est futurum, ut scilicet Ruthena Ecclesia cum Romana coniuncta in unitate spiritus congregetur ad laudem Dei, ad bonorum omnium consolationem, ad tui nominis memoriam perpetuo propagandam.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die III Aprilis MDCIII, Pontificatus Nostri Anno XIII.

199.

Romae, 3 . IV . 1604

Pontifex Romanus Janusio de Ostrog causam Unionis commendat, quia pater eius, Dux Constantinus, coepit ad Unionem inclinari.

ASV, *Armarium 44*, vol. 56, fol. 160v-161v.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio, Duci ab Ostrog,
Castellano Cracoviensi.

CLEMENS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem (f. 161).

Propensum iam cum videamus parentem Tuae Nobilitatis ad confirmandum illud, quod est inter Sanctam hanc Sedem, et Ruthenam Ecclesiam sanctum, non possumus pro sperato beneficio laudare satis tuam in Catholicam Religionem nobis plane perspectam voluntatem. Maximo labore quod coepit est agi, facta facile erit, Deo iuvante, tanti Viri auctoritate si roboretur perpetuamque est res habitura firmitatem communi familiae tuae stabilita praesidio. Tu incumbe in opus quantum potes, atque ad reliquas praeclaras cogitationes tuas sine hanc quoque accedere tua pietate, tua prudentia dignam. Scite ad modum videntur excogitata, quae Tua Nobilitas de filio tuo ad Venerabilem fratrem Episcopum Regiensem, Nuntium nostrum, scripsit, eaque ipsa ad Dei gloriam magna cum tua laude referentur. Patris tui studium in communem causam fove assidue, ut ex sententia cum evenerint omnia, tua erga (f. 161v) Deum eluceat magis pietas, et veneratio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die III Aprilis MDCIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

200.

Romae, 3 . IV . 1604

Episcopo Varmiensi, Pro cancellario Regni, res unionis Ruthenorum commendatur, praesertim occasione melioris Ducis Constantini ad eam dispositionis.

ASV, *Armarium 44*, vol. 56, fol. 161v-162r.

Venerabili fratri Petro, Episcopo Varmiensi²¹⁶,
Regni Poloniae Procancellario.

CLEMENS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magnam spem nobis iniiciunt firmandae cum Ruthenis concordiae tum Ducis Constantini, tum aliorum datae litterae ad Venerabilem Fratrem Episcopum Regiensem, Nuntium nostrum. Quanti momenti res sit, quanta inde speranda bona, et privata et publica Tua novit Fraternitas; tuumque in eo studium scimus (f. 162r) esse eiusmodi, ut firmius et sanctius esse non possit. Carissimo in Christo filio nostro Sigimundo commendamus negotium quam possumus maxima sollicitudine, et cura. Tu nos iuva in eo, quod agitur tam diligenter mandato nostro ad istius Regni amplitudinem propagandam, ad comune Reipublicae Christianae solatium, ad Dei gloriam; concordi animorum consensione evigilare nos oportet, ut id fiat, quod multorum saluti utile erit quodque expediet. Nos causae non deerimus. Tu enitere, ut tantae victoriae palmam tibi ex parte deberi gaudeamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die III Aprilis MDCIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

201.

Romae, 3 . IV . 1604

Castellanus Camenecensis exhortatur, ut incumberet persuadere Duci Constantino ab Ostrog, ut ad Unionem acceleret.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 162v-163r.

Dilecto filio, nobili viro, Jacobo Pretficz, Castellano Camenecensi.

CLEMENS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Optime animatam Tuam Nobilitatem videmus in id quod nos quantum animo conniti possumus, contendimus, ut scilicet Ruthena Ecclesia Sanctae huic Sedi sit in dies coniunctior, atque obsequientior. Te dignam suscepisti procurationem. Quare incumbe in opus toto pectore, nec te sinas a proposito nulla re deterri. Unus tibi exorandus est Dux Constantinus, quem non omnino a nobis abhorrere existimamus; eius animum propensum iam ad pietatem ubi semel coeperis inclinare quocumque volueris, amanter impelles. Tua in eo opera omnium iudicio commendabitur, (f. 163) nobis grata, Deo acceptissima.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die III Aprilis MDCIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

²¹⁶ Petrus Tylicki (1598-1604), translatus ad Sedem Cuiaviensem.

202.

Romae, 7 . VIII . 1604

Imperatori S. Romani Imperii Rudolpho negotium bonorum Janusii Ostrožskyj commendatur.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 288.
THEINER A., *op. cit.*, III, p. 285, nr. 226.

Carissimo in Christo filio nostro Rudolpho²¹⁷, Ungariae et Bohemiae Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS PP. VIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Ducis Ostrogiae Castellani Cracoviensis²¹⁸ res magis nobis curae sunt, quod is nostram promeretur benevolentiam et publice et privatum, cum se praestet in Polonia catholicae religionis defensorem acerrimum. Volumus illum ipsum tuo beneficio tibi nunc quoque valde obligare, idque ille cupit in primis, et tua certe dignus est gratia. Ad eum pertinent iure haereditario Radxinae bona ,quae sunt in Bohemia, et Macoviciana Arx sita in Ungaria. Haec in aliorum potestatem cum venerint atque iniuste, ut asserit, possideantur, pergratum nobis fecerit Tua Maiestas, cui debentur, si mandaverit restitui. Hominis benignam rationem ut habeat Tua Maiestas petimus maiorem in modum, et illum et familiam eius totam tibi ut devincias in perpetuum.

Datum Romae apud S. Marcum etc., die VII Augusti MDCIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

203.

Romae, 23 . X . 1604

Negotium Unionis Ruthenorum tramite Ducis Constantini consequendae Episcopo Luceoriensi commendatur.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 32orv.
THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 285, nr. 227.

Venerabili fratri Martino, Episcopo Luceoriensi²¹⁹.

CLEMENS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Plura praestat Tua Fraternitas ipso initio tui muneris pastoralis, quam quae exigit sui bene gerens negotii, et diligens procurator. Etenim cum tu

²¹⁷ Rudolphus II (1576-1612).

²¹⁸ Agitus de Janusio (Joanne) Ostrožskyj, Castellano Cracoviensi (1584-1620), filio Constantini Basili Ostrožskyj. Cfr. supra nota 215.

²¹⁹ Martinus Szyszkowski (1604-1607), translatus ad Sedem Polocensem (1607-1617), et dein ad Cracoviensem (1617-1630), qua in Sede obiit. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 632, 651, 666.

tuos iam omnes salutaribus imbueris praeceptis, et quod aliorum culpa fuerat neglectum antea, resarcieris, tuum in catholicam religionem studium laudari satis vix potest. Atque angusto tibi cum videaris includi in loco, tuis rite confectis, publicas res curas, eas scilicet, quae ad Ruthenam Ecclesiam pertinent. Magnam spem nobis (f. 320v) inieci fore in dies melius, confidimusque, favente Deo, Sanctae huic Sedi obsequentes futuros, qui se ab ea olim subtraxerunt istis in locis, publico cum incommodo. Qua in re unus tibi exorrandus est Dux Ostrogae, Palatinus Chioiensis, cuius animus (quae eius est in omnes humanitas) non potest a nobis abhorrire. Quem unum ad communem concordiam paululum si inclinaveris, tanta viri in auctoritate facile acquiescerent omnes. Tua opera si quid Sedi accresceret Apostolicae, et nostram, et bonorum omnium tua tibi pietas adiunget benevolentiam.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXIII Octobris MDCHIII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

204.

Romae, 15 . I . 1605

Clemens VIII Duci Constantino Ostrožskyj unionem ecclesiasticam persuadere conatur, eius argumenta et rationes qua refutando qua laudando.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 392r-394r.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 286, nr. 229.

Nobili viro Constantino, Duci Ostrogiae, Palatino Kioviae²²⁰.

CLEMENS PP. VIII. Nobilis vir, salutem, et divinae gratiae lumen.

Vidimus pene coram lectis literis Tuae Nobilitatis quam sit tua erga Nos propensa voluntas, quam ardens in publicam causam studium, ut magna iam spes ostendatur, te fautore, firma, ac rata istic habituros omnes, quae-cumque sunt annis superioribus pie statuta ad Sanctam Unionem stabilendam. Dei quae sunt non sunt humano more tractanda conquisitis verbis, praescripto officio. Ut quisque Spiritus Sancti gratia illuminatur maxime, ita maxime consultit in commune, praestatque quod omnibus utile est, quod-que expedit, neque ullum tempus caret opportunitate agendi recte. Tali im-pulsi spiritu Graeci praesules ad Nos accurrere, tali spiritu Nos excitati, be-nigne eos accepimus, et tu si rem, ut soles, perpendis, accurate invenies tuae plus tributum auctorati nostro de te iudicio, quam ex ea detractum prae-propera, ut tu asseris, festinatione illorum, qui te insciente rude, atque im-politum ad Nos (f. 393) detulerunt Unionis negotium, Apostolica nostra per-poliendum, atque informandum benedictione. Ad congregandos in spiritu Unitatis eos, qui Deo placere student, cum totum Unionis spectat opus, et

²²⁰ Ultimum conamen Clementis VIII, ut Constantinum Ostrožskyj Seniorem ad Unionem ecclesiasticam persuaderet. Cfr. epistolas anni praecedentis, nec non G. MYLANYK, *op. cit.*, p. 244 seq. Epistula praesens est responsum Pontificis ad aliquam epistulam Du-cis ipsius, et bene reddit ea, quae continebantur in epistula Ostrožskyj, quam pree manibus non habemus.

tu id ipsum scribas te olim voluisse, si quispiam alius, nulla causa est cur Tua Nobilitas nolit nunc, quod volueris antea, praesertim cum Tua auctoritate maius in dies habeat momentum, et pondus ad conciliandas hominum voluntates, ad tollendas discordias. De re nova non agitur, sed qua de satis, superque disceptatum est patrum, maiorumque nostrorum memoria, eademque haec et publicis in Conciliis vestris approbantibus tam plane est explicata, ut existimandi secus nullus sit iam relictus locus. In id Tua certe Nobilitas debet hoc tempore incumbere acrius, uni tibi cum tui assentiantur maxime, et consilii capiendi integra sit potestas, ne cum potueris et tibi, et tuis, et toti Christianae Reipublicae prodesse plurimum, minime videaris profuisse, aliorum, quae solet currentes incitare, diligentia retardatus. Quae tu te tecum prudenter cogitas de conservanda utriusque Ecclesiae (f. 393v) dignitate, ea nos quoque cogitavimus antea, ritusque et ceremonias, quas colitis, integras vobis reservavimus, et quaecumque pertinent ad vestram existimationem propagandam, etiam nunc volumus omnia aequa ac tu, ac tui. Verum ut una constantique mente velimus omnes quae sunt ad Dei cultum augendum necessaria, Tuae duntaxat Nobilitatis desideratur consensus. Patriarchas quod constitueris aggredi Antiochenum, et Constantinopolitanum, nec facile, nec brevi in nostram illos deduces sententiam. Operosa res est, et longissimi temporis, quo aetas iam ingravescens non admodum abundat. Atque si placet experiri, quod te assequi posse non diffidis. Principis viri experiamur exemplo ad quod homines ingenium, et mores facile accomodant, hoc est tui. Tu illis faciem paefer ad concordiam, tu illis. Deo iuvante, viam ostende, per quam ambulent, te ipso prius Sanctae huic Sedi plane addicto, dedito, dicato. Id tu tecum si reputas, facis quod virum pium decet. Sed tu interim in Sanctae Romanae Ecclesiae (f. 394) communis matris advola gremium, et nostrum tui ad Nos adventus incredibile desiderium leni perceleri properatione. Nos iam nunc (si pateris) Tuae occurrimus Nobilitati, tuisque quos tecum ducaturus es, exercitum magnum valde bonorum, piorumque hominum, quos omnes Sanctae huic Sedi perpetuum decus atque ornamentum ubi addideris, tuae eximiae pietatis, charitatisque memoriam cum omni posteritate adaequaaberis.

Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis ad rem christianam iuvandam omnia cum referantur consilia, non dubitamus illum tum sua sponte, tum nostro hortatu facturum quicquid publicis conductet rationibus. Tu quam tuis in literis profiteris palam, in nos benevolam, in Sanctam Unionem propensam voluntatem, retinere, et quam habes animo iam conceptam sententiam promove, ut et Tuae Nobilitatis clarissimae familiae tuae nomen vera immortalitate illustretur et nos primarii viri amici opera tantam amplitudinis accessionem Sanctae Sedi Apostolicae nostro tempore adiunctam, una cum coelestibus divinisque choris gaudeamus, triumphemusque in omni vita.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV Januarii MDCV, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

205.

Romae, 15 . I . 1605

Pontifex Duci Ostrogliae, filio, commendat enixe, ut patrem suum ulterius ad Unionem accipiendo disponeret.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 394v-395.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio, Duci Ostrogliae,
Castellano Cracoviensi.

CLEMENS PP. VIIIs. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut in dies bene speremus de Ruthenorum voluntate, faciunt parentis tui literae nobis gratissimae, Tuaeque Nobilitatis quae paternam nostram in vos omnes alunt charitatem quotidie magis, ac magis. Patrem tuum in Sanctam Unionem animo videmus esse propenso, eamque ob causam in primis fit, ut negotium confici posse ex sententia non dubitamus, verum prae studio communis salutis mora omnis nobis molesta est. Quae ille cogitat de Patriarchis Antiocheno, et Constantinopolitano, pii quidem animi sunt argumenta certissima, sed tempore indigent, et diligentia, quae diu rem producent, ultra quam aequum est, et Nos volumus. Tu currentem iam incita, et tuo Sanctae huius Sedis amplificandae perpetuo desiderio nostram tibi omnem vindica benedictionem. Nihil est nobis futurum gratius tua (f. 395) et tuorum in nos propensione. Nihil Tuae Nobilitati optatius nostra, quam nunc tibi impar timur Apostolica benedictione.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV Januarii MDCV, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

206.

Romae, 15 . I . 1605

Res Unionis Ruthenorum. Ducis Constantini in specie. Castellano Camencensi valde commendatur.

ASV, *Armarium* 44, vol. 56, fol. 395rv.


Dilecto filio, nobili viro, Jacobo Pretficz,
Castellano Kamencensi.

CLEMENS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae Tua sperat Nobilitas ac pene pollicetur de voluntate Ducis Ostrogliae, ea ut ille praestet omni tibi elaborandum studio. In eius unius nutu tota res posita est. Confluent certe undique ad Sanctam hanc Sedem, qui

tanti viri nituntur auctoritate, qui multi sunt, eum si noverint Unioni assentire, atque in Romanae Ecclesiae communis Matris gremio acquiescere (f. 395v). Duce ipsum satis iam ad id videmus animatum, sed moram interponit, dum cupit alios in suam deducere sententiam, et nostram spem trahit, quam vellemus ultra. Tu si quid potes (potes autem plurimum) communem causam age, et nostra, quam nunc tibi impartimur utere benedictione ad rem transigendam, ut tuam quoque operam utilem Sanctae huic Sedi fuisse, et sentiant, et fateantur palam boni omnes.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV Januarii MDCV, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

PAULUS V
(16,29.V.1605 — 28.I.1621)

romanus
(Camillus Borghe se)

D O C U M E N T A P A U L I P P . V

207.

Romae, 10 . XII . 1605

Paulus V gratias agit Metropolitae Kioviensi pro litteris gratulatoriis, favorem suum ei repromittit, laudat eius zelum, nec non promittit, Petro Carmelitano res Metropolitae agenti benignas aures praebiturum fore.

ASV, *Armarium* 45, vol. 1, fol. 199rv, nr. 375.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 288-8, nr. 232 a.

Venerabili fratri Hypatio Poceio, Metropolitae Chioviensi¹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quas ad nos scribit Fraternitas Tua alteras dedisse literas haud quaquam accepimus, Statim enim respondissemus, cum quod hoc ipsum exigit a nobis humanitas tua, quae te a nobis gratulandum summum Pontificatum impulit, tum nostra erga te singularis benevolentia. Et quidem nobis multa de zelo Catholicae Religionis, et de observantia tua erga Sanctam hanc Sedem renuntiata sunt, quae in epistula tua aperte cognovimus, et quidem cum ingenti animi nostri laetitia. Quare te summopere diligimus, tibique omnia amoris, et charitatis officia exhibere desideramus. Constantiam, et fortitudinem Fraternitatis Tuae in retinenda dignitate adversus Haereticos, et Schismaticos vehementer laudamus. Quae ut in dies magis splendescant ad divini nominis gloriam in conservanda, ac tuenda Unione cum Ecclesia Sancta Apostolica Romana, omnium aliarum matre (f. 199v), et magistra cupimus. Plane virtus, et probitas tua Deo acceptiores et apud homines splendidiores, quo maioribus periculis, atque difficultatibus exagitabuntur. Nos certe quibuscumque rebus poterimus, semper conatibus, et studiis, ac laboribus tuis officiose favebimus.

Dilectum filium, religiosum virum, Petrum Carmelitanum² de tuis rebus agentem perhumaniter audiemus, sicuti a nobis petis.

Nobili viro Lithuaniae Cancellario diligenter significavimus³, quantum a

¹ Metropolita Kioviensis (1600-1613). Cfr. supra, et *Indicem nominum*.

² Petrus Carmelitanus, dictus a Matre Dei, anno 1608 electus in Superiorum Generalem Carmelitanorum, sed paucis post mensibus obiit.

³ Leoni Sapieha; Cfr. epistulam sequentem.

nobis inierit gratiam ob collata in te beneficia, et ecclesiastica iura in tua causa defensa. Plane viri praeclarissimi religiosum affectum probamus, ipsumque summa in Domino caritate prosequimur. Fraternitatem Tuam precibus suis nostros labores, ut iugiter adiuvet apud Deum rogamus, quam ut ipse Pater misericordiarum in sua pastorali specula vigilantem custodiat oramus, ac simul tibi nostra Apostolica benedictione benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, Quarto Idus Decembris MDCV, Pontificatus Nostri Anno primo.

208.

Romae, 10 . XII . 1605

Gratias agit Cancellario Lithuaniae pro adiutorio Metropolitae Kiovensi praestito in defensione S. Unionis, et aliis piis operibus.

ASV, *Armarium* 45, vol. 1, fol. 199v-200r, nr. 376.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, fol. 289, nr. 232 b.

Dilecto filio, nobili viro, Leoni, Magni Ducatus Lithuaniae Cancellario⁴.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significavit nobis Venerabilis frater Hipatius Poceius, Metropolita Chioviensis, quantopere Nobilitas Tua ipsum gratia, auctoritate, consilio, et opera adiuerit, et ut acerrimus ecclesiasticae libertatis in eo vindex fueris. Retribuat tibi Dominus, dilecte fili, secundum opera tua; nos vero quantum cum Domino poterimus, tibi declarabimus reipsa ubi sese occasio offerat, beneficia abs te in Venerabilem fratrem nostrum collata, uti officia nobis ipsis praestita excepisse. Interea hanc tuam egregiam pietatem laudamus, quam etiam elucere in aliis piis operibus ad gloriam (f. 200) Dei, et ad Religionis Catholicae incrementum intelligimus. Siquidem renuntiatum nobis est, quanta liberalitate, atque religione templa Deo ornaveris, monasteria ad piorum hominum, et Sacrarum Virginum commoditatem amplis proventibus ditaveris, et quam splendidum exemplum christiana virtutis caeteris tui ordinis praeclarissimis viris semper exhibueris. Quare his de causis nostram in te propensam voluntatem arctiori amoris vinculo devinxisti, quemadmodum experimento comperies, quotiescumque opportunitatem nacti fuerimus. Interea nostrum paternum amorem tibi nostris hisce literis significare voluimus, ut alacribus ad praeclare magis de Catholica Religione merendum te inflammaremus. Deus, qui te tanta virtute, atque pietate replevit, te quoque ab omni malo custodiat, et nos tibi Apostolica benedictione nostra cum omni cordis affectu benedicimus.

Datum ut supra.

⁴ Cfr. *Indicem nominum.*

209.

*Romae, 9 . VI . 1606**Gratias agit pro auxiliis Metropolitano Kioviensi praestitis.*ASV, *Armarium* 45, vol. 2, fol. 20rv, nr. 17.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 293, nr. 235.

Dilecto filio, nobili viro, Cancellario Lithuaniae.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanta pietate, atque animi fortitudine suscepereit tuendam Nobilitatem Tua causam Catholicae Religionis Comitiis nuper habitis, utque constanter steteris pro muro domus Dei adversus impetum haereticorum, abunde percepimus. Nam renuntiatum nobis est quicquid non minus generose, ac prudenter, quam (f. 20v) pie egeris pro ecclesiasticae dignitatis conservatione, et pro Catholicorum tutela. Praecipue vero laudamus Nobilitatem Tuam, quod Venerabilem fratrem Metropolitam Ruthenorum protexeris a Schismaticorum insectatione, et Unionem, quam ipse, ac reliqui eiusdem nationis Catholici cum Sancta Romana Ecclesia contraxerunt, religiose, ac fortiter defenderis. Neque enim magis pietatis tuae zelum declarare poteras ad Dei gloriam et ad Ecclesiae Sanctae utilitatem. Propterea noster quoque erga te paternus amor mirifice amplificatus est, quod tibi nunc hisce literis significare voluimus, ut intelligeres, quod quemadmodum summam nos de egregia virtute, ac probitate tua iucunditatem coepimus, ita vehementer cupimus, ut aliqua sese nobis offerat occasio, qua tibi declarare possimus quam ex animo te diligamus, et quanti tua in hanc Sanctam Sedem merita faciamus. Interea cuncta tibi in Domino prospera, et secunda precamur, ac simul te Apostolica benedictione nostra benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, Quinto Idus Junii MDCVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

210.

*Romae, 6 . XI . 1607**Congratulatur cum Duce de eius conversione ad catholicismum. Gratias agit pro beneficiis Ordini Praedicatorum praestitis, nec non suam repromittit benevolentiam.*ASV, *Armarium* 45, vol. 3, fol. 115r-116r, nr. 269.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 296, nr. 242.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecto filio, nobili viro, Georgio, Duci in Visniovec⁵.

⁵ Unus filiorum Michaelis Korybut Vyšneveckyj, castellani Bracлавiensis et dein Kioviensis. Erat postea et filius Castellanus Kioviensis, transiit ad Ritum Latinum, benefactor PP. Praedicatorum et Soc. Jesu. Frater eius Michael remansit non unitus, imo Ecclesiae

Mirificam in Domino laetitiam coepimus tum ex literis iucundissimis, quas a Nobilitate Tua nobis reddidit dilectus filius, religiosus vir, Gregorius Dominicanus, confessarius tuus, quem ad nos misisti, tum ex his, quae de tua a Schismate ad Catholicam Ecclesiam conversione ipse nobis narravit. Facile enim percepire potuimus egregium pietatis affectum, ferventemque zelum, quem excitavit in te per ineffabilem eius misericordiam is, qui ob nimiam erga nos charitatem e sinu Patris aeterni descendit in mundum, ut peccatores ad poenitentiam vocaret, quicque ut veniam delictorum mere-remur accipere (f 115v) obtulit se hostiam immaculatam Deo viventi, factus pro nobis propitiator, atque propitiatio.

Et quidem, dilekte fili, tanto magis gaudemus, quod te ad Matrem tuam amantissimam Sanctam Romanam Ecclesiam receperis, quanto evidenter in te signa divinae vocatione agnoscimus, cum tu quod proprium est christianaee charitatis, non solum de propria, verum etiam de proximorum salute sollicitus sis. Quare libentissime concessimus tibi quicquid pro amplificatione religiosae familiae fratrum Praedicatorum Leopoliensium, Ordinis Sancti Domininci, hac de causa a nobis postulasti, mandavimusque eiusdem Ordinis Praedicatorum Superiori, ut quemadmodum magis expedit, facultatem aedificandae novae ecclesiae, atque monasterii concedat, sicuti etiam de Altari privilegiato in eadem ecclesia erigendo ad fidelium animas iuvandas, quae salutaribus flammis purgantur, tibi gratificati sumus. Excepimus te, fili, in visceribus charitatis nostrae, teque summa in Domino benevolentia complexi sumus, quia speramus fore, ut Dei gloriae, et cultui Catholicae Religionis inserviens magis semper, et magis animam nostram laetifices, et propterea omni genere officii cupimus paternum amorem nostrum tibi patefacere. Quod Nobilitati Tuae significamus, ut fiduciam quam in nobis habeas volumus, firmam indubitatamque reddamus, plane comperies re ipsa quoties se nobis occasio obtulerit, quod te inter chariores filios nostros connumeramus.

Interim fratres Dominicanos, viros pios, filios nostros dilectos, fideles, ac vigilantes operarios, quos nobis commendasti, licet satis illos antea semper amaverimus, tua tamen causa commendatores habebimus, quemadmodum dilectus filius, frater Gregorius in se ipso satis abunde experiri potuit, cui quia vir probus, et prudens nobis visus est, et quia tibi tantopere charus, omnia amoris signa exhibuimus, ut ex ipso intelliges. Qui etiam nostras has literas, et munusculum, indicium paternaee in te nostrae charitatis ad te deferet, quod ob (f. 116v) benedictiones, quibus repletum est, gratum tibi fore confidimus, sicuti gratissima quoque nobis fuerunt munera, quae ad nos misisti.

Benedicimus Nobilitati Tuae cum omni charitatis affectu, teque hortamur ut alaci animo pergas, et in divina confisus bonitate crebro tecum ipse cogitas, eos, qui undecima hora vocati fuerunt eundem mercedem recepisse

Catholicae adversus. Habuit tamen Michael tres filios, quorum ultimus Jeremias-Michael, simul cum fratribus catholicus factus, tempore bellorum cosaticorum (1648-1652) contra insurrectionem populariem insaeviebat, cum damno nominis catholici valde magno. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 27, p. 231.

cum illis, qui prima hora in vineam venerunt; divus est enim in misericordia pater familias, qui nos vocavit, dummodo non negligenter opus nostrum faciamus; ipse enim scrutator est cordium. Quem ut augeat in te donum divinae eius gratiae, ut quotidie in melius progrediatis teque continua protectione custodiat, oramus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, VIII Idus Novembris MDCVII, Pontificatus Nostri Anno tertio.

PETRUS STROZA

211.

Romae, 6 . I . 1608

Paulus V gratias agit Regi pro eius parte in conversione novi Episcopi Leopoliensis rutheni, Eustachii Tyssarovskij.

ASV, *Armarium* 45, vol. 3, fol. 143rv, nr. 341.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex literis Venerabilis fratri Francisci Episcopi Fulginatensis⁶, Nuntii nostri Apostolici apud Maiestatem Tuam, intelleximus, quantum ei profuerit auctoritas tua in procuranda Unione novi Episcopi Leopoliensis cum (f. 143v) hac Sancta Apostolica Sede⁷. De qua re sicuti plurimum Maiestati Tuae debere profitemur, ita summas tibi agimus gratias; et quia tanto zelo laborasti pro dignitate Sanctae Romanae Ecclesiae, matris tuae amantissimae, et quia hoc pio labore adiuvasti salutem multarum animarum quae absque dubio periclitate fuissent sub pastore, qui ab ovili catholico separatus existeret. Quod certe pro nostra universalis gregis Domini sollicitudine nobis maxime cordi est. Retribuat itaque tibi Pater misericordiarum secundum divitias bonitatis suae dignum virtute, ac pietate tua premium, teque diu foelicem, et incolumem servet, et nos, qui pro salute, et tranquillitate tua iugiter oramus, tibi cum omni charitatis affectu benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, VIII Idus Januarii MDCVIII, Pontificatus Nostri Anno tertio.

PETRUS STROZA

⁶ Novus Nuntius Varsaviensis (1606-1611), Franciscus Simonetta.

⁷ Cfr. hac de re documenta originalia in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 553-567. Revera unio haec eparchiae Leopoliensis iam anno proximo naufragavit, quia Eustachius Tysarovskij fidem promissis non tenuit.

212.

Romae, 6 . I . 1608

Gratias agit Regni Poloniae Cancellario pro auxilio in conversione Episcopi Leopoliensis rutheni, Nominati, praestito.

ASV, *Armarium* 45, vol. 3, fol. 134v-144r, nr. 342.

Dilecto filio, nobili viro, Magno Cancellario Regni Poloniae⁸.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Plurimum aucta est nostra erga Nobilitatem Tuam paterna charitas ex his, quae renuntiavit nobis Venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis, Nuntius noster Apostolicus apud charissimum in Christo filium Sigismundum Poloniae Regem, de zelo, atque studio, quo adiuvasti labores eius in procuranda unione novi Episcopi Leopoliensis cum hanc Sancta Apostolica Sede⁹. Nihil certe fecisti, quod nobis non polliceretur pietas et prudentia tua. Multis enim experimentis iam cognoscere abunde potuimus religiosi animi tui affectum erga Sanctam Romanam Eclesiam Matrem tuam amantissimam. Sed quia quod nuper in hoc negotio praestitisti Nuntio nostro, nobis gratissimum fuit, volumus Nobilitatem Tuam debita laude prosequi, ac simul agere tibi gratias de diligentia (f. 144), atque sollicitudine, quibus pro Catholicae Religionis amplificatione laboras. Quod certe ex animo facimus, et per occasionem libenter tibi re ipsa demonstrabimus, quo loco apud nos sint eiusmodi tua officia.

Augeat Dominus in te donum divinae gratiae, et nos tibi peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

213.

Romae, 6 . I . 1608

Consolatur Metropolitam in persecutionibus tempore Comitiorum perpessis, causam suam commendat Regi et Nuntio Apostolico.

ASV, *Armarium* 45, vol. 3, fol. 144rv, nr. 343.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 297, nr. 243.

⁸ Cancellarius Regni Poloniae erat Mathias Pstrokski (1605-1609), Subcancellarius et Episcopus Peremysliensis ab anno 1605. Anno 1608 translatus ad Eparchiam Cuiavensem, et anno 1609 officio Cancellarii resignavit. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. XIII, p. 998.

⁹ Eustachii Tysarovskyj (1607-1641). Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 337; « *Analecta OSM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 553-567.

Venerabili Fratri Hypatio, Metropolitae Chioviensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Confirmet Deus Fraternitatem Tuam in omni opere bono, augeatque quotidie in te donum coelestis gratiae, ut in tantis tribulationibus, quibus te laborare intelligimus, possis constantius, atque fortius semper resistere adversus impetum adversariorum Ecclesiae Sanctae Catholicae, quemadmodum hactenus ad Dei gloriam cum summa virtutis tuae commendatione tecisti. Et quidem cum literas tuas pridie Idus Augusti anni praeteriti ad nos datas legeremus, et quid contra te in Regni Comitiis actum fuerit, ex ipsis cognosceremus, magno animi moerore affecti, manus, mentemque ad Deum extulimus, enixius bonitatem ipsius implorantes, ut aliquando remitteret iram suam, quam tantopere concitatam videmus adversus filios nostros Polonus, nec permitteret amplius florentissimum Regnum illud civilibus contentiobus distrahi. Quod cum iugiter postulaverimus nostris orationibus fecimus sane tunc multo ardenter, quia dolebamus officia nostra pro te occasione huius perniciosa discordiae minus valuisse, quam cupiebamus. Ex animo diligimus te, Venerabilis frater, novimus enim pietatem, et virtutem tuam, et quanta devotione affectus sis huic Sanctae Apostolicae Sedi, et propterea desideramus, quantum cum Domino possumus, sublevare labores tuos; in qua re neque studio, neque diligentiae, neque (f. 144v) labori unquam parceremus. Ad haec maxime solliciti sumus de conservatione unitatis quam cum Sancta Romana Ecclesiae matre vestra amatissima profitemini, pro qua quia te indefessum laborare videmus, studia et conatus tuos adiuvare satagimus. Itaque etsi praesentibus perturbationibus Regni impedientibus non potuerimus praestare tibi omnia auxilia, quae voluissemus, nihilominus nunquam destiterimus afferre Fraternitati Tuae maiorem, quam poterimus opem. Ob id serio praecipimus Nuntio nostro Apostolico apud charissimum in Christo filium nostrum Poloniae Regem, ut causam unionis acriter tueatur, ac praecipue tibi praesto sit in omnibus quibus opera, auxilio, atque auctoritate sua tibi opus erit. Confide in Domino, venerabilis frater, magno, atque erecto animo esto, ac tecum iugiter recognita, Ecclesiam Dei in Sanctorum pressuris, atque tribulationibus fundatam esse, immo in ipsius Redemptoris nostri sanctissima passione, et ex huiuscemodi tribulationibus usque ad diem manifestationis gloriae Dei semper incrementum accepturam, et beati illi, qui persecutionem patiuntur propter illam. Nos autem orationibus nostris nunquam cessabimus commendare te Altissimo, ut clementer respiciat super te, mittatque tibi auxilium de tribulatione, et de Sion tueatur te. Interim benedictionem nostram Apostolicam, quam tantopere a nobis postulasti, Fraternitati Tuae peramanter tribuimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, VIII Idus Januarii MDCVIII, Pontificatus Nostri Anno tertio.

PETRUS STROZA

214.

Rome, 28 . V . 1608

*Episcopos ruthenos Duci ab Ostrog commendat.*ASV, *Armarium* 45, vol. 3, fol. 238v-239r, nr. 567.Dilecto filio, nobili viro, Castellano Cracoviensi¹⁰.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nobilitatem Tuam singulari affectu paterni amoris in Domino prosequimur, nam multa accepimus de zelo pietatis tuae, quae nobis sicut valde iucunda extiterunt, ita magnam habuerunt vim ad conciliandam tibi nostram charitatem. Quod ut magis testemur Nobilitati Tuae, ac simul intelligas, quanti faciamus religionem, atque prudentiam tuam, mandavimus Venerabili fratri Episcopo Fulginatensi, Nuntio nostro Apostolico, ut nostro nomine abs te requireret, velles quibuscunque rebus poteris, poteris autem plurimis, favere venerabilibus fratribus nostris Episcopis ruthenis, qui ad communionem Sanctae Romanae Ecclesiae, matris tuae amantissimae, redierunt. Quae res ob divini nominis cultum, et animarum salutem maxime nobis est cordi, sicuti ex eodem Nuntio nostro intelliges. Et propterea officia tua omnia quae pro tua apud illam nationem auctoritate magnae efficaciae fore speramus gratissima nobis erunt, quorum semper memores erimus, idque per occasionem Nobilitati Tuae ostendemus. Interim tibi cuncta a Domino (f. 239) secunda optamus, et Apostolicam benedictionem nostram peramanter impartimur.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, V. Kal. Junii MDCVIII, Pontificatus Nostri Anno tertio.

PETRUS STROZA

215.

Rome, 10 . VIII . 1608

*Paulus V. Metropolitam Kioviensem Palatino Chioviensi commendat.*ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 48v, nr. 98.Dilecto filio, nobili viro, Palatino Chioviensi¹¹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹⁰ Joanni (Janusio) Ostrožskyj, filio Constantini. Vide *Indicem nominum*.

¹¹ Stanislaus Zółkiewski. Filius Stanislai, Palatini Russiae. Nat. 1547 in Turynka. Postea varia obibat officia, tum civilia tum militaria. Anno 1608, post mortem Constantini Ostrožskyj, nominatus est Palatinus Kioviensis. In pugna contra exercitus Turcarum cecidit anno 1620, die 6 Octobris, prope Cecoram. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 28, p. 1034-1042.

Cum magna animi nostri iucunditate cognovimus ex literis venerabilis fratris Francisci Episcopi Fulginatensis, Nuntii nostri Apostolici apud Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem, Nobilitatem Tuam in omnibus cum publicis, tum privatis actionibus, praeseferre magnum pietatis zelum, et te valde studiosum esse communis boni, atque tranquillitatis, idque potissimum apparuisse in procuranda Regis reconciliacione cum dilecto filio, nobili viro, Palatino Cracoviensi. Multum quidem hac tua virtute, et officiis nostrum paternum amorem tibi devinxisti, quam rem tibi hisce nostris literis significare volumus, ut tanto magis te inflammaremus ad praecellentius semper de Religione Catholica, deque Republica merendum. Et ut re ipsa cognoscas quantum virtuti et prudentiae tuae tribuamus, operam tuam in re, quae nobis valde cordi est, abs te petere volumus. Summopere cupimus ad Dei gloriam, et animarum salutem Ruthenorum coniunctionem cum hac Sancta Apostolica Sede conservare. Commendamus igitur cum omni charitatis affectu Nobilitati Tuae Venerabilem fratre Ruthenorū Metropolitam, et abs te etiam, atque etiam postulamus, ei auxilio, auctoritate, et gratia tua ad sis, quoties opus erit. In qua re gratissimum nobis officium praestabis, cuius semper memores erimus, et per occasionem nostrae erga te peramantis voluntatis signa libenter dabimus. Interim Nobilitati Tuae benedicimus cum omni charitatis affectu.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, IV Idus Augusti MDCVIII. Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

216.

Romae, 10 . VIII . 1608

Palatino Volinensi Metropolita Ruthenorū commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 49r, nr. 99.

Dileto filio, nobili viro, Palatino Voliniensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad pastorale nostrum officium pertinet, omni studio atque diligentia dare operam, ut oviculae Christi Domini preciosissimo sanguine redemptae intra Dominici ovili septa, hoc est, in gremio Ecclesiae Sanctae Catholicae contineantur. Hac de causa valde solliciti sumus de conservatione communionis Ruthenorū cum hac Sancta Apostolica Sede, et quia Venerabilis frater eorum Metropolita officio suo in hac parte satisfacere satagit, multasque ob id difficultates experitur. Propterea efficace praesidium ei afferre cupimus. Quia vero novimus, quantopere illi prodesse possit, si Nobilitas Tua auctoritate, et gratia ei faverit, postulamus abs te, ut nostra causa, imo vero ad Dei gloriam, et Ecclesiae Sanctae Catholicae incrementum eidem Venerabili fratri Metropolitae opitulari velis, sedulo, ac officiose patrocinium eius susci-

pias. Multa nobis de virtute, et pietate tua renuntiata fuerunt, quorum merito te valde diligimus, et in hanc sententiam venimus, ut in re, quae nobis summopere cordi est, operam tuam confidenter exigeremus. Confirmabis igitur egregiam opinionem, quam de te praeclararam concepimus, si, quemadmodum desideramus, Metropolitae necessitatibus in conservanda hac communione subveneris. Idque ut facias te hortamur, et Nobilitati Tuae cum omni charitatis affectu benedicimus.

Datum Romae apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, III Idus Augusti MDCVIII, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

217.

Romae, 10 VIII . 1608

Castellano Crocoviensi, Janusio de Ostrog, Metropolita Kiovensis enixe commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 49v, nr. 100.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Cracoviensi¹².

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Diligenter nos certiores fecit venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis, Nuntius noster Apostolicus, de omnibus officiis, quibus Nobilitas Tua non minori foelicitate, quam prudentia curavit restituere in Regis gratiam dilectum filium, nobilem virum, Palatinum Cracoviensem¹³. Quod certe ut in istius Regni tranquillitate maxime opportunum existimamus, ita nobis magno solatio est, qui de communi vestro bono, atque pace solliciti sumus. Multum igitur te hac de causa amamus, et in tua virtute, atque prudentia semper confidimus. Idque ut melius cognoseas, operam tuam in re, quae nobis maxime cordi est, exigere hoc tempore decrevimus. Conservare omni studio, atque diligentia cupimus communionem Ruthenorum cum hac Sancta Apostolica Sede, et quia venerabilis frater eorum Metropolita eiusdem rei satagit, sed multas difficultates hac de causa patitur. Quia ut accepimus, magno ei usui erit, si auctoritas, gratia, auxiliumque tuum illi accesserit, a Nobilitate Tua etiam, atque etiam postulamus, ut Metropolitae efficaciter faveas, ita ut adiutus a te removere possit impedimenta, quae conservationi huius sanctae communionis adversantur. Mirifice nostram tibi charitatem obstringes omnibus officiis, quibus Metropolitae subvenies, et nos illorum memores erimus, quemadmodum per occasionem experimento comperies.

¹² Janusio Ostrožskyj. Cfr. *Indicem nominum*.

¹³ Zebrzydowski Nicolaus (1553-1620), qui anno 1607 contra Regem Poloniae insurrexit (« Rokosz Zebrzydowskiego »). Cfr. *Ene. Powszechna*, vol. 28, p. 437-444.

Interim Nobilitati Tuae ex animo benedictionem nostram Apostolicam impartimur.

Datum Romae apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, III Idus Augusti MDCVIII, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

218.

Romae, 20 . II . 1609

Gratias agit pro auxilio hucusque Ruthenorum Unioni praestito et petit ut ulterius negotio huic assisteret.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 49v-50r, nr. 344.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Chioviensi¹⁴.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Literas Nobilitatis tuae cum iucunditate legimus, in quibus zelum pietatis, quo apud nos valde commendaris, agnovimus, et fidem, studiumque in Regem tuum, charissimum in Christo filium nostrum. Plurimum te semper dileximus, sed paternus erga te noster amor quotidie magis augebitur, quo te ardentiorem videbimus in procurando communi bono, quod propagatione Catholicae Religionis maxime consistit. Syncero siquidem divini honoris cultu Dei bonitas nobis propitia redditur, a qua omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit. Et propterea Nobilitatem Tuam etiam, atque etiam hortamur, ut Ruthenorum communionem cum hac Sancta Apostolica Sede adiuves, foveas, et quantum in te est, omni studio, atque diligentia magis, ac magis confimes. Iam vero accepimus quanta auctoritate, et gratia valeas apud illam nationem. Deus autem, qui dives est in misericordia retribuet tibi affluenter, et nos nunquam oblivisciemur virtutis, et pietatis tuae, ac per occasionem libenter tibi demonstrabimus, quanti illam faciamus. Interim cum omni charitatis (f. 150) affectu Nobilitati Tuae permanter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, X Kalendas Martii MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

219.

Romae, 20 . III . 1609

Regem hortatur Pontifex, ut Nuntio Apostolico aures praeberet in rebus quae ad Religionem Catholicam eiusque propagationem spectant.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 155v-156r, nr. 362.

¹⁴ Stanislaw Zolkiewski († 1620).

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem (f. 156).

Quia Venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis noster Nuntius Apostolicus renuntiabit Maiestati Tuae, quae ad Catholicae Religionis conservationem, tuamque propriam utilitatem tibi hoc tempore significanda esse duximus, abs te petimus consuetam illi fidem adhibeas, ac tibi persuades, quod quemadmodum zelus divini honoris nos iugiter solicitat, ita paterna charitas, qua Maiestatem Tuam in visceribus Christi singulariter prosequimur, urget nos, ut ea, quae ad tuum commodum pertinent, diligenter curemus. Omnipotens, ac misericors Dominus te diu sospitem, ac foelicem custodiat, et nos Maiestati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra (f. 155: Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, XIII Kalendas Aprilis MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quarto).

PETRUS STROZA

220.

Romae, 20 . III . 1609

Archiepiscopus Gnesensis hortaur ne permittat confirmationem legum in praeiudicium Ecclesiae Catholicae latarum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 156rv, nr. 363.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesensi¹⁵.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Valde nos perturbaverunt, quae in praeteritis Comitiis¹⁶ acta fuisse accepimus in grave praeiudicium rerum ecclesiasticarum. Cum autem cuncta Comitorum gesta Fraternitate Tua praesente recognoscenda sint, petimus a te etiam, atque etiam, nullo modo permittas, ut quidquam adversus Ecclesiae immunitatem confirmetur. Etsi nullis nostris adhortationibus id te curaturum fuisse credimus, rei tamen gravitas, et officii nostri Pastoralis exigit, ut nunc flagitemus a te quod de tua spectata virtute ac prudentia utique nobis semper pollicemur. Nostram sollicitudinem et fiduciam, quam in te habemus, tibi uberior exponet Venerabilis frater Episcopus Fulginatensis.

¹⁵ Albertus III Baranowski (1608-1616).

¹⁶ Agitur de Decretis Comitorum Regni anno 1607 (die 18.VI), in quibus decretum fuit, ut omnes dignitates et officia ecclesiastica solummodo Nobilibus «merae religionis graecae» concedi debebant. Quae constitutio in utramque partem interpretari potuit, sed quia ex parte non-Unitorum plurimi Nobiles inveniebantur, Unitis valde damnsa erat. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II. p. 41-43. In hac et sequentibus litteris agitur de eadem occasione, etiamsi de Ruthenis expresse nihil dicitur.

Nuntius noster Apostolicus, cui non secus ac nobis fidem adhibebis. Exaudiat (f. 156v) Dominus orationes tuas, et nos tibi cum omni charitatis affectu benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, XIII Kalendas Aprilis MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

221.

Romae, 20 . III . 1609'

Hortatur Ep. Cracoviensis ne permittat confirmari iniqua decreta Comitiorum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 156v, nr. 364.

Venerabili fratri, Episcopo Cracoviensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pro comperto habemus, quod Fraternitati Tuae minime probantur quae postremis Comitiis acta sunt cum tanto ecclesiastici iuris detrimento, et propterea pro tua pietate, atque prudentia dabis sedulo operam, ut in recognitione Comitrialium Decretorum cuncta tollantur. Verum quia divini honoris iniuria quae tanta est in eiusmodi actis animum nostrum vehementer afficit, nec aliud nos consolatur. quam fiducia, quam habemus in tua ac Venerabilium fratrum istius Regni Episcoporum religione, atque constanza, voluimus, ut Venerabilis frater Episcopus Fulginatensis. Apostolicus Nuntius, nostro te nomine hortaretur ad procurandam efficacissime iniquorum actorum improbationem. Quod certe facimus zelo officii nostri, non quod existimemus egere te nostris cohortationibus. Fidem Apostolico Nuntio nostro consuetam adhibebis in omnibus, quae tibi significabit. Et nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

222.

Romae, 20 . III . 1609'

Improbatio Decretorum Comitrialium Catholicis praejudicialium Episcopis Regni Poloniae in conscientia imponitur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 157r, nr. 365.

Brevia tria pro tribus Episcopis in Polonia eodem exemplo in Albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significabit Fraternitati Tuae Venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis, Nuntius noster Apostolicus, quanta animi molestia nos affecerint, quae praeteritis Comitiis acta sunt cum tanto ecclesiastici iuris detimento. Ipse quoque tibi renuntiabit, hoc uno solatio nos recreari, quod speramus, vos Venerabiles fratres Regni Episcopos serio ac diligenter curaturos, ut in recognitione Decretorum Comitrialium cuncta improbentur, quae sacris canonibus contraria reperientur. Quam rem ut sedulo facias, te etiam, atque etiam hortamur, atque efficaciter requirimus. Sed quia plura de his accipies ab eodem Nuntio nostro Apostolico, ei fidem integrum adhibebis. Dominus pastorales labores tuos Spiritus Sancti aura benignus sublevet, teque in suo sancto servitio confortare dignetur, et nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

223.

Romae, 20 . III . 1609

Episcopi hortantur, ne Decreta Comitalia inique lata confirmantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 157rv, nr. 366.

Brevia tria prout supra

(...pro tribus Episcopis in Polonia eodem exemplario in Albis).

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanta animi perturbatione nos affecerint quae postremis Comitiis acta fuerunt adversus immunitatem Ecclesiasticam renuntiabit Fraternitati Tuae Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus. Ab ipso quoque (f. 157v) intelliges fiduciam, quam in tuo zelo, atque prudentia habemus, et quantopere te hortamur, ut in recognoscendis Decretis Comitiorum contendas omni studio, atque labore ut eiusmodi acta cuicunque Deum timenti, nedum ecclesiastico Antistiti nullo pacto ferenda, abrogentur. Illi igitur fidem eandem praestabis, quam si nos loquentes audires. Dominus consilia, et opera tua in beneplacito suo disponat, et nos tibi peramenter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, XIII Calendas Aprilis MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

224.

Romae, 20 . III . 1609

Improbatio Decretorum iniquorum in praeteritis Comitiis latorum Cancelario Lithuaniae commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 157v, nr. 367.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili. nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sicuti ex Venerabili fratre Francisco Episcopo Fulginatensi Nuntio nostro Apostolico intelliges, magna nos molestia affecerunt acta praeteritorum Comitiorum, quibus nuper, ut accepimus. Ecclesiastico iuri tantum detrimentum allatum fuit. Cupimus enixe ut opportunis remedii tam gravi malo succurreratur, et quia Nobilitatem Tuam interfuturam esse audivimus recognitioni cunctorum Decretorum, quae nuper in Comitiis habita sunt, te efficaciter hortamur, atque requirimus, cures quibuscumque modis poteris, poteris autem plurimis, ut quae nullo Dei timore, nullaque aequitatis ratione pertractata fuerunt, omnino aboleantur. Quod tanto vehementius a te postulamus, quanto magis in tua singulari pietate, atque prudentia confidimus. Sed plura adhuc de his ex Nuntio nostro accipies. Interim nostram Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae impartimur.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

225.

Romae, 20 . III . 1609

Reprobatio iniquorum Decretorum Palatino Kiovensi commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 158r, nr. 368.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem¹⁷.

Minime credimus Nobilitati Tuae placuisse, quae praeteritis Comitiis adversus Ecclesiasticam immunitatem gesta fuerunt. Zelum pietatis et religionem tuam novimus. Propterea summa fiducia te hortamur, adhibeas omnem diligentiam in recognitione comitrialium Decretorum, ut omnino rescindantur, quae non sine gravi iniuria divini honoris confirmari possunt. Praesentium temporum calamitates abunde nos admonent, quantopere iram Dei timere debemus. Renuntiabit Nobilitati Tuae Venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis, sollicitudinem, qua afficimur hac de causa. Illi fidem integrum adhibebis. Benedicimus tibi in nomine Domini.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

¹⁷ Stanislao Zolkiewski († 1620).

226.

*Romae, 20 . III . 1609**Eadem res aliis Palatinis Regni Poloniae commendatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 158rv, nr. 369.

Brevia tria pro tribus Palatinis in Polonia eodem exemplo in Albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Confisi in zelo pietatis, quo Nobilitatem Tuam incensam esse accepimus, et in tua erga nos filiali observantia, mandavimus Venerabili fratri Episcopo Fulginatensi tibi significare sollicitudinem, qua afficimur ex his, quae postremis Comitiis adversus ecclesiasticam immunitatem gesta fuerunt, ac simul nostro nomine a te postularet, ut cum interesse debeas recognitioni Decretorum comitrialium pro virili tua cures, eiusmodi acta tam impia, et tam iniqua e medio tollantur, atque omnino abrogentur. Quia (f. 158v) vero Nuntius noster multa de his, et de paterno amore erga te nostro tibi significabit, volumus ei non minus credas, quam si nos te coram alloqueremur, et benedictionem nostram Apostolicam Nobilitati Tuae ex animo impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, XIII Kalendas Aprilis MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

227.

*Romae, 18 . IV . 1609**Gratias agit pro protectione Ruthenorum catholicorum durante Comitiis Regni praestata.*ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 172v-173r, nr. 406.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Cracoviensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quaecumque a Nobilitate Tua pro Catholicae Religionis tutela acta sunt praeteritis Comitiis, diligenter nobis renuntiavit Venerabilis frater Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus, ex quibus magno solatio affecti sumus. Summopere quidem nos delectavit Venerabilis fratris Metropolitae, et reliquorum Ruthenorum, qui cum hac sancta Sede communicant, protectio adversus Schismaticos illius Nationis a te suscepta. Quod Nobilitati (f. 173) Tuae significare voluimus, quia plurimus nobis de tua erga nos filiali observantia nobis pollicentes, facile credimus fore, ut quemadmodum valde cupimus, multo magis illis in posterum faveas. Nos interea horum laudabilium

tuorum officiorum semper erimus memores, libenter accepturi omnem occasionem, qua aperte intelligas, quanti illa faciamus. Augeat in te Dominus suam sanctam gratiam, et nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

228.

Romae, 18 . IV . 1609

Gratias agit pro patrocinio Metropolitae Ruthenorum praestito.

ASV, *Armarium*, 45, vol. 4, fol. 173r, nr. 407.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Cracoviensi¹⁸.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, Nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magnam nobis attulerunt consolationem quae Venerabilis frater Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus, nobis significavit fuisse a Nobilitate Tua praeteritis Comitiis acta ad Dei gloriam, et Catholicae Religionis conservationem. Potissimum autem declaravit nobis summum studium, quo Venerabilem fratrem Metropolitam Catholicorum Ruthenorum, caeterosque filios nostros eiusdem nationis orthodoxos tuendos sucepisti adversus Schismaticos. Agnoscemus quidem in hoc animi tui religiosum zelum antea satis nobis commendatum, et te summopere laudamus. Nobilitatem Tuam hor tamur ut eiusmodi pietatis officiis iugiter divinam gratiam tibi conciliare studeas, quemadmodum nostram paternam charitatem semper arctiori vinculo hac de causa tibi obstringis. Et ut hoc commodius praestare possis, benedictionem nostram Apostolicam tibi peramanter impartimur.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

229.

Romae, 18 . IV . 1609

Gratias agit Paulus V. Cancellario Lithuaniae pro eius labore in adiuvando Metropolita Ruthenorum in Comitiis Regni.

ASV, *Armarium* 45, vol. 4, fol. 173v, nr. 408.

Dilecto filio, nobili viro, Magno Cancellario Lithuaniae¹⁹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹⁸ Janusio Ostrožskyj († 1620).

¹⁹ Leoni Sapieha.

Nihil sane novi accidit nobis, cum ex Venerabili fratre Francisco Episcopo Fulginatensi, Nuntio nostro, intelleximus, quanto pietatis zelo adiutus fuerit a Nobilitate Tua Venerabilis frater Metropolita Ruthenorum catholicorum praeteritis Comitiis, et quanta alacritate causam filiorum nostrorum, qui ex illa natione cum hac Sancta Apostolica Sede consentiunt, suscepereis defendendam adversus Schismaticos. Optime quidem perspecta nobis erat religio tua ita, ut semper nobis cuncta de te polliciti fuerimus ad Dei gloriam, et Catholicae Religionis incrementum, quae a filio divini honoris studiosissimo, et christiana prudentiae ornatissimo praestari possent. Tanto igitur magis nobis grata acceptaque fuerunt haec officia tua, quia apprime nostrae de te egregie opinioni respondisti. Hortamus autem te perseveres alaci animo, ut merearis retributionem ab eo accipere, pro cuius honore laboras, et nos per occasionem tibi libenter demonstrabimus, quam ex animo te diligamus. Interim incrementum divinae gratiae tibi optamus, et benedictionem nostram Apostolicam impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, XIII Kalendas Maii MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quarto.

PETRUS STROZA

230.

Romae, 1609

Adiutorium a Magno Cancellario Ruthenis concessum laudatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 5, fol. 51r, nr. 116.

Dilecto filio nobili viro, Magno Cancellario Lithuaniae.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Augeat Dominus in te quotidie magis dona suae sanctae gratiae, sicuti semper augetur in nobis solatium, quod virtus et pietas tua nobis affert. Renuntiavit nobis Venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus, quanto religionis zelo fuerit a Nobilitate Tua nuper adiutus Venerabilis frater Metropolita Ruthenorum catholicorum, et quam fortiter et constanter tuearis eorum cum hac Sancta Apostolica Sede communionem adversus illius nationis Schismaticos. Tribuat tibi Dominus dilecte fili, secundum opera tua; nostrum quidem amorem tibi mirifice obstringis his pietatis officiis, et per occasionem libenter tibi semper demonstrabimus, quanti illa faciamus. Interim cum omni charitatis affectu benedictionem nostram Apostolicam Nobilitati Tuae impartimus.

Datum ut supra .

PETRUS STROZA

231.

Romae, 3 . X . 1609

*Metropolitam in tribulationibus eius consolatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 5, fol. 55v-56, nr. 130.

Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabili fratri Metropolitae Ruthenorum Catholicorum.

Valde nos commoverunt afflictiones, quibus nuper Fraternitas Tua affecta fuit, eisque omne solatium, quantum cum Domino licuisset, libenter attulissemus. Sed plurimum consolatur nos virtus et fortitudo tua digna certe religioso, ac praestanti Antistite, qua pro Dei honore cuncta magnanimititer sustinuisti. Iam vero in divina misericordia confisus expectare potes uberm mercedem ab eo, pro cuius gloria haec pateris, qui dives est in misericordia, et abundanter retribuit. Nos autem sicuti valde diligimus Fraternitatem Tuam, ita vehementer desideramus posse tibi consolationem afferre. Interim Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi te, ac universum gregem tuum diligenter commendavimus²¹. Dominus labores tuos clementer respiciat, gratiam et virtutem (f. 56) in te augeat, et nos Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem nostram ex animo impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, Quinto Nonas Octobris MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quinto.

PETRUS STROZA

232.

Romae, 3 . X . 1609

*Gratias agit Regi Poloniae, quod Metropolitam Ruthenorum contra adversarios protegebat, et eum hortatur ne id facere in posterum relinquat.*ASV, *Armarium* 45, vol. 5, fol. 56r, nr. 131.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Suaciae Regi Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ingentes Maiestati Tuae gratias habemus, quod consueto tuae religionis zelo iterum Venerabilem fratrem Metropolitam Ruthenorum catholicorum tutatus fueris aduersus inquietos, et sanctae communionis illius gentis cum hac Sancta Apostolica Sede aduersarios. Cuncta nobis renuntiavit diligenter Venerabilis frater Franciscus Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Aposto-

²¹ Cfr. Epistulam praecedentem.

licus. Et vero rem ut divino cultui salutarem ita nobis maxime gratam fecisti, ac virtute, et pietate tua dignam, ob quam Maiestati tuae plurimum debere profitemur²⁰. Hortamus te, ut pergas ad Dei gloriam, et Ecclesiae Catholicae propagationem, et Maiestati Tuae eundem Venerabilem fratrem Metropolitam cum dilectis filiis nostris Ruthenis catholicis enixe commendamus, ac simul tibi nostram Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum ut supra.

(Datum Romae apud Santum Marcum, sub Annulo Piscatoris, quinto Nonas Octobris MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quinto).

PETRUS STROZA

233.

Romae, 5 . XII . 1609

Gratias agit pro dono ei misso, et pollicetur se fratres Dominicanu ruthe-nos sibi commendatos habiturum fore.

ASV, Armarium 45, vol. 5, fol. 82v-83r, nr. 215.

Dilecto filio, nobili viro, Georgio Duc in Vascoveh,
Castellano Chioviensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Munus Nobilitate Tua dignum, quod nobis misisti, et literas filialis tuae erga nos observantiae plenas accepimus. Mirificam nobis in Domino consolationem attulisti praestanti pietate, et religionis zelo, quem in tuis litteris expressum agnovimus. Pergratum sane nobis fuit nobile tuum donum a nobis acceptum tanquam pignus gratissimum humanitatis, et benevolentiae tuae, sed multo etiam gratius fuit vidisse, quam bene respondeas opera, atque studio in procuranda Catholicae Religionis propagatione his, quae de singulari virtute, et pietatis tuae nobis renuntiata fuerunt. Multum te, fili dilekte, in visceribus Christi amamus, libenterque omnem occasionem accipiemus magis patefaciendi huius in Tuam Nobilitatem paterni amoris nostri. Interim dilecti filii pii, religiosique viri fratres Rutheni, Ordinis Sancti Dominici, quos nobis adeo diligenter commendas, nobis valde curae erunt, ut quantum cum Domino poterimus, maiori animi tranquillitate, atque quiete Deo, et saluti animarum inservire valeant. Custodiat te Dominus ac per (f. 83)

²⁰ Revera in Comitiis Regni 1609 Decretum anni 1607 aliquantulum mitigatum fuit; approbato nempe statu quo, quae constitutio damnosa erat Unitis, propter bona et ecclesiis occupatas post ann. 1608, adiecta est clausula, quod si pars aliqua iniuriam sibi illatam censebat ad Iudicia Lithuaniae recurrere potuit, rationes suas exponendo. Sed quia Tribunal Supremum Lithuaniae in manibus erat inimicorum Catholicae Unionis, Sigismundus instituit ad hoc « iudicium compositum », constans sex Iudicibus laicis et aliis sex ecclesiasticis. Hoc modo parti catholicae spes remanebat iura sua recuperandi. Cfr. PELESZ J., op. cit., II, p. 42-44.

suam misericordiam cuncta tibi prospera, atque secunda concedat, et nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, Nonis Decembris MDCIX, Pontificatus Nostri Anno quinto.

PETRUS STROZA

234.

Romae, 19 . XII . 1609

Laudat Regem, quod restituit Metropolitae Chioviensi monasteria et Ecclesias, quibus de facto orbatus fuit a Schismaticis.

ASV, *Armarium* 45, vol. 5, fol. 90v-91, nr. 239.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Laetati plurimum in Domino sumus, eiusque immensae bonitati summas gratias egimus, quod a Maiestate Tua semper aliquid novi nobis provenit, unde spirituali solatio reficiamus in tantis, et tam gravibus nostris sollicitudinibus. Significavit namque nobis Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus, quam pie, quam fortiter causam Venerabilis fratris Metropolitae Ruthenorum sanctae communionis, et Archimandritae per Schismaticorum iniuriam fere oppressam sublevaveris, ipsumque Metropolitam in possessionem monasteriorum, et ecclesiarum, quibus spoliatus de facto fuerat, restitueris²², praeclarissima significatione zeli Catholicae Religionis, et intrepidi, ac generosi, ac vere regii animi tui, nulla videlicet habita ratione praesentium difficultatum, sed praeposita tibi tantum ob oculos Dei gloria et Religionis Catholicae utilitate. Quibus de rebus cum nequeamus laudare satis pro merito Maiestatem Tuam, atque pro desiderio nostro tamen maioribus laudibus (f. 91), quibus possumus, et cum omni nostri cordis affectu religionem, pietatem, constantiam, animique magnitudinem, zelum, et in Dei bonitate fiduciam praestante, quas hoc uno egregio facinore ostendisti, prosequimur, precantes Deum Patrem, et largitorem omnium caelestium donorum, ut has praeclaras virtutes in animo tuo cum incremento divinae gratiae quotidie magis augeat ad eius Ecclesiae Sanctae utilitatem, Regnorumque tuorum praesidium, ac firmamentum, et ad animae tuae salutem, nostramque peculiarem consolationem, qui in his quae quotidie praebes probitatis, et prudentiae exemplis maxime delectamur, ac simul Maiestati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

PETRUS STROZA

²² Revera « Iudicium compositum » iam activitatem suam exercere cepit, coram quo Uniti iniuriam ann. 1607-8 passam reparari reclamarunt.

235.

Romae, 27 . VIII . 1611

Appropinquantibus Comitiis Regni Regi Poloniae negotia religionis, Ruthenorum nec non totius Ordinis ecclesiastici commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vl. 7, fol. 30r-31v, nr. 52.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 348-9, nr. 268.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae
et Sueciae Regi Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem (f. 30v).

Iudictum a Maiestate Tua generalem conventum Ordinum istius amplissimi Regni tui Poloniae ad XXVII diem futuri mensis Septembris accepimus. Pergratus fuit nobis hic nuntius; non enim dubitamus quin inter alias deliberationes suscipiendas potissima futura sit quae Dei honorem, et Religionis Catholicae amplificationem respicit, eoque maxime quod summo Dei beneficio victoris, triumphis, Imperio auctus nulla alia ratione melius te gratum memoremque exhibere illi potes, a quo cuncta es assecutus, quam studio cultus gloriae eius, ut ad pietatis, ac religionis tuae laudem appareat velle te, quantum humanis viribus datur, respondere peculiari protectioni, quae visus est favisse generosissimis ac fortissimis consiliis, coepisque tuis. Et vero zelus tuus innatus, et prudentia singularis, qua praeditus es, id nobis pollicentur, immo ipse quoque pluribus tuis litteris, quibus de foelicibus, ac prosperis progressibus Moschovitiae expeditionis nos certiores faciebas, incensissimum te ostendisti semper desiderio propagationis Catholicae Religionis. Ita ut superfluum omnino existimemus omnem laborem, ut acrius te inflammemus ad opus tam pium, tam salutare, et tam necessarium. Utique scimus minime te egere nostris cohortationibus, verum pastoralis officii nostri ratio non tantum exigit, sed impellit, ut hac opportunissima occasione Comitiorum, qui omnes ordines laeti alacres convenient, gratulaturi Maiestati Tuae gloriam bellicae fortitudinis, atque prudentiae, et Regni securitatem virtute tua comparatam, et ob id voluntati tuae obsequentiores fore speramus, cum omni nostri cordis affectu postulemus a te, ut reparacioni antiquae pietatis, et syncerae orthodoxae religionis sedulo serioque sicuti confidimus. studeas.

Praecipue vero des operam, ut in Ducatu Severiae, et generatim apud Moschos fides, quam Sancta Romana Ecclesia, omnium aliarum Mater et magistra, docet, pie sancteque colatur ab omnibus. Et quoniam plurimum contulerit si dilecti filii nostri (f. 31) Rutheni catholici protecti, et adiuti fuerint, ut communionem cum hac Sancta Apostolica Sede conservare quiete, ac pacifice possint, eos Maiestati Tuae summopere commendamus. Nec ipsos Ruthenos tantum, sed universum Ordinem ecclesiasticum quam commendatissimum tibi esse cupimus, ut commodius vacare valeant sacerdotes ac reliqui Ministri altaris sacrificiis atque orationibus ad Dei laudem ac magis, magisque semper propitiari reddere tibi, ac subiectis tibi populis

divinam clementiam. Mandavimus Venerabili fratri Francisco, Episcopo Fulginatensi, nonnulla in hoc genere Maiestati Tuae significare cui consuetam fidem abs te adhiberi cupimus. Omnipotens, ac misericors Deus continua te protectione custodiat, et nos Maiestati Tuae peramenter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, sexto Kalendas Septembris MDCXI, Pontificatus Nostri Anno septimo.

PETRUS STROZA

236.

Romae, 27 . VIII . 1611

Res Catholicae religionis in Comitiis Regni protegendas Reginae enixe commendat, in specie vero Ruthenos catholicos.

ASV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 31rv, nr. 53.

Charissimae in Christo filia nostra Constantiae,
Poloniae et Sueciae Reginae Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Occasione Comitiorum, quae — ut accepimus — propediem habendae sunt Varsoviae, scripsimus charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi, viro tuo dilectissimo, eique Catholicae Religionis tutelam ac propagationem, ecclesiastici Ordinis bonum, divini denique cultus amplificationem efficaciter commendavimus. Nunc eodem pacto a Maiestate Tua petimus, ut tu quoque pro consueto pietatis zelo, quo incensa es, exaltationi Ecclesiae Sanctae Catholicae studeas, ecclesiasticis viris, atque negotiis benigne faveas, haereses, ac schismata ex amplissimis ditionibus (f. 31v) vestris ut extirparentur contendas. Quod, ut speramus, facile succedet, si etiam Ruthenos catholicos tua regia protectione, gratia, et auctoritate adiuveris, quemadmodum valde desideramus. Non contendemus autem hoc a te pluribus, cum intelligere optime possis, quantopere nobis cordi sit hoc negotium, quod ad Dei honorem, et salutem animarum pertinet. Et quia Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus, Maiestati Tuae quae-dam renuntiabit nostro nomine, sic ipsum audias desideramus, ac si nos loquentes audires. Augeat Dominus in te suam sanctam gratiam, ac Maiestati Tuae tribuat, ut cogitationes, et opera tua semper placeant eius immensae bonitati, cunctaque tibi profutura concedat, et nos Maiestati Tuae benedictionem nostram Apostolicam ex intimis nostri cordis visceribus impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, VI, Kal. Septembris MDCXI, Pontificatus Nostri Anno septimo.

237.

PETRUS STROZA

Romae, 27 . VIII . 1611

Negotia Ecclesiae Catholicae in futuris Regni Comitiis Archiepiscopo Leopoliensi commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 31v-32r, nr. 54.

Venerabili fratri Joanni, Archiepiscopo Leopoliensi²³.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Praeclara nobis se offert occasio futuris Comitiis Varsoviae, ut nobis renuntiatum fuit propediem habendis, ne dum sublevandae Catholicae Religionis ab adversariorum Ecclesiae Sanctae Dei iniuriis, sed promovendae, atque propagandae. Quia certi sumus de charissimi in Christo filii nostri Regis Sigismundi pietate, et quod ipse victoriis, et triumphis suis non magis utitur ad ditionis propriae amplificationem, quam ad divini cultus instauracionem. Ideo bonos, zelantesque sacerdotes, ac Dei servos decet eniti, ne opportunitas haec tantopere desiderata amittatur. In tua igitur egregia pietate, atque prudentia confisi mandavimus Venerabili fratri Francisco, Episcopo Fulginatensi, nostro Nuntio Apostolico, tibi significaret, quid potissimum (f. 32) factu opus esse arbitremur, ut Dei causae, ut par est, serviamus. Consueta fide illum audies, et cum intelligere possis, quanti faciamus virtutem, et probitatem tuam existimes volumus studio, diligentia, ac vigilantia in negotiis Religionis Catholicae procurandis, praeclaram, quam de te opinionem habemus, confirmaturum, nostram charitatem tibi maxime devincturum. Dirigat Dominus cogitationem, et opera tua, et nos Fraternitati tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

238.

Romae, 27 . VIII . 1611

In eundem modum, verbis tamen diversis, Brevia expedita fuerunt etiam sequentibus: Archiepiscopo Gnesnensi, Episcopis Warmiensi, Posnaniensi, Luceorieni, aliis tribus in albis; Palatinis: Cracoviensi, Kiovensi (Stanislao Zolkiewski), Masoviae, Posnaniensi, Vilnensi: Episcopo Vilnensi, Plocensi, Vladislaviensi, Chelmensi, Cracoviensi, Castellano Calisiensi, Regni Poloniae Vicecancellario, Palatino Lenciciensi, Joanni Carolo Chodkiewicz, Palatino Sandomiriensi, Palatino Russiae, Nicolao Wolski — Marescallo Curiae Regni Poloniae, Palatino Podlachiae, Castellano Gnesnensi, aliis tribus no-

²³ Johannes VII Zamojski (1603-1614).

bilibus polonis in albis; expresse hisce in Brevibus agebatur de defensione iurium ecclesiasticorum Ecclesiae Catholicae; consideratis circumstantiis temporis nec non instructionibus Nuntii Apostolici, agebatur primario de defensione Ecclesiae Unitae contra impetus Schismaticorum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 32-40v, nr. 55-81.
THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. *vel*
Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

239.

Romae, 27 . VIII . 1611
Janusio, Duci Ostrožskij, commendantur res ecclesiasticae in futuris Comitiis Regni tractandae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 35rv, nr. 65.

Dilecto filio, nobili viro, Janusio, Duci Ostrogiae,
Castellano Cracoviensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Experti zelum pietatis, quo incensus es, summa fiducia petimus a Nobilitate Tua, ut in futuris Regni Comitiis propendiem, ut accepimus, Varsoviae habendis Catholicae Religionis propagationi, et ordinis Ecclesiastici immunitati faveas. Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Fulginatensis, noster Nuntius Apostolicus, Nobilitati Tuae renunciabit (f. 35v), quid potissimum a te cupiamus. Illi non minus credas volumus, quam si nos te coram alloqueremur, et benedictionem nostram Apostolicam tibi peramanter tribuimus.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, sexto Kalendas Septembbris MDCXI, Pontificatus Nostri Anno septimo.

240.

Romae, 27 . VIII . 1611
Leoni Sapieha de eadem re scribitur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 7 fol. 39rv, nr. 78.

Dilecto filio, nobili viro, Leoni Sapieha,
Magni Ducatus Lithuaniae Cancellario.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobili vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Zelus, quo a Nobilitate Tua semper causa Catholicae Religionis adiuta, ac protecta est, praecipue vero in procuranda conservatione communionis Ruthenorum cum hac Sancta Apostolica Sede, sicuti charitatem nostram paternam tibi maxime obstrinxit, ita firmam fiduciam in tua filiali pietate, et observantia nobis affert. Et propterea Venerabili fratri Francisco, Episcopo Fulginatensi, Nuntio nostro Apostolico, mandavimus consilia nostra propagandae Religionis Catholicae, occasione potissimum futurorum Comitiorum tibi aperiret, operam auxiliumque tuum in hoc negotio efficaciter requireret. Renunciabit autem tibi quantum nobis de te polliceamur; nam quam ex animo te diligamus abunde te nosse credimus, idque experimento quotidie magis compertum fore tibi speramus. Illi igitur in omnibus fidem cumulatam adhibebis, et nos Nobilitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam paramanter tribuimus.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, VI Kalendas Septembris MDCXI, Pontificatus Nostri Anno septimo.

PETRUS STROZA

241.

Romae, 16 . XII . 1611

Archiepiscopo Kiovieni datur licentia extrahendi reliquias.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 532, fol. 268.

Venerabili fratri Hypatio, Archiepiscopo Kyoviensi et Haliciensi.

PAULUS PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Piis ac devotis Fraternitatis Tuae supplicationibus inclinati ac speciali-
lem tibi gratiam facere volentes teque a quibusvis censuris etc. censentes,
tibi, ut de dilecti filii nostri in alma Urbe Vicarii in spiritualibus gene-
ralis licentia aliquas Sanctorum et Sanctorum reliquiarum particulas tan-
tum tibi sponte concedendas, ex ecclesiis, monasterii et locis piis almae
Urbis ac extra illius muros, non tamen ex cemeteriis et cryptis, et dummodo
de insignioribus, aut muro clausae non sint, de inibi Praesidentium et Su-
eriorum consensu recipere et extrahere, illasque aliis ecclesiis, monasteriis
et locis piis, in iis debit is cum honore et reverentia collocandas et asservandas,
donare et elargiri libere et licite possis et valeas, Apostolica auctoritate tenore
praesentium concedamus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et
ordinationibus Apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum et loco-
rum piorum huiusmodi, ac Ordinum, quorum illa fuerint, etiam iuramento
roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.
Praesentibus ad unum mensem proximum tantum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembri 1611, Anno VI.

S. Cobellutius

242.

Romae, 7 . I. 1612

*Litterae grates actoriae pro protectione Ruthenorum catholicorum nec non
ut ulterius adiuventur, praesertim in negotio senatorio, Pontifex petit.*

TSV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 106rv, nr. 242.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 349-350, nr. 270 a.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significavit nobis Venerabilis frater Hipatius Metropolita Chioviensis, quanta benignitate quantoque pietatis zelo ipse, caeterique Rutheni catholici fuerint protecti a Maiestate Tua in praeteritis Comitiis adversus adversarios suos, eiusdem nationis Schismaticos. Agimus itaque Maiestati Tuae summas gratias nam tuum in Ruthenos catholicos beneficium, singulare officium in Sanctam Romanam Ecclesiam, cum qua coniuncti sunt, existimamus, Verum quia ipse quoque nobis scripsit, maxime conducturum ad Sanctae Unionis tutelam, si unus saltem ex Praelatis ruthenis locum haberet in Senatu, quia sic facilius machinationibus adversariorum obsistere possent. Privilegiis autem eorum nationi a Regibus, Maiestatis Tuae Praedecessoribus, concessis, illis aditum ad huismodi dignitatem capescendam concessum esse affirmat.

Ideo nos zelo confirmandi ac stabiendi magis, ac magis hanc Sanctam Unionem a Maiestate Tua efficaciter petimus, ut praesentem ac pro tempore existentem Metropolitam Chioviensem donec in communione Sanctae Romanae Ecclesiae permanerit (f. 106v) velis cooptare, ac respective cooptandum decernere in Senatorum numerum istius florentissimi Regni tui Poloniae. Quia vero Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Fulginatensis, uberioris adhuc cum Maiestate Tua de hoc negotio aget, pluraque brevitatis causa nunc omissa vel potius ut enucleatus tibi essent exposita, renuntiabit, ei fidem a Maiestate Tua adhiberi eandem, quam praestares nobis desideramus. Unum addemus, paternam nostram charitatem maxime tibi devincturum esse hoc tuo in Ruthenos beneficio, et Maiestati tuae ex intimis nostri cordis visceribus Apostolicam benedictionem nostram impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, VII Idus Ianuarii MDCXII, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

PETRUS STROZA

243.

Romae, 7 . I . 1612

Metropolitam Ruthenorum de Comitiis praeteritis consolatur. Omnia negotia eius personis respectivis commendavit.

ASV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 106v-107r, nr. 243.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 350, nr. 271.

Venerabili fratri Hipatio, Archiepiscopo Chioviensi,
Metropolitae Ruthenorum.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod postremis hisce Comitiis Fraternitas Tua, caeterique dilecti filii Rutheni Sanctae Communionis perpessi fueritis non sane parum nobis displaceuit, qui ut commodius servire possitis Altissimo pacem, ac tranquillitatem vestrarum animarum summopere desideramus. Sed non mediocrem consolationem attulit nobis intellexisse charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Regem pro consueto pietatis suae zelo, praesidio et gratia sua vobis favissem, et Venerabilem fratrem Franciscum, Episcopum Fulginatensem, nostrum Nuntium Apostolicum, sedulo diligenterque, ut habet a nobis in mandatis, vobis opera, et auxilio adfuisse. Quod et in posterum quoties res ipsa postulabit, utique faciet.

Pergratum etiam nobis (f. 107) fuit quod scrispisti de studio, atque charitate dilecti filii, nobilis viri, Leonis Cancellarii Magni Ducatus Lithuaniae in vestra protectione; est quidem vir ut praeclari generis, ita et praestantis virtutis, et nos illum non vulgariter in Domino diligimus.

Nuntio nostro Apostolico mandavimus, ut serio cum charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Rege agat de loco in Senatu concedendo Ruthenis catholicis pro maiori tutela, atque firmiori Sanctae Communionis, sicut oportere nobis dixisti, nec dubitamus quin mandatum nostrum pro consueta fide, ac diligentia sua opportune sit executurus.

Scripsimus quoque Regi satis efficaciter, Senatorem illum de quo apud nos conquestus es, quod secus ac nobis promiserat, causam Catholicorum detrectet, Schismaticis autem faveat, ad promissa nobis praestanda hortati sumus.

Nihil praetermissimus eorum, quae a nobis postulasti, nec quantum cum Domino poterimus praetermissuri sumus, ut ad Dei gloriam unionem initam a vobis cum hac Sancta Apostolica Sede magis confirmamus. Fraternitati Tuae divinae gratiae incrementum a Domino optamus, et benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

244.

Romae, 7 . I . 1612

*De eadem re etiam Castellano Cracoviensi scribit.*ASV, *Armarium* 45, vol. 7, fol. 107rv, nr. 244.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 350, nr. 270 b.Dilecto filio, nobili viro, Castellano Cracoviensi²⁴.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quamquam satis abunde significavimus aliis nostris literis Nobilitati Tuae, quantopere cupiamus adiuvari, ac protegi a te Venerabilem fratrem Hypatium Metropolitam Chioviensem, caeterosque Praelatos ruthenos, qui cum Sancta hac Apostolica Sede communionem habent, tuque nobis quemadmodum filiale pietatem, et observantiam tuam decebat, respondisti, promptum paratumque te exhibuisti in omnibus quae a te postulaveramus (f. 107v). Molestiae tamen quas patiuntur hi Venerabiles nostri fratres a Schismaticis eiusdem Nationis Ruthenae nos cogunt, ut iterum petamus a te ut pro tua erga Sanctam Romanam Ecclesiam pietate, ac devotione, Ruthenis sanctae Unionis efficaciter faveas, eosque a Schismaticorum iniuriis, perturbationibus, atque molestiis a nobis hortatus, ac requisitus defendas, ac tuearis. Quod praeterquam quod facies rem religione, nobilitate, ac prudentia tua dignam, praestabis nobis officium filialis observantiae tuae gratissimum, qui hoc a te etiam, atque etiam postulamus, et Nobilitati Tuae paramanter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, VII Idus Januarii MDCXII, Pontificatus Nostri Anno septimo.

PETRUS STROZA

245.

Romae, 20 . XII . 1612

*Regi aliisque Proceribus Poloniae Unio Ruthenorum defendenda in proximis Comitiis commendatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 8, nr. 148, fol. 81.THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 354, nr. 277.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

PAULUS PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Appropinquare iam tempus Comitiorum Regni accepimus. Experti toutes pietatem ac zelum, quibus Maiestas Tua in simili, aliquisque omnibus oc-

²⁴ Janusio Ostrozskyj († 1620).

casionibus Catholicam Religionem tutata semper est, supervacancum prorsus existimamus nisi modo hortari te nostris verbis ad id, quod re ipsa ostendisti promptum paratumque semper esse, in quo negocio magnitudine ac multiplicitate tuorum officiorum nostram paternam charitatem arctissimo obligationis vinculo hactenus te devinxisti.

Verum quod nostra solicitude pastoralis a nobis exigit, praetermittere non possumus. Itaque Maiestati Tuae Religionis Catholicae causam et Ordinis ecclesiastici immunitatem in Comitiis adversus orthodoxae fidei, et communis boni adversarios efficacissime commendamus.

Praecipue vero petimus, ut perquam commendatos habeas Venerabilem fratrem Metropolitam, ac dilectos filios Ruthenos Sanctae Unionis, eosque rogatus a nobis regio tuo patrocinio potentissimo tueare ad Dei gloriam et Sanctae Romanae Ecclesiae matris tuae amantissimae exaltationem, sicut etiam uberius nostrum hoc desiderium tibi significabit Venerabilis frater Laelius Episcopus Balneoregiensis, noster Nuncius Apostolicus, cui integrum fidem adhiberi abs te cupimus et Maiestati Tuae nostram Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., XIII Kalendas Ianuarii MDCXII, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Eodem modo Archiepiscopis et Episcopis et Ordinibus Senatorio et Equestri Regni Poloniae.

246.

Romae, 20 . XII . 1612

Hac eadem occasione, etiamsi verbis non tam expressis, litterae dantur aliis Proceribus Regni Poloniae, in defensionem Ecclesiae Unitae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 8, fol. 81-89, nnr. 199-223.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem etc. *vel:*

Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Presentis temporis calamitas...

Reginae Poloniae Constantiae: « *Minime dubitamus...* » (nr. 199),
 Archiepiscopo Gnesnensi: « *Praesentis temporis calamitas...* » (nr. 200),
 Archiepiscopo Leopoliensi: « *Multum confidimus...* » (nr. 201),
 Episcopo Posnaniensi: « *Valde solliciti sumus...* » (nr. 202),
 Petro Episcopo Cracoviensi: « *Novimus Fraternitati Tuae...* » (nr. 203),
 Episcopo Plocensi: « *Quemadmodum ex Venerabili fratre...* » (nr. 204),
 Tribus Episcopis in Polonia, in albis: « *Renuntiabit Fraternitati Tuae...* » (nr. 205),
 Pro duobus Episcopis ut supra: « *Mandavimus Venerabili fratri...* » (nr. 206),
 Palatino Cracoviensi: « *Significabit Nobilitati Tuae...* », (nr. 207),
 Palatino Posnaniensi: « *Quamvis pro comperto...* » (nr. 208),

Palatino Vilnensi: « *Nimis nota nobis est...* » (nr. 209),
 Palatino Trocensi: « *Significabit Nobilitati Tuae...* » (nr. 210),
 Palatino Voliniensi: « *Quia ut accepimus...* » (nr. 211),
 Palatino Chioviensi: « *Cum tantam habeamus...* » (nr. 212),
 Palatino Livoniensi: « *Quanta animi sollicitudine...* » (nr. 213),
 Palatino Lublinensi: « *Acipies has nostras...* » (nr. 214),
 Palatino Lenciciciensi: « *Ex his, quae...* » (nr. 215),
Codecovitio, Campiductori Lithuaniae: « Reddet Nobilitati Tuae... »
 (nr. 216),
Aulae Regiae Poloniae Marescallo: « Petimus a Nobilitate Tua... »
 (nr. 217),
 Cancellario Lithuaniae: « *Confisi in tua pietate...* » (nr. 218),
 Quattuor Palatinis in Polonia: « *Ut Nobilitatem tuam...* » (nr. 219),
 Pro tribus Palatinis, ut supra: « *Quanto magis...* » (nr. 220),
 Pro aliis tribus Palatinis: « *Venerabiles fratres...* » (nr. 221),
 Quattuor Castellanis in Polonia, in albis: « *Accipies nostras...* » (nr. 222),
 Pro quatuor Senatoribus, ut supra: « *Ut ex Venerabili...* » (nr. 223).

Datum Romae apud S. Petrum etc. XIII Kalendas Januarii MDCXII,
 Pontificatus Nostri Anno octavo. - vel:

Datum et supra.

247.

Romae, 16 . I . 1614

Occasione Comitiorum Regni an. 1614 iterum inculcantur res religionis et Ecclesiae Unitae Regi, Reginae, et Proceribus nec non Episcopis Poloniae. Quia tamen omnia tractabantur tramite Nuntii Varsaviensis, nihil expresse dicitur de Ecclesia Unita, quae tamen hac occasione commendata fuit. Inde solummodo elenchum litterarum hic tradere opportunum duximus.

ASV, *Armarium* 45, vol. 9, fol. 69-77v, nr. 182-210.

PAULUS Papa Quintus. Charissime in Christo fili... salutem, etc. Venerabili frater, salutem etc. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Regi Poloniae Sigismundo: « *Multum adimit nobis...* » (nr. 183),
 Reginae Poloniae Constantiae: « *Tempus Comitiorum Regni...* » (nr. 183),
 Principi Vladislao, Regis filio: « *Persuadent nobis...* » (nr. 184),
 Archiepiscopo Gnesnensi: « *Quamquam nobis...* » (nr. 185),
 Archiepiscopo Leopoliensi: « *Exigit a nobis...* » (nr. 186),
 Petro, Episcopo Cracoviensi: « *Quia singularem...* » (nr. 187),
 Episcopo Vladislaviae: « *Plane certi sumus...* » (nr. 188),
 Episcopo Luceoriensi: « *Peculiaris charitas...* » (nr. 189),
 Episcopo Plocensi: « *Renuntiabit Fraternitati Tuae...* » (nr. 190),
 Episcopo Posnaniensi: « *Pericula quae semper...* » (nr. 191),
 Episcopo Cuiaviensi: « *Quod pro singulari...* » (nr. 192),

Pro quatuor Episcopis in Polonia, in albis: « *Quamquam minime...* »
 (nr. 195),
 Pałatino Cracoviensi: « *Evidentius signum...* » (nr. 194),
 Palatino Posnanensi: « *Ut Nobilitatem Tuam...* » (nr. 195),
 Palatino Sandomiriae: « *Certi de tuo...* » (nr. 196),
 Palatino Luceoriensi: « *Ut ex Venerabili...* » (nr. 197),
 Palatino Chioviensi: « *Perspecta nobis...* » (nr. 198),
 Palatino Trocensi: « *Etsi minime...* » (nr. 199),
 Palatino Livoniensi: « *Facile nobis...* » (nr. 200),
 Palatino Voliniensi: « *Quia novimus...* » (nr. 201),
 Palatino Vilnensi: « *Quantopere sollicitet...* » (nr. 202),
 Palatino Lubliniensi: « *Petet a Nobilitate...* » (nr. 203),
 Campiductori Lithuaniae: « *Magnam in tua...* » (nr. 204),
 Aulae Regiae Marescallo: « *Memores filialis...* » (nr. 205),
 Cancellario Lithuaniae: « *Postulabit a Nobilitate...* » (nr. 206),
 Regni Poloniae Thesaurario: « *Plane confidimus...* » (nr. 207),
 Pro quatuor Nobilibus in Polonia, in albis: « *Quod nobis plane* » (nr. 208),
 Pro quatuor Castellanis, in albis: « *Quia experimento...* » (nr. 209),
 Pro quatuor Senatoribus: « *Accipies has litteras...* » (nr. 210),

Datum Romae apud Sanctam Maria Maiorem, sub Annulo Piscatoris,
 XXVI Kalendas Februarii MDCXIII, Pontificatus Nostri Anno nono. *vel:*

Datum ut supra.

248.

Romae, 5 . IV . 1614

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Josephi Velamin Rutskyj, post obitum et per obitum Hypatii Potij.

ASV, Archivio dei Brevi Apostolici, vol. 618, num. 294, (n. n.).

PAULUS Episcopus etc. Venerabili fratri Josepho²⁵, Episcopo Halicien., in Archiepiscopum Chiovien. electo, salutem etc.

Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinatio-
 nem suscipiunt universa, supereminentis Apostolicae dignitatis speculamen-
 tis, atque imparibus constitutis ad universas orbis Ecclesias aciem nostrae
 considerationis intendimus, ac pro earum statu feliciter dirigendo Aposto-
 lici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis propensius cogitare nos conve-
 nit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum viri
 praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suas circuspectionem

²⁵ Josephus Velamin Rutskyj, Archimandrita Vilnensis, postea ab. an. 1611 Coadiu-
 tor Metropolitae Hypatii Potij, cum tit. Haliciensis Episcopi. Tandem post mortem Coa-
 diuti et ipse Metropolita (1613-1637). Obiit 5.II.1637. Cfr. ex. gr. A. G. WELYKYJ, *Joannes*
Velamin Rutskyj in « exitu viarum » in « Analecta OSBM », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc.
1, p. 9 sq.

providam, et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona Ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multis modis efferant incrementis. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium tunc vacantium et in antea vacantarum dispositionibus et ordinationibus nostris reservavimus, decerentes ex tunc irritum etc. attemptari.

Postmodum vero Ecclesia Chiovien., quae graecos ritus, veritati et fidei Catholicae non adversantes et communionem cum Romana Ecclesia non excludentes, sequitur ac cui bo.me. Hipatius Archiepiscopus Chiovien. dum viveret praesidebat, per obitum Hipatii Archiepiscopi, qui in anno currente debitum naturae persolvit — pastoris solatio destituta, Nos vacatione huismodi fidedignis relationibus intellecta ad promotionem eiusdem Ecclesiae Chiovien. celerem et felicem, de qua nullus praeter Nos hac in re intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supremis, — ne Ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentis, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae Chiovien. personam venerabilem et fructuosam habuimus diligentem, demum ad te, Episcopum Halicien., consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus insignivit, et quod tu, qui Ecclesiae Halicien. hactenus laudabiliter praefuisti, eandem Ecclesiam Chiovien. scies, velis, et poteris, auctore Domino, et cum Halicien. Ecclesia praedicta, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis teque quibusvis contrariis etc. contentis... Ecclesiae Chiovien. de persona tua nobis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, apostolica auctoritate providemus, teque illi in Archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam, et administrationem ipsius Ecclesiae Chiovien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in Illo, qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praefata Ecclesia Chiovien. sub tuo felici gubernio regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens ipsas curam et administrationem sic exercere studeas sollicite, fideliter, et prudenter, quod ipsa Ecclesia Chiovien. Gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque propter aeternae retributionis praemium, nostram dictaeque Sedis benedictionem et gratiam exinde uberiori consequi merearis.

Quocirca Venerabilibus filiis nostris, universis Suffraganeis ac dilectis filiis Cappelani et Vassalibus dictae Ecclesiae Chiovien., nec non clero et populo civitatis et dioecesis Chiovien. per Apostolica scripta mandamus, quatenus Suffraganei tibi tamquam Patri et Pastori animarum suarum humiliter intendentis exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas, et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos Suffraganeos gratia grates sortiantur effectus et Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino commendare; ac Clerus te pro nostra dictaeque Sedis reverentia benigne recipiens et humiliter pertractans tua salubria monita et mandata suscipiens humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita ut tu in eis devotionis filios, et ipsi in te consequenter patrem benevolum invenisse

gaudeatis; Vasalli autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam, nec non consueta servitia, ac iura tibi ab eis debita exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et facimus auctore Domino usque ad satisfactiōnem condignam inviolabiliter observari.

Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christo filium Sigismundum, Poloniae Regem Illustrem quatenus te ac ipsam Ecclesiam Chiovien., tuae curae commissam, habens pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatas in ampliandis et conservandis eiusdem Ecclesiae Chiovien. iuribus sic vos benigne favoris auxilio prosequatur, quod tu illius fultus praesidio in credito tibi curae pastoralis officio possis, Deo propitio, prosperari, ac eidem Sigismundo Regi exinde a Deo perennis vitae praemium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Ac insuper propter paucitatem personarum idonearum in illis partibus Ruthenorum, qui nonnullis ab hinc annis ad gremium et unionem S. R. E. redire, attenta quoque notitia quam habemus tuorum meritorum et probitatis, utque statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis oblatam petitionem, instantiam, sed de nostra mera liberalitate, tecum quod et postquam in rem possessionis, et praefectionis praedictarum pacificam possessiōnem seu quasi regiminis et administrationis Ecclesiae Chiovien, ac illius bonorum seu maioris partis earum assecutus fueris, dictam Ecclesiam Halicien., cui praees, simul cum praedicta Ecclesia Chiovien. ut prius gubernationi unire, ita ut tu Archiepiscopus Chiovien. et Episcopus Halicien. esse non desinas, sed dictis Chiovien. et Halicien. Ecclesiis praesidens, et verus Archiepiscopus et Episcopus existas, illarumque cuiilibet libere et licite valeas auctoritate praedicta tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. decernentes Ecclesiam Halicien. praedictam propterea non vacare, irritum quoque etc. attemptari.

Volumus autem, quod antequam regimini et administrationi dictae Ecclesiae Chiovien. in aliquo te immisceas, in manibus Venerabilis fratris nostri Lelii. Episcopi Balneregen., ad praeformatum Sigismundi Regem nostri dictaeque Sedis Nuntii, nostro et dictae Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum praestas iuramentum, iuxta formam iuramenti huiusmodi a te nunc praestiti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Nos enim praedicto Lelio Episcopo per easdem praecepimus et mandamus quatenus ipse a te recipiat huiusmodi iuramentum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1614, Non. Aprilis, Pontif. Nostri Anno nono.

Provisio Ecclesiae Chiovien.

Dicit. Regat. xvii. kt. Aug. Pontificis mī anno Quinto. Illustri Regi Russie.

Dixi xp̄i Vicarii insufficientib⁹ meritis constituti et deuotis sincera complectuntur
caritate merito desideramus ut tu precium seques gratiam salvatoris que agritū
uenerans recte diligis ac finore sic confidamus in eodē uere ac inflexibiliter
et studiis adherere inreprehensibile et legē iās conuincere satagendo fidelit̄ custodire.
Sane domino in euanglio docente didicimus. qd̄ unum ē omne ac etiam unus p̄stor.
et qd̄ suum omnium xp̄is cultode sp̄alem et precipuit beati Petri et constituit
clavis quoddam singulare prīlegio tradidit ei clavis Regni celestis ligandi atq; sol
uendi sibi amulit potestate singulare ac iterū ei dicens. Passe oves meas. Por
ro ab hoc omni uideatur errare et a gregi domini alienus. qui xp̄i Vicario Sue
cessori uideatur beati Petri subiecte contempserit ac humilit̄ obediens. qui assump̄
t̄ et in potestatis plenitudine ceteris in parte sollicitudinis eascat. > p̄ter qd̄ xp̄o
in Petro patrem rogavit. ut nō deficeret fides ei. ppter qd̄ merito deuare credim⁹.
qui opinantur de qd̄ contraria et contumacia ab eo obdientia recessisse plurim⁹.
Ven cum Venerabilib⁹ fr̄o mī. Ep̄o Primoiorū referente te intellectum⁹ et p̄tracap̄
xp̄ianit̄ s; obſeruante Grecoꝝ ac Rutenorū mores et ritus ac facientes in Regno tuo
ab aliis obſeruari. diuina tam grā inspirante uolentes accedere ad deiordem et
obedientiam aplice ſedis et māti. nos minime affectib⁹ ſitientes aut uer salutem
tuūnq; pſectū comedis et honore Serenitate. t. mo. hor. in dīo. q. ſan. mī doctriu. n
nō abnuens uenerabilit̄ amplexari. ritus et mores xp̄ianorū latiororū deuote ſuſcipi⁹
et obſerves. te Regnumq; tuū pro amore xp̄i ſubmittendo ſuam domino Romano
ecclie matris uniuersorū fideliū que te ut magnū in ecclia di p̄ncipē h̄c p̄mit
et diligere ut filium ſp̄alem. Vberi enī erga te ſenties grām aplice ſedis et māti
ſi rehuquens iter deuum p̄ ostendam t̄ uam recutidmigrandi. nosq; t̄ et Re
gno tuo benigni fauoris preſidū efficiet impendem⁹. Sicut Regat. xv. kt. Aug.
Pontificis mī anno Quinto. f. Illustri Romuorū imp̄itorū ſemp̄ Aug⁹ Regis uult.

Epistula Gregorii IX (cfr. nr. 5)

249.

Romae, 19 . XII . 1614

Iterum res religionis in Comitiis Regni Poloniae defendenda commendantur. Inter ea negotia Ecclesia Unita primum occupabat locum, semperque a Paulo V in Comitiis Poloniae commendabatur. Saepe saepius id verbis tantummodo valde generalibus exprimebatur, Nuntioque Varsaviensi in mandatis dabatur, ut cum singulis, quibus Brevia destinabantur, hisce de rebus petractaret, prout patet ex instructionibus quae hisce occasionibus Nuntiis transmittebantur. Inde et Brevia, de quibus praesentem facimus notam, hunc eundem habebant scopum et finem. Sed quia expresse « Rutheni » non nominabantur, elenchum solummodo Destinatariorum hic adducimus.

ASV, *Armarium* 45, vol. 10, fol. 69-83, nr. 178-226.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc. Venerabilis frater, salutem etc.

Carissime in Christo fili (-a) noster (-a), salutem.

- « Appropinquare iam tempus » (*Regi Poloniae*, nr. 173).
- « Consueta fiducia » (*Reginae Poloniae Constantiae*, nr. 179).
- « Quantam pro comperto » (*Archiep. Gnesnensi*, nr. 180).
- « In magna animi » (*Joanni Andreae, Archiep. Leopoliensi*, nr. 181).
- « Quia optime novimus » (*Paulo, Episcopo Luceorieni*, nr. 182).
- « Quia novimus » (*Andreae, Ep. Posnaniensi*, nr. 183).
- « Exigit pastoralis » (*Othoni, ep. Vendensi*, nr. 184).
- « Admonet Nos » (*Adamo, Ep. Camenecensi*, nr. 185).
- « Mandavimus Venerabili » (*Simoni, Ep. Warmiensi*, nr. 186).
- « Pessima Haereticorum » (*Benedicto, Ep. Vilnensi*, nr. 187).
- « Etsi facile » (*Laurentio, Ep. Wladislaviensi*, nr. 188).
- « Quia renuntiabit » (*Joanni, Ep. Culmensi*, nr. 189).
- « Quam premat Nos » (*Gregorio, Ep. Chelmensi*, nr. 190).
- « Ut evidentem » (*Stanislao, Ep. Premisliensi*, nr. 191).
- « Sollicitat vehementer » (*Christophoro, Ep. Chioviensi*, nr. 192).
- « Suspensi valde » (*Joanni, Ep. Samogitiae*, nr. 193).
- « Pro pastorali nostra » (*Petro, Ep. Cracoviensi*, nr. 194).
- « Urget Nos » (*Martino, Ep. Plocensi*, nr. 195).
- « Habet a nobis » (*pro aliquibus Episcopis in Polonia*, nr. 196).
- « Expectatio futurorum » (*pro aliquibus Ep. in Polonia*, nr. 197).
- « Cum tanta sit » (*Sigismundo de Mirov Miszkowski, Reg. Pol. Mares.*, nr. 198).

« Habet a nobis » (*Stan. Zolkiewski, Palat. Kioviensi, Exercituum Regni Poloniae Duci generali*, nr. 199).

« Praecipimus Venerabili » (*Adamo de Zmigrod Stalniski, Castellano Callisiensi*, nr. 200).

« Quo magis » (*Sigism. Grudzinski, Palatino Ravensi*, nr. 201).

« Vehementi animi » (*Andreae Proyiemski, Palatino Gnesnensi*, nr. 202).

« Narrabit Nobilitati Tuae » (*Castellano Posnaniensi*, nr. 203).

« Quia instare tempus » (*Nicolao Christ. Radzivil, Duci in Olika, Palatino Vilnensi*, nr. 204).

« Solliciti de religionis » (*Joanni ab Ostrog, Palat. Posnaniensi*, nr. 205).

« Sicuti dubitare » (*Stan. Warzicki, Thesaurario Regni Poloniae*, nr. 206).

« Experti toties » (*Palatino Wladislaviensi*, nr. 207).

« Reddet Nobilitati Tuae » (*Fabio Kriski, Regni Poloniae Cancellerio*, nr. 208).

« Quamquam minime » (*Leoni Sapieha, M. Duc. Lithuaniae Cancellerio*, nr. 209).

« Nimis frequentibus » (*Joan. Carolo Chodkiewicz, Ex. M. Duc. Lith. Duci*, nr. 210).

« De communi utilitate » (*Alberto Kriski, Castellano Plocensi*, nr. 211).

« Sollicitat vehementer » (*Nicolao Olesinski, Castellano Radom.* nr. 212).

« Quam nobis polliceri » (*Joanni Duci Ostrogiae, Castellano Cracoviensi* nr. 213).

« Quae de Nobilitatis Tuae » (*Adamo Czarnkowski, Palat. Lanciciensi*, nr. 214).

« Multum sane » (*Joan. Zbigneo Ossolinski, Palat. Sandomiriae* nr. 215).

« Accipies a Venerabili » (*Michaeli Dzialynski, Palat. Brestensi*, nr. 216).

« Quam nobis polliceri » (*Hieronymo Chodkiewicz, Castel. Vilnensi* nr. 217).

« Fiducia quam » (*Nic. Zebrzydowski, Palat. Cracoviensi*, nr. 218).

« Memores filialis » (*Thomae de Lezenice Gostomski, Palat. Mazoviae*, nr. 219).

« Pro comperto habemus » (*Nicol. Danilowicz, Palat. Russiae*, nr. 220).

« Quod utique pollicetur » (*Stanislao de Tarnow, Castel. Sandomiriensi*, nr. 221).

« Praebet se Nobilitati » (*Stanisl. Krasinski, Palat. Plocensi*, nr. 222).

« Graviter commoti » (*Stan. Bykowski, Palat. Siradiensi*, nr. 223).

« Suspitione vehementi » (*Georgio de Zbaraz, Incisori Regni Poloniae, Capitaneo Piscensi, atque Solbaliensi*, nr. 224).

« Confisi in Nobilitatis Tuae » (*aliquibus Nobilibus*, nr. 225).

« Venerabilis frater » (*pro tribus Nobilibus*, nr. 226).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, Kalendas Januarii MDCXIII, Pontificatus Nostri Anno decimo. vel:

Datum ut supra.

PETRUS STROZA

250.

Romae, 29 . V . 1615

Palus V auctoritate sua Apostolica exemplar Bullae « Decet Romanum Pontificem » confirmat, ad instantiam Josephi Velamin Rutskyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 626, fol. lrv.
APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 336, fol. 80-81v.

Pro Natione Ruthena. In forma provisionis nostrae.

PALUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Provisionis nostrae dat praevenire subsidio, ut ius suum cuilibet obser-
vetur. Hinc est quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis
Clementis PP. VIII, Praedecessoris nostri, Registro ipsius Praedecessoris
repertum pro eo, quod sicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis
fratris nostri Josephi moderni Archiepiscopi Metropolitae Kiovensis et Ha-
liciensis ac totius Russiae petitio continebat, ipse huiusmodi tenorem ex certis
causis se asserit indigere, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et
ad ipsius Josephi Archiepiscopi nobis propterea supplicantis instantiam prae-
sentibus annotare fecimus qui est talis: « Clemens Episcopus Servus Servorum
Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem eos qui pravis
schismatum erroribus relictis ad Sanctae Matris Ecclesiae unitatem redierunt...
(etc. prout supra sub anno 1596)...»

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo
quingentesimo nonagesimo sexto, septimo Kal. Martii, Pontificatus Nostri
Anno quinto.

Caeterum ut earundem literarum tenor praefatus sic insertus, omnimo-
dam rei aut facti certitudinem faciat, auctoritate Apostolica decernimus, ut
illud idem robur eandemque vim et eundem vigorem dictus tenor in omni-
bus et per omnia habeat, quae haberent literae originales supra dictae, et
eadem prorsus ipsi tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque sive
in iudicio, sive alibi ubi fuerint exhibitae et ostensae, et eidem tenori stetur
in omnibus et per omnia, sicut eiisdem literis originalibus statuetur, si forent
exhibitae et ostensae.

Per hocce nullum ius de novo cuiquam acquiri volumus, sed antiquum
tantum conservari. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. in-
cursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae
Millesimo sexcentesimo decimo quinto, quarto Kal. Junii, Pontificatus Nostri
Anno decimo²⁶.

²⁶ Confirmatio haec etiam in Registro Secretariatus Brevium Apostolicorum **textum**
habet valde corruptum, immo mendis chronologicis refertum. Revera dicitur in textu de
Josepho Metropolita Kiovensi, qui tantummodo ab an. 1614 prout talis reputabatur, post
mortem nempe Hypati Potij (1613). In fine vero datur sub « data 1605, Pontificatus anno
primo ». Fortasse agitur de aliqua retrodatatione, nam revera die 29.V.1605 Paulus V Ca-
thedram Petri sollemniter ascensus est. Secundum nostram opinionem agitur de anno 1615,
vel etiam 1616, quando Metropolita noviter confirmatus iura sibi competentia requirebat.

251.

Romae, 14 . XI . 1615

Paulus V Joanni Herburto Ruthenos unitos enixe commendat.

ASV, *Armarium* 45, vol. 15 fol.
HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 249-250.

Dilecto filio Joanni Felici Herburt.

PAULUS PP. V. Dilekte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solatium non mediocre nobis attulit, quod ut audivimus profitearis te non modo filium huius Apostolicae Sedis devotissimum, sed Religionis catholicae zelantissimum. Augeat Dominus in animo tuo hunc adeo laudabilem pietatis affectum. Sicut ex ipso haud vulgarem nostram charitatem tibi conciliasti, nunc, fili, cum intellexerimus, quantum molestiae dilectis filiis Ruthenis adimeretur, qui se ad Unionem Sanctae Romanae Ecclesiae adiunxerunt, si eorum piis desideriis faveres, sitque nobis maxime cordi horum filiorum nostrorum consolatio; in tua erga Nos filiali observantia confisi significare tibi voluimus, praestitum te nobis officium gratissimum, si in omnibus, quae poteris, illis opitulatus fueris.

Quod ut sedulo facias hortamur, et benedictionem nostram Apostolicam tibi peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, XVIII Kalendas Decembris MDCXV, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

252.

Romae, 2 . XII . 1615

Privilegium Pauli PP. V. de recipiendis quatuor Alumnis ruthenis in Collegio Graecorum de Urbe.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 532, fol. 269rv.
THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 359-60, nr. 287.

PAULUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem eos, qui pravis schismatum erroribus relictis ad S. Matris Ecclesiae Catholicae Romanae unitatem et communionem redierunt, specialibus favoribus et gratis prosequi, ut illi in eiusdem Ecclesiae fide et obedientia constantius perseverent, quo cumulationibus beneficiis se affectos esse perspexerint. Quapropter, ut Natio Ruthena seu Russa fide catholica ac sana et orthodoxa doctrina melius et commodius imbuatur, supplicationibus Venerabilis fratris Josephi, Archiepiscopi Kiovensis et Halicensis totius nationis praedictae Metropolitae²⁷, nobis super hoc humiliter porrectis, incli-

²⁷ Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637), Metropolita Kiovensis, qui tunc Romae commorabatur « limina Apostolorum visitans ». Hoc tempore etiam nominatus est « solio pontificio assistens ».

nati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus quatuor dictae Nationis, ex iis scilicet qui ad praedictam unitatem redierunt adolescentes in Collegio Graecorum de Urbe ad instar aliorum dicti Collegii Alumnorum ali, et teneri, ac in discendentium loca alii eiusdem Nationis substitui debeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, iniungentes propterea Venerabili fratri nostro Episcopo Sabinensi, Cardinali Justiniano nun-
cupato, et pro tempore existenti dicti Collegii Protectori, eiusdem vero Col-
legii Rectori caeterisque ad quos spectat in virtute sanctae obedientiae, ac
sub arbitrii nostri poenis mandantes, ut quatuor adolescentes huiusmodi in
dictum Collegium iuxta tenorem praesentium admitti faciat, et respective
admittat, illisque ac in discendentium loca usque ad praedictum numerum
ex dicta Natione pro tempore sibstituendis faveant, et assistant ac instar alio-
rum Alumnorum sine aliqua prorsus difficultate tractent.

Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore,
suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtainere debere, ac irritum
et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate contigit
attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non
dicti Collegii, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate
alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et lit-
teris Apostolicis in contrarium permissorum quomodolibet concessis, confirma-
tis, et innovatis, quibus omnibus et singulis eorum (f. 269v) tenores praesen-
tibus pro expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris, hac vice
dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceteris contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, die II Decembris 1615, Anno XI
Pontificatus.

253.

Romae, 3 . XII . 1615

*Breve Pauli V, concedens erectionem Scholarum in partibus Russiae, et earun-
dem scholaribus indulgetias concessas sodalibus Clericorum S. J.*

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 351, fol. 368rv.

BULLAE ET BREVIA..., I, Poczajowiae, 1767, p. 30-34.

HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 361.

PAULUS PP. V. Ad futuram rei memoriam.

Piis et devotis venerabilis fratris Archiepiscopi Kijoviensis et Haliciensis
suplicationibus Nobis desuper humiliter porrectis inclinati, eidem Josepho
Archiepiscopo, ac personis ab eo deputandis, ut in locis decentibus, et opor-
tunis in partibus Russiae Scholas quascunque ad iuuentutem in bonis artibus,
ac doctrina catholica erudiendam, sine tamen alicuius praeiudicio construere,
erigere, et instituere, ac earundem scholarum curam, et regimen personis
piis, et eruditis sibi benevisis, committere, et demandare libere, et licite
possit, et valeat, Apostolica auctoritate, tenore praesentium facultatem con-
cedimus, et impertimur.

Insuper, ut earundem scholarum scholares studiis alacrius insistant, scholis per dictum Josephum Archiepiscopum, seu ab eo deputandum, vigore praesentium erigendis, et instituendis, illarumque scholaribus pro tempore existentibus, omnes, et singulas indulgentias, et gratias speciales, etiam per modum extensionis, et excommunicationis, vel alias quomodolibet scholaribus in sodalitate Annuntiationis Beatae Mariae Virginis in Ecclesiis Clericorum Regularium Societatis Jesu instituta descriptis concessas concedimus, et communicamus, ac ad illas, et illos auctoritate, et tenore praesentis extendimus. Non obstantibus quantum opus sit nostra de non concedentibus indulgentiis, ad instar, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die tertia Decembris MDCXV, Pontificatus Nostri Anno XI.

254.

Romae, 10 . XII . 1615

Breve Pauli V, declarans Promotos ruthenos ad Cathedrales Ecclesias consecrationem libere et licite suscipere posse in assistentia Episcoporum latinorum et e converso Latinos in assistentia Episcoporum ruthenorum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 531, fol. 372-373.

BULLAE ET BREVIA..., I, Poczajowiae 1767, p. D-F.

HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 362-3.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lituaniae*, vol. III, p. 361, nr. 239.

PAULUS PP. V. Ad perpetuam rei memoriam.

In supremo Apostolatus solio, divina dispositione, meritis licet imparibus praesidentes, ad ea libenter intendimus, per quae Ecclesiarum, Praesulum, praesertim in partibus remotis agentium, communitati et conscientiae securitati opportune consulitur. Sane Venerabilis fratriss Josephi, Archiepiscopi Kijoviensis et Halicensis, totius nationis Ruthenae ac Russiae Metropolitae nomine nobis nuper expositum fuit, quia nonnulli, de quorum personis Cathedralibus Ecclesias in partibus Russiae hactenus provisum fuit, licet iuxta ritum graecum, post unionem eiusdem Nationis, cum Ecclesia Romana, ab Apostolica Sede permisum vivant, tamen ob magnam Ecclesiarum huiusmodi distantiam munus consecrationis, in defectu Episcoporum eiusdem ritus latini, gratiam tamen, et communionem Apostolicae Sedis habentibus, et alias canonice suscepserunt. Cum autem sicut eadem expostulatio subiungebat, id inconsulta Sede Apostolica fieri posse quidam dubitent, nobis propterea dictus Josephus Archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut desuper providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pro nostri pastoralis Officii debito, omnem circa praemissa dubitandi causam tollere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore praesentium decernimus, et declaramus, promotis ad Cathedrales Ecclesias, in dictis partibus existentibus, et ritu graeco a Sede Apostolica permisso, in unione

praedicta viventibus, consecrationis munus, assistantibus duobus, vel tribus Episcopis ritus latini, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentibus, et econtra promotis ad Cathedrales Ecclesias, ibidem existentes, qui ritu latino vivunt, assistantibus duobus vel tribus Episcopis ritus graeci, in unione tamen praedicta viventibus, ac gratiam et communionem eiusdem Sedis habentibus, munus consecrationis impendi, et ab illis suscipi, dommodo alias canonice impendatur, libere et licite posse. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 10 Decembris MDCXV, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

255.

Rome, 10. XII. 1615

*Breve Pauli V de non mutando Ritu.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 531, fol. 473rv.

BULLAE ET BREVIA..., I, Poczajowiae, 1767, p. B-D.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 360-1, nr. 288.HARASIEWIEZ M., *Annales...*, p. 252-254

PAULUS PP. V. Ad perpetuam rei memoriam.

Solet circumspecta Romani Pontificis providentia, si quae aliquando super literis ab Apostolica Sede emanatis dubia oriuntur, suae declarationis oraculo tollere, et alias providere, prout temporum et personarum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Alias siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII, Praedecessor noster, bonae memoriae Michaelem Archiepiscopum, et Metropolitam Kijoviensem et Halicensem ac totius Russiae, et cum eo plerosque eius comprovinciales Episcopos, et alios tunc expressos, una cum omni eorum Clero, et populo Nationis Ruteneae seu Russiae, quae cum Romana Ecclesia non communicabat, sed Graecorum schisma sequebatur, intra gremium Ecclesiae Catholicae et unitatem S. R. E. uti membra sua in Christo sub certis modo et forma recepit, univit, adiunxit, annexuit et incorporavit, prout in dicti Clementis, Praedecessoris nostri, sub plumbo, sub data Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDXCV decimo Kalendas Januarii, Pontificatus sui Anno quarto, expeditis literis plenius continetur.

Cum autem sicut Venerabilis fratris Josephi Archiepiscopi moderni Kijoviensis et Haliciensis nomine nobis nuper expositum fuit, non desint, qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem inducti sibi persvadeant Romanam Ecclesiam per unionem praemissam eorum ritus et ceremonias in Divinis officiis et Sacramentorum administratione tollere et extinguere voluisse, unde scandalum multorum provenire dignoscitur.

Quapropter Nos ex pastoralis officii debito inimico homini bono semini superseminandi zizania occasionem auferre, et errorem huiusmodi ex mentibus hominum evellere, ac scandalis occurrere volentes, nec non literarum

praefatarum tenorem praesentibus pro expressis habentes supplicationibus dicti Josephi Archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes sacros ritus et ceremonias, quibus Episcopi rutheni et Clerus iuxta Sanctorum Patrum Graecorum instituta in Divinis officiis, et sacro-sancto Missae sacrificio, caeterorumque Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non aduersentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere, aut extinguere Ecclesiae Romanae intentionem, mentem, et voluntatem non fuisse, nec esse, neque id dici, vel censeri potuisse, nec posse, quin imo dictos ritus eisdem ruthenis Episcopis et Clero, ex Apostolica benignitate permisso, concessos, et indulto esse, sicut in literis predictis, et Concilio Florentino appareat, et ex instituto Collegii Graecorum Urbis nostrae, in quo Alumni de ritibus huiusmodi servandis, sicut accepimus, iuramentum praestant, Apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus et declaramus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die decima Decembris MDCXV, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

256.

Romae, 12 . XII . 1615

Auctoritate Apostolica confirmatur pensio 600 florenorum super Episcopatu Volodimiriensi in favorem Metropolitae Kiovienensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 531, fol. 354-358.

Venerabli fratri Hypatio, Archiepiscopo Kyoviensi et Haliciensi²⁸.

PAULUS PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque, sicut accepimus, Venerabilis frater Joachimus, Episcopus Vlodimiriensis²⁹, Ecclesiis Kyoviensi et Haliciensi, invicem perpetuo unitis, metropolitico iure subiectus, considerans super redditu mensarum Archiepiscopalium Kyoviensis et Haliciensi ad tuam substestationem, onerumque tibi et Ecclesiis predictis incumbentium supportationem minime sufficere, et ecclesiam Beatae Mariae Virginis Vilnensem ac aedes apud quas pro tempore existens Archiepiscopus Kyoviensis et Haliciensis residere consuevit conflagrasse, mensae autem epis-

²⁸ Agitur iam de Metropolita Josepho Velamin Rutskyj (1613-1637), Successore Hypatii Potij (1600-1613).

²⁹ Joachimus Morochovskyj, Episcopus Vlodimiriensis et Berestensis post obitum Metropolitae Hypatii, qui simul etiam Episcopus harum Eparchiarum erat. Studuit Romae, et in patriam reversus, post brevem vitae saecularis cursum, Ordinem Basiliyanorum ingressus est (an. 1612), et anno 1614 nominatus Episcopus (1614-31).

copalis Vlodimiriensis redditus, benedicente Domino, satis uberes esse, pia charitate ductus, mille florinos monetae pro restauratione ecclesiae Beatae Mariae aedium praefatarum donaverit, et insuper reservationem pensionis annuae sexcentorum florinorum similium tibi quotannis, in certo, ser. certis terminis persolvendorum conserverit, prout in instrumento publico, desuper confecto plenius dicitur contineri.

Nos (f. 354v) praemissorum meritorum tuorum intuitu speciale tibi gratiam facere volentes, teque a quibusvis etc. censentes, nec non donationem mille florinorum huismodi ad effectum praedictum ratam et gratam habentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis reverentia decentius tenere valeas, pensionem annuam sexcentorum florenorum monetae praefatae supra dictae mensae episcopalis Vlodimiriensis fructibus, reddituum et proventuum, et iuribus obvenientibus et emolumenis universis tibi quoadvisive procuratori tuo ad hoc a te speciale mandatum habenti ad dictum Joachimum Episcopum, annis singulis in termino seu terminis in dicto instrumento expressis pro te et una cum Ecclesiis Kyoviensi et Haliciensi ac quibusvis beneficiis ecclesiasticis, pro te forsan obtentis, percipiendi, exigendi, levandi, ac in tuos usus et utilitatem convertere, auctoritate Apostolica praedicta tenore praesentium reservamus, constituimus, et assignamus. Decernentes Joachimum (f. 355) Episcopum ad integrum solutionem pensionis per praesentes reservatae huiusmodi tibi faciendam iuxta reservationis, constitutioonis et assignationis huiusmodi tenorem fore efficaciter obligatum. Ac volentes, et eadem auctoritate statuentes, si dictus Joachimus Episcopus tempore in dicto instrumento expresso vel saltem infra triginta dies immediate sequentes a te legitime interpellatus pensionem per praesentes reservatam, cum tunc debitam non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, ipse ingressu ecclesiae interdictus existat, et donec tibi vel eidem procuratori de pensione per praesentes reservata per eum tibi nunc debita integre satisfactum, aut aliter tecum vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus, relaxationem interdicti huiusmodi nequeat obtainere. Si vero per sex menses, dictos triginta dies immediate sequentes, sub huiusmodi interdicto animo, quod absit, permanserit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem a regimine et administratione dictae Ecclesiae Vlodimiriensis suspensus existat eo ipso.

Quocirca Venerabili fratri Episcopo Vilnensi mandamus, (f. 355v) quantum ipse per se vel alium, vel alias faciat auctoritate nostra pensionem per praesentes reservatam huiusmodi tibi quodannis vel procuratori praefato iuxta reservationis, constitutionis et assignationis huiusmodi continentiam et tenorem persolvi, et nihilominus, si Joachimus Episcopus interdicti et suspensionis sententiam huiusmodi incurrisse ei constiterit, quoties super hoc pro parte tua fuerit requisitus, Joachimus Episcopus tamdiu Dominicis et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenierit, interdictum et suspensionem publice nuntiaret, et faciat ab aliis nuntiari, donec tibi vel eidem procuratori de pensione per praesentes reservata huiusmodi tibi tunc debita intergre satisfactum, ipseque Joachimus Episcopus interdictus, et suspensus huiusmodi interdicti et suspensionis relaxationem meruerit obtainere. Contradictores compescendo, non obstantibus Lateranensis

Concilii novissime celebrati, pensiones annuas super fructibus mensarum epis-copalium, nisi excessioneis aut alia probabili causa reservari prohibentur, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis ac dictae Ecclesiae Vlodimiriensis iuramento corroboratis statutis et consuetudinibus (f. 358) contrariis quibuscumque. Aut si Joachimo praedicto Episcopo vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras per mentionem, et quelibet alia etiam specialis.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, die XII Decembris An. XI.

257.

Romae, 23 . XII . 1615

Pontifex narrat de adventu Josephi Rutskyj ad « limina Apostolorum », quem laudat, et Regi commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 32, fol. 223.
ASV, *Armarium* 45, vol. 15, fol. 96v-97r.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.
De adventu Josephi Archiepiscopi Kioviensis.

PAULUS PAPA V-s. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Periucundus Nobis fuit Venerabilis fratris Josephi Kioviensis Archiepiscopi Romam adventus, cum quod gregis tanto a Nobis intervallo disiuncti Episcopum praesentem videre, tum quod statum eius Ecclesiae coram cognoscere licuit, ac sicut huiusmodi Ecclesiae mala Nos afflixerunt, ita Pastoris virtutes praecipue Unionis zelus laetitiae fuerunt. Quod etsi testimonio Maiestatis tuae antea credebamus, tamen aspectus ipse Nos maxime delectavit, Tuaeque Maiestatis laudes instaurandi, qui tales viros regendis ecclesiis Nobis (f. 97) proponit, praebuit occasionem. Quapropter quantum cum Domino potuimus, eum per honorifice pertractavimus, ac favoribus, ac gratiis prosecuti sumus. Et licet ipsius tibi perspectissima merita, ac eximia Maiestatis Tuae pietas satis per se eum commendant, tamen pro munere nostro, et precipua in illum charitate eum tibi, eiusque pia consilia magnopere commendamus. Impleat Dominus Maiestatem Tuam benedictionibus suis, et Nos Apostolicam benedictionem nostram tibi iterum impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vige-sima tercia Decembris, Millesimo sexcentesimo quintodecimo, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

S. COBELLUTIUS

258.

Romae, 23 . XII . 1615

Metropolita Josephus Rutskyj, et Unio simpliciter Episcopo Luceoriensi latino commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 32, fol. 224.
ASV, *Armarium* 45, vol. 15, fol. 97v-98r.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi³⁰.
Idem argumentum

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gratissima fuit Nobis Venerabilis fratris Kioviensis Archiepiscopi praesentia, tum quod operari visa est redintegrationem quandam vinculi unionis cum hac Sancta Apostolica Sede, tum ob singulares eius virtutes, quas coram agnoscere periucundum fuit. Quapropter, quantum cum Domino potuimus, curavimus, ut nostrae in se praecipuae charitatis argumenta ne desideraret. Reliquum est, ut eius unionis pium studium ipse etiam pro viribus complectaris, quod et Deo maxime acceptum, et Nobis gratissimum erit, et Apostolorum benedictionem tibi impartimur.

Datum Romae apud Sanctum (f. 98) Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Decembris, Millesimo sexcentesimo quintodecimo, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

259.

Romae, 23 . XII . 1615

Idem Metropolita Chodkiewicz Carolo commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 32, fol. 225.
ASV, *Armarium* 45, vol. 15, fol. 98rv.

Dilecto filio, nobili viro, Carolo, Praesidi Samogitia
et supremo exercituum Lithuaniae Duci .

Idem argumentum

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tua egregia facta, quibus, ut accepimus, superioribus annis adversus Haereticos, et Schismaticos in potentia virtutis Dei fortiter pugnando multum verae laudis promeruisti, tuique labores, quos assidue pro Catholiceae Religionis cultu amplificando te suspicere a Venerabili fratre Josepho Kioviensi (f. 98v) Archiepiscopo accepimus, nos inducunt, ut ad maiora praemia per illustriora indies virtutum opera magna fiducia incitemus. Quamobrem ad Unionis negotium promovendum in tuis primum dominis, deinde ubicumque

³⁰ Paulus III Wolueki (1608-1616), translatus ad Eparchiam Cuiavensem (1616-1622). Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 651. 639.

poteris, et virtutem tuam convertas, te in Domino vehementer hortamur, ac simul ad Josephum ope, et consilio iuvandum, quo pastoralem sollicitudinem suam errantibus ovibus impendere, et eas a faucibus luporum eripere possit, utrumque tua pietate et illustri virtute dignissimum erit. Ipse vero meritam a Domino retributionem consequeris, apud Nos quidem, et hanc Sanctam Sedem Apostolicam magni semper erunt merita tua, et cum se occasio dederit, quanti illa faciamus, re ipsa declarabimus.

Datum ut supra.

260.

Romae, 23 . XII . 1615

Idem scribitur Cancellario Lithuaniae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 15, fol. 99rv.
ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 32, fol. 226.

Dilecto filio, nobili viro, Leoni Sapiha,
Ducatus Lithuaniae Cancellario.

Idem argumentum

PAULUS PP. V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tametsi quantum pietate, et fidei catholicae zelo praestes satis perspectam habemus, nihilominus quae ex Venerabili fratre Josepho, Kiovensi Archiepiscopo, cognovimus, multum nostram de te auxerunt opinionem, ita ut Unionis Ruthenorum cum hac Sancta Sede negotium, si cuiusquam alterius, tuo certe favore, ac patrocinio stare, ac foeliciter progredi posse non dubitemus. Quia tamen strenue in Comitiis Religionis Catholicae causam tueri, et adversariis indifferenter resistere Catholicosque ruthenos rebus omnibus iuvare, et complecti soleas, quamobrem magnopere commendamus (f. 99v) egregia huiusmodi opera tua, et licet minime opus esse intelligamus, tamen pro nostri pastoralis officii debito te vehementer in Domino hortamur, ut aemulando charismata meliora de unione benemereri pergas, aeternam a Domino retributionem accepturus. Apud Nos, et Apostolicam Sedem quanti haec tua merita sunt, quotiescumque erit occasio, re ipsa perspicies. Dominus Nobilitatem Tuam continua coelestis gratiae suae protectione ab omnibus adversitatibus liberet, atque defendat.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Decembris, Millesimo sexcentesimo quintodecimo, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

S. COBELLUTIUS

261.

Romae, 23 . XII . 1615

Rutheni commendantur protegendi et favendi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 32, fol. 227.

ASV, *Armarium* 45, vol. 15, fol. 100rv.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri,
Annae de Stembergh, Ducissae de Ostrog.
Pro Archiepiscopo Russiae.

PAULUS PP. V-s. Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad hoc nobis honores, potentiam, et divitias tribuit Deus, ut ad ipsius largitoris gloriam his temporalibus utamur, et acquiramus aeterna. Neque ignoras divinae Nos gloriae maxime inservire ipsius Ecclesiae, quae unica est sponso suo Christo unionem promovendo. Hoc Nos te serio procurare in Domino confidimus, sicut eam oportet, quae multa non solum temporalia, sed etiam spiritualia divinae debet bonitati. Quamobrem te in Domino hortamur, ut Unioni Ruthenorum in istis tuis Dominiis, quantum tibi a Domino conceditur, faveas. Ita enim non solum negotium Dei (f. 100v) utiliter geres, sed etiam tuos maiores imitaberis, qui christianis virtutibus in Ecclesia claruerunt. Nec dubitamus, quin in tam pium, et maxime Deo acceptum opus etiam Nati tui incumbant, salubribus monitis tuis imbuti. Profecto quamquam Nobis, aut huic Sanctae Sedi gratius facere non poteritis, ac tibi, ac Natis tuis Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, ut supra.

S. COBELLUTIUS

262.

Romae, 23 . XII . 1615

Archiepiscopus Kioviensis commendatur Palatino Kioviensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 32, fol. 228rv.

ASV, *Armarium* 45, vol. 15, fol. 100v-101v.

Dilecto filio, nobili viro, Stanislao Zolkiewsky, Palatino Chioviensi.
Pro Archiepiscopo Ruthenorum.

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

(f. 101). Quantae curae nobis sit Ruthenorum unio cum hac Sancta Apostolica Sede, facilius intelligere ipse potes, quam Nos enarrare. Cum divina Dei clementia suo inscrutabili consilio humilitatem nostram vocaverit ad pascendum gregem suum, quomodo possumus non maximam habere sollicitudinem tantarum ovium, ut quae ad eius ovile adductae sunt, iterum

non dispergantur, dispersae vero adducantur. Quapropter sicut rem Domino egeris maxime acceptam, ita etiam nobis, qui illi servimus, sumopere gratum facere necesse est, qui hanc Unionem iuvant. Licet vero non dubitemus, quin Venerabilis frater Josephus, Archiepiscopus Kioviensis, partes suas impleat, cum Provinciam visitaverit, et Kioviam eius Metropolim inviserit, tamen, ut accepimus, auctoritatem suam in ea exercere non potuit, Archimandritarum, et aliorum ritus graeci Ecclesiasticorum licentia impeditus, qui ut commodius (f. 101v) serviant concupiscentiis suis Ordinario suo subesse nolunt, et Kozakos sibi patronos optarunt, ut securi in sua licentia perseverent, ita ut Josephus Unionem promovere non valeat, nisi tui similium, qui Primatestis istius Regni auxilium praesto illi sit. Quare te in Domino hortamur, ut causam Dei complectaris; multum enim potes, et ut velis singularis tuus fidei catholicae zelus praestabit, quemadmodum te re ipsa facturum Nobis pollicetur. Nos quidem ut Dominus sua coelesti gratia tibi faveat, intente precamur, nostramque in te voluntatem, ut quacumque re possumus, perspicias, efficiemus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesimalertia Decembbris MDCXV, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

S. COBELLUTIUS

263.

Romae, 18 . III . 1616

Iterum commendantur res religionis et Unionis Ruthenorum, prout patet ex ipsis Actis Comitiorum an. 1616. Brevia tamen hac occasione transmissa de rebus tantum tractant religionis catholicae in generali. Inde et noster elenchus³¹.

ASV, *Armarium* 45, vol. 11, fol. 80-90, nr. 185-219.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Charissime in Christo fili (-a) noster (-a), salutem.

Venerabilis frater, salutem etc.

Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

« Propediem habenda » (*Regi Poloniae*, nr. 185).

« Praestans pietatis » (*Reginae Poloniae*, nr. 186).

« Magnum in Nostris » (*Vladislao, filio Regis*, nr. 188).

« Ex his, quae » (*Archiep. Gnesnensi*, nr. 189).

« Eam in te semper » (*Petro, Ep. Cracoviensi*, nr. 190).

³¹ De his Comitiis Regni an. 1616, sic scribebat Nuntius Varsaviensis: « E' finito per la Iddio gratia la Dieta senza pregiudizio alcuno delle cose ecclesiastiche, ma non senza travaglio, e pericolo. Seppi gli ultimi giorni, che li Greci scismatici procuravano cose contrarie al mantenimento e progresso dell'Unione, e subito raccomandai il negotio a S. Maestà et alli principali Senatori; e l'ultimo giorno della Dieta fu ributtata una costituzione proposta ad instanza dell'istessi Seismatici.... » (10.VI. 1616, Varsavia; Cfr. ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 220, fol. 53).

« Praesentis temporis » (*Andreae, Ep. Posnaniensi*, nr. 191).
 « Accepimus instare » (*Othoni, Ep. Vindensi*, nr. 192).
 « Semper nobis » (*Stanislao, Ep. Cracoviensi*, nr. 193).
 « Quo magis experti » (*Paulo, Ep. Luceoriensi*, nr. 194).
 « Quo latior campus » (*Martino, Ep. Plocensi*, nr. 195).
 « In magna animi » (*Simoni, Ep. Warmiensi*, nr. 196).
 « Mandavimus Venerabili » (*Adamo, Ep. Camenecensi*, nr. 197).
 « Renuntiabit Fraternitati Tuae » (*Joanni, Ep. Culniensi*, nr. 198).
 « Valde sollicitat » (*Christophoro, Ep. Chioviensi*, nr. 199).
 « Valde suspensos » (*Benedicto, Ep. Vilnensi*, nr. 200).
 « Quod utique » (*Magno Cancellario Lithuaniae*, nr. 201).
 « Experti nimis » (*Joanni Carolo, Exercit. M. Duc. Lith. Duci*, nr. 202).
 « Existimavimus valde » (*Castellano Gnesnensi*, nr. 203).
 « Pollicetur nobis » (*Castellano Plocensi*, nr. 204).
 « Opportunum solatum » (*Cancellario Regni Poloniae*, nr. 205).
 « Mandavimus Venerabili » (*Palatino Sandomiriae*, nr. 206).
 « Exponet Nobilitati Tuae » (*Castellano Vilnensi*, nr. 207).
 « Quia praestitum te » (*Palatino Lanciciensi*, nr. 208).
 « Certi de tua » (*Palatino Culmensi*, nr. 209).
 « Peculiaris benevolentiae » (*Palatino Russiae*, nr. 210).
 « Confisi in tua » (*Palatino Cracoviensi*, nr. 211).
 « Tempus prope esse » (*Palatino Plocensi*, nr. 212).
 « Gravi animi cura » (*Castellano Sandomiriae*, nr. 213).
 « Accipies cum his » (*Palatino Wladislaviensi*, nr. 214).
 « Quantam fiduciam » (*Palatino Posnanensi*, nr. 215).
 « Datur Nobilitati Tuae » (*Palatino Vilnensi*, nr. 216).
 « Laudes prudentiae » (*Castellano Posnanensi*, nr. 217).
 « Eadem fiducia » (*Castellano Cracoviensi*, nr. 218).
 « Vehementer soliti sumus » (*Palatino Chioviensi*, nr. 219).
 Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, XV Kalendas Aprilis MDCXVI, Pontificatus Nostri Anno undecimo. *vel:*
 Datum ut supra.

264.

Romae, II . VI . 1616

Metropolitam Josephum Rutskyj Archiepiscopo Gnesnensi commendat.

ASV, Armarium 45, vol. 11, fol. 119rv, nr. 7.

Venerabili fratri, Archiepiscopo Gnesnensi³².

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Abunde notam esse Fraternitati Tuae existimamus pietatem et virtutem Venerabilis fratris Joseph Metropolitae rutheni, et quanto Catholicae Reli-

³² Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Regni erat Albertus III Baranowski (1608-1616).

gionis zelo studeat conservare unitatem nationis suae cum Sancta hac Apostolica Sede. Itaque non dubitamus quin intelligas quam ex animo ipsum in visceribus Christi diligamus, eique in omnibus, quae cum Domino possumus, solarium et opem ferre cupiamus. Significavit autem nobis nuper magno semper praesidio fuisse conservationi sanctae Unitatis gratiam et auxilium Venerabilium fratrum Polonorum Antistitum, eaque de causa commendatum esse potissimum Fraternitati Tuae cupere idque suppliciter a nobis postulavit. Multum enim de patrocinio tuo potissimum sibi pollicetur, non tantum ratione tuae dignitatis, atque auctoritatis, verum etiam ex experimento tuae in eum propensae voluntatis. Quare cum (f. 119v) omni charitatis affectu Fraternitati Tuae commendamus Ruthenorum Sanctae Unitatis Metropolitam, et a te etiam, atque etiam petimus, ut in omnibus cum ad ministerium suum pastorale commodius exequendum, tum ad Sanctam Unitatem magis, ac magis semper confirmandam pertinebunt, ei efficacissime faveas consilio, gratia, auctoritate, et opera tua, certus quod praeterquam quod facies quod nobis procul dubio pollicetur tua eximia religio, atque prudentia, praestabis nobis officium gratissimum, cuius semper memores erimus, sicut reipsa quoties se occasio obtulerit, experieris. Interim Fraternitati Tuae continuum incrementum divinae gratiae optamus, et benedictionem nostram Apostolicam peramanter imparsum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, III Idus Junii MDCXVI, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

265.

Romae, II . VI . 1616

Episcopo Vilnensi idem Metropolita Kioviensis commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 11, fol. 119v-120r, nr. 8.

Venerabili fratri, Episcopo Vilnensi³³.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significavit nobis Venerabilis frater Joseph, Metropolita Ruthenorum sanctae communionis, praesidium auctoritatis, et gratiae tuae plurimum sibi profuturum in conservanda unitate, quae Ruthenis catholicis intercedit cum Sancta Apostolica Sede, et propterea suppliciter a Nobis postulavit, ut ei apud Fraternitatem Tuam faveremus diligentи commendatione. Quantopere nobis cordi sit sanctae huius unitatis conservatio satis tibi perspectum esse arbitramur, neque enim latere te credimus officia quae hac de causa executi sumus occasione potissimum Regni Comitiorum. Ad haec peculiari amore ipsum Metropolitam ob spectatam eius pietatem, prudentiam, vitaeque integritatem ec laudabilem zelum, quo ministerium suum exercet. Quare aman-

³³ Eustachius Wollowicz (1615-1630).



Pars fol. 5v "Codicis Gertrudiani,, de Cividale
a Kondakov reconstructa.

Jaropolk cum Irene et matre ad pedes
provoluta protectionem B. Petri implorant

tissime eum tibi commendamus, ut omnibus quibus poteris officiis sublevare pastorales labores ipsius, tueri eum ab omni molestia atque difficultate, prae-
sertim in negotio sanctae unitatis cures, requistitus a Nobis efficacissime. In quo magnam quidem a Nobis (f. 120) inieris gratiam, ut experimento facile comperies. Multiplicet in te Dominus dona multiformis suae gratiae, ut quotidie melius eius bonitati inservire valeas, et Nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

266.

Romae, 28 . XII . 1616

Breve Pauli V declarans Clerum tam regularem, quam saecularem, itemque populum Nationis Ruthenae, communionem S. Sedis Apostolicae habentem, participare de omnibus gratiis et indulgentiis, quae in gratiam Christi fidelium a S. Sede Apostolica conceduntur.

*Bullae et Brevia..., I, Poczajowiae 1767, p. G-I.
HARASIEWICZ M., Annales..., p. 363-4.*

PAULUS PP. V. Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens Papa VIII, Praedecessor noster, bonae mem. Michaelem Archiepiscopum et Metropolitam Kijovensem et Halicensem ac totius Russiae, et cum eo plerosque eius conprovinciales Episcopos, et alios tunc expressos, una cum omni eorum Clero, et populo Nationis Ruthenae seu Russiae, quae cum Romana Ecclesia non communicabant, ...intra gremium Ecclesiae Catholicae et unitatem S. R. E. ut membra sua in Christo sub certis modo et forma exceptit, univit, adiunxit, adnexuit, incorporavit, prout in dicti Clementis praedecessoris sub plumbo desuper expeditis plenius continetur³⁴. Cum autem ad augendam Religionem, et Christi fidelium animarum salutem indulgentiae, et peccatorum remissiones, ac paenitentiarum relaxationes a Sede Apostolica dictis Christi fidelibus certa pia opera facientibus hactenus concessae fuerint, et in dies concedi soleant, et ab aliquibus, ut accepimus, revocetur in dubium, an Clerus et populus Nationis Ruthenae, seu Russiae intra gremium Catholicae Ecclesiae, ut praemittitur, recepti, Monachi quoque O. S. Basili Magni, ritus graeci, a Sede praedicta praemissi, gratiam et communionem dictae Sedis habentes, indulgentiarum huiusmodi participes esse possint, Nos pro nostro pastoralis officii debito omnem circa praemissa dubitandi causam tollere volentes, auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus: Clerum, et populum Nationis Ruthenae seu Russiae intra gremium Catholicae Ecclesiae, ut praemittitur, receptos, unitos, adiunctos, adnexos et incorporatos, nec non etiam dictos Monachos ritus graeci a Sede tamen praedicta permissos gratiam et communio-

³⁴ Vide supra sub anno 1595 (23.XII): « *Magnus Dominus* », et de data 7.II.1596: « *Benedictus sit Pastor* ».

nem eiusdem Sedis habentes, uti verae eiusdem Catholicae Ecclesiae membra, indulgentiarum ac peccatorum remissionem quarumcunque, etiam plenariarum et in forma iubilaei, ac paenitentiarum relaxationem, sicuti sunt caeteri Christi fideles tam saeculares, quam regulares, si ea quae pro illis consequendis praescribuntur, adimpleverint, vere participes esse, quibuscumque, quae in contrarium facere videntur, nequaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 28 Xbris 1616, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

267.

Romae, 25 . XI . 1617

Unio Ruthenorum Regi commendatur in Comitiis proxime futuris tuenda.

ASV, Armarium 45, vol. 12, fol. 75r, nr. 170.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Semper quidem consolatus est Nos praestans religionis zelus in Maiestate Tua summa cum prudentia coniunctus, quo hactenus cultus divini honoris, Catholicae Religionis integritas, et ecclesiastici Ordinis dignitas non modo firmum patrocinium, sed optatum a nobis incrementum in amplissimo Regno tuo obtinuerunt. Propterea in magna sollicitudine ob ea, quae de pessimis Haereticorum consiliis in futuris Regni Comitiis ad Nos allata sunt³⁵, recreamur tantum firma fiducia, quam in praestanti pietate tua, charissime fili, habemus. Mandavimus autem Venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, ut tibi diligenter exponeret animi nostri vehementem hac de causa curam, vel potius anxietatem, potissimum autem ex his quae audivimus Haereticos moliri adversus dilectos filios Ruthenos, qui communionem habent cum Sancta Apostolica Sede. Cuncta, ut ex eodem Nuntio nostro intelliges, quae ad statum Religionis Catholicae pertinent, Maiestati Tuae summopere commendamus, sed Ruthenorum catholicorum causam vel maxime tibi commendatam esse desideramus. Episcopo Sancti

³⁵ Sub data 20.X.1617 Nuntius Poloniae hunc in modum S. Sedem de proximis Comitiis certiorem reddebat: « Starò aspettando a suo tempo i Brevi per la Dieta, la quale si giudica sia per essere molto turbolenta, e pericolosa per le cose ecclesiastiche... Ruteni scismatici ancora, che nella Dieta passata, come avvisai a V. S. Ill.ma con l'aiuto non solo d'Heretici, et Cattolici laici, ma di Ecclesiastici ancora principali fecero tanto sforzo di ottenere una costituzione molto pregiudicabile a gl'Uniti, non perderanno hora l'istessa occasione per spuntar quello, che allora non gli riusci... Crederei che non potesse se non giovare se ne Brevi fosse expressa mentione de Ruteni uniti, perchè ho inteso per certo che contro di loro sia per farsi nuovo sforzo » (ASV, Fondo Borghese, Ser. II, vol. 217, fol. 68 rv).

Angeli³⁶ eandem prorsus fidem quam nobis haberes, a Maiestate Tua ut habeas, petimus, et cum omni nostri cordis affectu nostram tibi Apostolicam benedictionem impartimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, septimo Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertio-decimo.

268.

Romae, 25 . XI . 1617

Reginae Poloniae eadem res commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 75v, nr. 171.

Charissimae in Christo filiae nostrae Constantiae,
Poloniae et Sueciae Reginae Illustri.

PAULUS PAPA QUINTUS. Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Diligimus quidem maxime in visceribus Christi Maiestatem Tuam ob vere religiosam, ac zelantem voluntatem, qua de divini honoris amplificatione, deque propagatione Catholicae Religionis sollicitam te esse experimen-
to cognovimus. Sed occasio tibi offertur, charissima in Christo filia, deviciendi tibi arctissimo obligationis vinculo nostram paternam charitatem. Ut Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster Apostolicus, Maiestati Tuae renuntiabit mandato nostro, multa machinantur, ut accepimus, Haeretici, ut in futuris Regni Comitiis detimento afficiant statum Catholicae Religionis, praecipue vero insidiantur dilectis filiis Ruthenis cum hac Sancta Apostolica Sede coniunctis. Favemus autem hos dilectos filios peculiari amore ut oviculas nuper acquisitas, ad caulam Domini redactas, antea per desertum aberrantes. Ideo de eorum quiete, ac tranquillitate solliciti, cum omnia quae ad Religionis Catholicae conserva-
tionem spectant vehementer Maiestati Tuae commendamus, ut patrocinium illorum suscipias ipsosque regia auctoritate tua tuearis a te etiam, atque etiam petimus, sicut ipse noster Apostolicus Nuntius uberior tibi exponet. Maiestati Tuae divinae gratiae continuum incrementum optamus, et benedictionem nostram Apostolicam ex intimis nostrae charitatis visceribus impartimur.

Datum ut supra.

³⁶ Franciscus Diotallevi (1614-1621), Nuntius Varsaviensis.

269.

Romae, 25 . XI . 1617

Archiepiscopo Gnesnensi Rutheni catholici in futuris Regni Comitiis commendantur defendendi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 75v-76r, nr. 172.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi³⁷.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Perspecta Nobis Fraternitatis (f. 76) Tuae pietas, et prudentia non permittit, ut pluribus commendemus tibi quae ad Catholicae Religionis tutelam et ecclesiasticae dignitatis conservationem pertinent, ne detimento afficiantur ab Haereticis in futuris Regni Comitiis. At officii nostri ratio, et quod nuper accepimus de Haereticorum machinationibus urget Nos, ut quod satis opportune sponte tua praestiturus fuisse, petamus modo, ut diligentius, atque constantius agas, hoc est, ne permittas ullo pacto aliquid aggredi cum in publicis, tum in privatis deliberationibus contra ecclesiasticam immunitatem, et Catholicae Religionis integritatem; potissimum autem petimus a te, ut dilectos filios catholicos Ruthenos ab adversariorum iniuriis tuearis³⁸. Quae allata ad nos sunt de pessimis consiliis Haereticorum adversus Ruthenos Sanctae Communionis, et quam solliciti simus hac de causa, uberioris mandato nostro tibi significabit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, qui pariter fiduciam, quam in singulari, vereque sacerdotali virtute tua habemus, tibi declarabit. Omnipotens, ac misericors Deus pastorales labores tuos aura suae sanctae gratiae sublebet, et Nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

270.

Romae, 25 . XI . 1617

Idem Archiepiscopo Leopoliensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 76rv, nr. 173.

Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi³⁹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significabit Fraternitati Tuae Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, animi molestiam, qua laboramus

³⁷ Archiepiscopus Gnesensis hoc anno erat iam Laurentius Gembicki (1616-1624).

³⁸ Haec eadem occasio, ut in nota 35.

³⁹ Archiepiscopus Leopoliensis (1614-1633) Joannes VIII Andreas Próchnicki, ante Ep. Camenecensis.

hoc tempore ex his, quae ad Nos allata fuerunt de pessimis Haereticorum consiliis, et quantopere cupiamus, ut cures in futuris Regni Comitiis ne quicquam obtainere possint in detrimentum Catholicae Religionis, atque immunitatis ecclesiasticae, potissimum autem petimus a te, ut ab eorum impia voluntate tuearis dilectos filios Ruthenos cum sancta hac Apostolica Sede coniunctos, adversus quos multa moliri eos accepimus. Aget tecum de his filius noster Apostolicus Nuntius. Illi consuetam fidem adhibebis, et Nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

271.

Romae, 25 . XI . 1617

Idem Episcopo Posnaniensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 76v, nr. 174.

Venerabili fratri Episcopo Posnaniensi⁴⁰.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solliciti valde sumus, quod ut mandato nostro declarabit Fraternitati Tuae Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, nunc magis quam ullo unquam tempore timemus Haereticorum audaciam in futuris Regni Comitiis. In tua igitur singulari pietate, ac virtute confisi a te petimus, ut ad resistendum eorum impiis conitabus te compares, ne ullo detimento afficere valeant, ut moliuntur, sanctam Ecclesiam Catholicam, praecipue vero desideramus, ut ab eorum iniuriis tuearis dilectos filios catholicos Ruthenos adversus quos tanto magis inflammatos esse Haereticos accepimus, quanto opportunius sibi tempus offerri nunc existimant. Aget tecum uberior de hoc negotio noster Apostolicus Nuntius, et de fiducia quam habemus in te summa; ipsum non secus ac Nos loquentes audies, et Nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

272.

Romae, 25 . XI . 1617

Idem de eodem Episcopo Vendensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 76v-77r, nr. 175.

Venerabili fratri Episcopo Vendensi⁴¹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁴⁰ Andreas Opalinski (1607-1623), antea Ep. tit. Nicopolitanus.

⁴¹ Episcopus revera tit. Vendensis, in partibus Livoniae et Estoniae. Ab anno 1621 Metropoliae Gnesnensi incorporatus. Sed post occupationem illarum provinciarum ex parte Suecorum non iam amplius Episcopi in provincia hac residere poterant.

In summa animi sollicitudine (f. 77), qua afficimur ex his quae machinari hoc tempore accepimus Haereticos, non sane parum Nos recreat firma spes, qua Nobis pollicemur Fraternitatem Tuam pro consueto zelo minime permissuram esse in futuris Regni Comitiis adversarii nostri quicquam obtineant cum iniuria, atque laesione integritatis Catholicae Religionis et immunitatis ecclesiasticae. Propterea mandavimus Venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, ut tecum communicaret, quae ad Nos allata fuerunt, et quid oportunum existimemus. Summopere autem cupimus, ut intelliges, tutos esse ab omni detimento dilectos filios Ruthenos sanctae communionis, adversus quos Haeretici conatus omnes dirigunt. Quibus, ut constantissime te opponas in tua sacerdotali virtute freti maxime desideramus, et Fraternitati Tuae nostram Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum ut supra.

273.

Romae, 25 . XI . 1617

Episcopo Warmiensi Rutheni catholici commendantur in futuris Regni Comitiis protegendi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 77rv, nr. 176.

Venerabili fratri Episcopo Warmiensi⁴².

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia vehementer timemus, ut ex Venerabili fratre Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, intelliget Fraternitas Tua, ne in futuris Regni Comitiis Haeretici temporis occasione confisi multo graviora, quam unquam antea machinantur adversus integritatem Catholicae Religionis, et immunitatem ecclesiasticam, petimus summa animi contentione a Fraternitate Tua, ut pro consueta pastorali tua vigilancia, ne quid perficere possint in detrimentum Ecclesiae Sanctae Dei. Cum autem ex eis, quae accepimus, valde timendum sit, eos potissimum insidiaturos esse dilectis filiis Ruthenis, qui communionem habent cum hac Sancta Apostolica Sede, ut Ruthenorum catholicorum indemnitatii diligentissime prospicias, summopere desideramus, sicuti idem noster Apostolicus Nuntius tibi declarabit, qui plura a nobis in mandatis habet ad te de hoc negotio, cui fidem eandem prorsus adhibebis, quam nobis haberet, si te alloqueremur, et benedictionem nostram Apostolicam tibi peramanter impartimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

⁴² Episcopus Warmiensis Simeon Rudnicki (1603-1621), quo anno obiit.

274.

Romae, 25 . XI . 1617

Idem Episcopo Peremysliensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 77v, nr. 178.

Venerabili fratri Episcopo Praemisliensi⁴³.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Summopere cupimus, ut Fraternitati Tuae exponet Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, te sedulo, ac diligenter sicuti facturum te utique confidimus, curare, ne dilecti filii Rutheni sanctae communionis ullo incomodo, aut molestia afficiantur in Regni Comitiis; praecipue vero desideramus, ut illos tueraris ab Haereticorum insultibus, qui cum multa moliantur, ut accepimus, in detrimentum Ecclesiae Sanctae Catholicae, id in primis sibi in animum induxerunt, ut damno atque contumeliis quoad poterunt insectentur. Propterea eos tibi vehementer commendamus, confisi in tua pastorali vigilancia, atque sollicitudine, qua ecclesiasticae imunitati, et Catholicae Religionis propagationi laudabiliter prospicis. Sed aget de his uberior noster Apostolicus Nuntius, cui fidem non secus ac nobis loquentibus adhibebis. Benedicat tibi Dominus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembbris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

275.

Romae, 25 . XI . 1617

Idem Episcopo Plocensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 78r, nr. 179.

Venerabili fratri Episcopo Plocensi⁴⁴.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Summa fiducia in Fraternitate Tua freti ex perspecta nobis tua pietate, ac prudentia, mandavimus Venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, ut tibi significaret, quae ad Nos allata fue-

⁴³ Stanislaus II Sieciński (1611-1619).

⁴⁴ Martinus II Szyszkowski (1607-1617), postea Ep. Cracoviensis (1617-1630): vel iam Henricus Firlej (1617-1624), dein Primas Poloniae.

runt de pessimis Haereticorum consiliis. Valde cupimus, sicuti facturum te utique confidimus, ut eorum audaciae te opponas, quoties opus fuerit in Regni Comitiis, ne quicquam obtineant in detrimentum Catholicae Religionis, atque dignitatis, et immunitatis ecclesiasticae. Et quia multa molituros esse suspicamur adversus dilectos filios Ruthenos catholicos, Ruthenorum, qui coniuncti sunt sum Sancta hac Apostolica Sede, patrocinium tibi efficacissime commendamus, sicut uberior adhuc noster Apostolicus Nuntius tibi exponet, et Fraternitati Tuae nostram Apostolicam benedictionem tibi peramanter impartimur.

Datum ut supra.

276.

Romae, 25 . XI . 1617

Idem Episcopo Cracoviensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 78rv. nr. 180.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi⁴⁵.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Consolatur Nos maxime et ex Venerabili fratre Francisco, Episcopo Sancti Angeli, Nuntio nostro Apostolico, intelliges fiduciam quam habemus in Fraternitate Tua confirmatam experimentis singularis pietatis, veraeque sacerdotalis prudentiae, quae praeditus es. Confidimus enim fore ut fortiter, constanterque resistas Haereticorum impiis conatibus, quos multa moliri occasione futurorum Comitiorum accepimus adversus sanctam Ecclesiam Catholicam, potissimum vero eos curare intelleximus detrimentum dilectorum filiorum Ruthenorum sanctae communionis. Petimus autem a te, ut cum pro tuo (f. 78v) consueto pietatis zelo opportune prospecturus sis indemniti ecclesiasticae dignitatis, et immunitatis, comendatam quoque haberet causam Ruthenorum catholicorum. Quantopere solliciti sumus hac de re, et quanum nobis de te polliceamur adhuc uberior tibi significabit noster Apostolicus Nuntius, cui consuetam fidem adhibebis, et Nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

⁴⁵ Fortasse iam Martinus Szyszkowski (1617-1630), antea Plocensis.

277.

Romae, 25 . XI . 1617

Episcopo Luceoriensi de eadem re.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 78v, nr. 181.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi⁴⁶.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tribuat Fraternitati Tuae Dominus incrementum suae sanctae gratiae, ut comodius eius immensae bonitati inservire possis. Nam, ut audivimus, summopere necessaria erit opera tua in futuris Regni Comitiis, ut Haereticis resistatur. Audivimus quippe eos multa moliri occasione hac in detrimentum Catholicae Religionis, nec praetermissuros esse opportunitatem, quae illis se offert laedendi dilectos filios Ruthenos, cum Sancta hac Apostolica Sede coniunctos. Integritatis Religionis Catholicae conservationem, et dignitatis ordinis ecclesiastici immunitatem in omnibus deliberationibus suscipiendis tibi efficacissime commendamus, et ut patrocinium Ruthenorum catholiconrum constanter suscipientias a te petimus, ut Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, tibi significabit, et benedictionem nostram Apostolicam Fraternitati Tuae peramanter impartimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

278.

Romae, 25 . XI . 1617

Paulo, Episcopo Wladislaviensi, idem.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 79r, nr. 182.

Venerabili fratri Paulo, Episcopo Wladislaviensi⁴⁷.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁴⁶ Episcopus Luceoriensis tune temporis fortasse iam erat Andreas Lipski (1617-1622), postea Cuiaviensis (1622-1631), et Cracoviensis (1631). Obiit hoc eodem anno in Sede Cracoviensi.

⁴⁷) Eparchia Vladislaviensis eadem ac Cuiaviensis. Włocławek, sedes Eparchiae, inde Vladislavia, Vladislaviensis. Hoc anno Episcopus erat Paulus Wolucki (1615-1622), antea Ep. Luceoriensis (1608-1615) primum vero Camenecensis (1591-1607). Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3.

Eamdem, quam in Fraternitate Tua experti summo cum animi nostri solatio sumus constantiam adversus Ecclesiae Sanctae Catholicae hostes, nunc ut adhibeas necesse est. Nam, ut accepimus, fortiter resistendum erit in futuris Regni Comitiis, ne Haeretici pessima eorum consilia perfidere possint, qui, ut audimus, temporis opportunitate confisi multa aggredi conabuntur in detrimentum Catholicae Religionis. Et quia nobis maxime suspecta est eorum voluntas in dilectos filios Ruthenos catholicos, ut praecipue Ruthenorum sanctae communionis indemnitati prospicias in protegenda Ecclesiae Catholicae causa a te etiam, atque etiam petimus. Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, diligentissime de tota re mandato nostro tecum aget. Illi consuetam fidem adhibebis, et Nos Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

279.

Romae, 25 . XI . 1617

Tribus Episcopis de eadem re.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 79rv, nr. 183.

Brevia tria pro tribus Episcopis in Polonia eodem exemplo, in Albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quemadmodum nobis plurimum pollicemur a sacerdotali Fraternitatis Tuae vigilantia, ut ex Venerabili fratre Francisco, Episcopo Sancti Angeli, intelliges, sic summopere desideramus, ut caveas, ne Haeretici in futuris Regni Comitiis nocere possint Catholicae Religioni, et ecclesiasticae immunitati. Multa de eorum perditissima voluntate accepimus, quae Nos valde suspensos tenent. Praecipue vero solliciti sumus, quia audivimus, eos valde laboraturos esse, ut (f. 70v) occasione hac detrimentum grave inferant dilectis filiis catholicis Ruthenis, quorum tutelam etsi per te suscepturam fuisse non dubitamus, tamen pro nostro de eorum incolumitate paterno zelo, ut fortiter, atque constanter suscipient volumus, ut adhuc uberioris tibi significabit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, cui fidem integrum adhibebis, et Nos Fraternitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

Datum ut supra.

280.

Romae, 25 . XI . 1617

Alia tria Brevia anonyma Episcopis polonis.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 79v, nr. 184.

Alia tria Brevia ut supra.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quantopere Fraternitas Tua semper studuerit tueri ab Haereticorum iniuriis Sanctam Dei Ecclesiam, probe novimus. Quo fit, ut magna cum fiducia in tua pietate, ac prudentia pastorali petamus a te, cures sedulo ac diligenter, ne in futuris Regni Comitiis quicquam efficere possint Haeretici adversus integritatem Catholicae Religionis, et immunitatem ecclesiastici ordinis. Et quia allatum ad Nos est, eos vehementer conatuos, si damno pariter, atque contumeliis afficere possint occasione hac dilectos filios Ruthenos sanctae communionis, petimus a te, ut praesidio illis sis opera, consilio et auctoritate tua, ubi opus fuerit, sicut noster Apostolicus Nuntius, Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, tibi significabit, cui pariter ac nobis loquentibus fidem adhibebis, et Nos Fraternitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

Datum ut supra.

281.

Romae, 25 . XI . 1617

Alia tria anonyma Brevia de eadem re.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 79v-80r, nr. 185.

Alia tria Brevia ut supra.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanto maiori possumus (80) charitatis affectu commendamus Fraternitati Tuae dilectos filios Ruthenos sanctae communionis, adversus quos intelleximus non sine gravi animi nostri molestia multa moliri Haereticos occasione futurorum Regni Comitorum, sicuti Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, tibi nostro nomine exponet. Scimus quidem te fortiter, constanterque restiturum, si quis adoriri aliquid praesumpserit in detrimentum Catholicae Religionis, et ecclesiasticae immunitatis. Nam satis perspectam habemus egregiam pietatem tuam et optime novimus quid nobis polliceri possimus de tuo zelo, atque prudencia. Propterea tanto magis te hortamur ad hoc ipsum summa laude pae-

standum, ut idem noster Nuntius postulabit a te nostro nomine, quem non secus ac Nos audias volumus, et Fraternitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

Datum ut supra.

282.

Romae, 25 . XI . 1617

Breve Cancellario Lithuaniae de Ruthenis protegendis in Comitiis Regni datur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 80rv, 186.

Dilecto filio, nobili viro, Magno Cancellario Lithuaniae.⁴⁸

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Debere plurimum Nobilitati Tuae profitemur ob egregium studium, atque laudabilem zelum propagandae Catholicae Religionis, quem summo cum animi nostri solatio, ac pari cum incremento divini cultus in te experti sumus. Et quidem mirifice aucta est nostra erga te paterna benevolentia ex his, quae nobis nuper significavit venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Nuntius Apostolicus, de animi ardore, quo semper laboras, ut sacra tecta conservetur communio quam habent cum hac Sancta Apostolica Sede dilecti filii Rutheni. Nihil certe praestare potes, quod nobis iucundius sit, qui vehementer desideramus huius sanctae unitatis stabilitatem ad Dei gloriam, et salutem animarum. Propterea cum allatum fuerit ad Nos, gravissimum ipsis imminere (180v) periculum eb eorum adversariis occasione futurorum Regni Comitiorum, ut latius Nobilitati Tuae exponet mandato nostro idem Nuntius noster Apostolicus, petimus a te, ut consueto patrocino tuo Ruthenos ab omni iniuria, atque molestia defendas, sicuti futurum te utique confidimus, et cum illis pariter Religionis Catholicae dignitatem, et ecclesiastici ordinis immunitatem tuearis, et benedictionem nostram Apostolicam Nobilitati Tuae peramanter impartimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Moiorem, sub Annulo Piscatoris, VII kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno teortiodecimo.

283.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Cracoviensi de eadem re idem Pontifex scribit.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 89v, nr. 187.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Cracoviensi⁴⁹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁴⁸⁾ Leoni Sapieha.

⁴⁹⁾ Ut videtur Nicolaus Zebrzydowski, qui obiit 17-VI-1620.

Experti quam proderit semper statui Catholicae Religionis Nobilitatis Tuae pietas, atque auctoritas in Regni Comitiis, nunc efficacissime a te petitum, ut constantissime te compares ad resistendum impiis Haereticorum conatibus, quos accepimus multa molituros occasione Comitiorum, quae propendiem habenda sunt, ut iniuria, atque detimento afficiant Sanctam Dei Ecclesiam pro eorum perversa consuetudine, praecipue vero nocere curant omni industria atque conatu dilectis filiis Ruthenis, qui communionem habent cum Sancta hac Apostolica Sede. Mandavimus Venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, Nuntio nostro Apostolico, ut de hoc gravissimo negotio cum Nobilitate Tua ageret, et a te nostro nomine postularet, ut praesidio esses Ruthenis catholicis, requisitus a nobis efficacissime, sicuti postulamus quoque a te, ut eodem zelo quo semper Catholicam Religionem ab Haereticorum iniuriis summa cum laude defendisti, nunc etiam tuearis, et cum omni charitatis affectu Nobilitati Tuae benedictionem Apostolicam impartimur.

Datum ut supra.

284.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Sandomiriae eadem res commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 81r, nr. 188.

Dilecto filio, nobili viro Palatino Sandomiriae⁵⁰.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Summa animi nostri molestia intelleximus, Haereticos occasione futurorum Comitiorum multa cogitare in grave detrimentum Ecclesiae Sanctae Catholicae. Pro fiducia igitur, quam in Tua Nobilitate habemus, ob spectatam nobis pietatem, et filiale erga Nos tuam observantiam, communicare tecum nostram hanc sollicitudinem voluimus certi quod quantum in te erit curabis, sicuti vehementer desideramus, ne Haeretici quicquam ex eorum pessima sententia perficere possint. Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, tecum de hoc negotio sedulo aget, ac praesertim postulabit a te, ut dilectos filios Ruthenos catholicos, adversus quos concitati maxime sunt Haeretici, tuearis, quod quidem optamus maxime. Fidem Nuntio nostro in omnibus adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

Datum ut supra.

⁵⁰) Fortasse agitur de Joanne Zbigneo Ossolinski, qui anno 1614 erat iam Palatinus Sandomiriensis.

285.

Romae, 25 . XI . 1617

*Palatini Lenciciensi idem.*ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 81rv, nr. 189.Dilecto filio, nobili viro, Palatino Lenciciensi.⁵¹

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Graviter commovet Nos quod, sicut accepimus, valde suspicandum est, ne in futuris Regni Comitiis Haeretici pro consueta eorum perversa voluntate labefactare studeant integritatem Catholicae Religionis, atque ecclesiasticam immunitatem, idque potissimum maximo cum detimento dilectorum filiorum Ruthenorum sanctae communionis. Certi de singulari pietate, qua praedita est Nobilitas Tua, deque tua in Nos filiali observantia, mandavimus (81v) Venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, tibi nostram hanc sollicitudinem exponeret, et fiduciam, quam in te summan habemus, declararet, atque a te peteret, ne ullo pacto permitteres quidquam tentari, nedum decerni in Comitiis in praeiudicium Catholicorum. Nuntium nostrum quasi Nos loquentes audies, et Nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

286.

Romae, 25 . XI . 1617

*Palatino Culmensi idem scribitur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 81v, nr. 190.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Culmensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vehementer solliciti, quia allatum ad Nos est, Haereticos sibi persuadere opportunissima ad eorum pessimam voluntatem perficiendam futura Regni Comitia, cum optime sciamus quam nobis polliceri possimus de egregia pietate, qua Nobilitas Tua nobis commendata est, mandavimus venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, ut

⁵¹⁾ Ut videtur Adamo Czarnkowski.

nostram solitudinem tibi exponeret, ac operam, et industrian tuam in propaganda Religionis Catholicae causa nostro nomine a te requireret. Postulabit autem a te, ut dilectos filios Catholicos ruthenos ab adversariorum iniuriis fortiter, et constanter, ut confidimus ac valde desideramus, tuearis. Illi fidem in omnibus, quae tibi exponet, indubitatam adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impartimur.

Datum ut supra.

287.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Russiae Rutheni catholici commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 81v-82, nr. 191.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Russiae.⁵²

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significabit Nobilitati Tuae (82) Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, quam suspensos Nos reddit suspicio in nobis exorta ex pessima Haereticorum voluntate, qui, ut acceperimus, magnam sibi polliceantur opportunitatem laedendi sanctam Ecclesiam Catholicam in futuris Regni Comitiis. Propterea postulabit a te nostro nomine, ut eorum conatibus pie, ac fortiter te opponas, sicuti plane facturum te esse confidimus. Commendabit pariter tibi quam dilidenter tutelam dilectorum filiorum Ruthenorum, qui cum Sancta hac Sede communionem habent, adversus quos Haeretici vehementer concitati sunt. Nuntium nostrum non secus ac Nos loquentes audies, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

288.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Wladislaviensi de eadem re inculcatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 82r, nr. 192.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Wladislaviensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Confisi in tua egregia pietate, atque prudentia petimus a te, ut fortiter

⁵²⁾ Fortasse Nicolao Danylovyc.

ac constanter obsistas in futuris Regni Comitiis impudentibus non minus quam impiis Haereticorum conatibus. Allatum siquidem ad Nos fuit, sicut Nobilitati Tuae significabit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, eos parare se, ut occasione hac grave inferant detrimentum Religioni Catholicae, et immunitati ecclesiasticae, praecipue vero opprimere intendunt dilectos filios Ruthenos catholicos. Comendamus itaque maiorem in modum Nobilitati Tuae tutelam Catholicae Religionis, atque dilectorum filiorum Ruthenorum sanctae unionis, ut ex eodem Nuntio nostro intelliges, cui in omnibus integrum fidem adhibetis, et Nos benedictionem nostram Apostolicam tibi peramanter impartimur.

Datum ut supra.

289.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Posnaniensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 82v, nr. 193.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Posnaniensi⁵³.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Habet a nobis in mandatis Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, ut Nobilitati Tuae exponat sollicitudinem, qua laboramus de Catholica Religione tuenda ab impiis Haereticorum insultibus. Magnum siquidem ab eis periculum illi imminere in futuris Regni Comitiis allatum ad Nos est. In tua singulari pietate confisi, plurimum nobis pollicemur de te ad Ecclesiae Sanctae Catholicae utilitatem, ut intelliges. Summopere autem optamus ut dilectos filios Ruthenos sanctae communionis tueri studeas, quibus Haeretici maxime infensi sunt, atque ut accipimus, nocere curabunt vehementer Comitiorum occasione. Aget de omnibus diligenter tecum noster Apostolicus Nuntius; ei pariter, ac si Nos te alloqueremur, ut credas volumus, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., VII Kalendas Decembbris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

⁵³⁾ Joanni Ostrorog.

290.

Romae, 25. XI . 1617

Hortatur Palatinus Chioviensis ut Ruthenis in periculis Comitiorum futurorum assisteret.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 82v-83r, nr. 194.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Chioviensi⁵⁴.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solatium a Nobilitate Tua opportunum exspectamus in gravi animi nostri molestia, ut intelliges ex Venerabili fratre Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio. Sollicitat quippe Nos vehementer, quod, ut acceperimus, Haeretici se comparant ad detrimentum gravius, quod poterunt inferendum Catholicae Religioni in futuris Regni Comitiis. Propterea petimus a te (f. 83), ut consueta sua virtute, pietate, atque prudentia eorum impiis conatibus te opponas, nec illis permittas assequi quicquam adversus integritatem Catholicae Religionis, et ecclesiasticae immunitatis. Pari quoque pacto cupimus, ut filios dilectos, Ruthenos catholicos, ab Haereticorum iniuriis defendas, sicut ipse noster Apostolicus Nuntius tibi declarabit, cui fidem in omnibus adhibebis, et benedictionem nostram Apostolicam tibi peramanter impartimur.

Datum ut supra.

291.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Vilnensi de eadem re idem Pontifex.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 83r, nr. 195.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Vilnensi⁵⁵.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Desideramus vehementer sicuti significabit Nobilitati Tuae Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, ut in futuris Regni Camitiis fortiter, ac constanter Haereticis te opponas. Molliuntur quippe multa et gravia, ut allatum ad Nos est, adversus Catholicae Religionis integritatem, et ecclesiasticae immunitatem. Insuper detimento gravissimo afficere student dilectos filios Ruthenos, qui communionem habent

⁵⁴⁾ Stanislaw Zolkiewski, Palatino Kioviensi (1608-1620).

⁵⁵⁾ Nobis non constat quis nam fuit Palatinus Vilnensis post obitum Nicolai Christophori Radziwill (Sierotka), qui vita functus est an. 1616. Fortasse officium hoc tunc temporis vacabat, vel ab aliquo ex eadem familia obtinebatur.

cum Sancta hac Apostolica Sede. Quantum polliceri nobis possumus de tua singulari pietate, deque filiali tua in Nos observantia, optime novimus. Exponet tibi uberius Nuntius noster Apostolicus desiderium nostrum, et fiduciam, quam habemus in te. Illi fidem in omnibus ut haberes nobis praestabis, et Nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertio decimo.

292.

Romae, 25 . XI . 1617

Palatino Plocensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 83v, nr. 196.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Plocensi⁵⁶.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi Nobilitati Tuae pro singulari prudentia, qua praeditus es, satis perspectam esse credamus pessimam voluntatem, qua se comparant haeretici ad labefactandam integritatem Catholicae Religionis, imminuendamque immunitatem ecclesiasticam in futuris Regni Comitiis, et quanto studio quaerant laedere dilectos filios Ruthenos sanctae communionis, voluimus tamen, ut te certiorem redderemus de fiducia quam habemus in tua erga Nos filiali pietate, et observantia, nostrum Nuntium Apostolicum, Venerabilem fratrem Franciscum, Episcopum Sancti Angeli, tibi significare nostram hac de re solicitudinem, ut operam, et industriam tuam nomine nostro a te postularet ad tutelam Ecclesiae Sanctae Catholicae, et dilectorum filiorum Ruthenorum, qui cum hac Sancta Apostolica Sede coniuncti sunt. Nuntium nostrum ut Nos te alloquentes audies, et Nos Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem nostram peramanter impertimur.

Datum ut supra.

293.

Romae, 25 . XI . 1617

Brevia quatuor anonyma ad Palatinos Poloniae de Ruthenis protegendis in futuris Regni Comitiis.

ASV, *Armarium*, 45, vol. 12, fol. 83v-84r, nr. 197.

Brevia quatuor pro quatuor Palatinis in Polonia eodem exemplo in albis.
PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁵⁶) Fortasse Stanislaw Krasinski, eidem qui anno 1614 simile obtinuit Breve (de data 19-XII-1616, nr. 222).

Pro fiducia, quam habemus singularem in tua erga Nos filiali pietate, et observantia voluimus Nobilitati Tuae declarare per Venerabilem fratrem Franciscum, Episcopum Sancti Angeli, nostrum Apostolicum Nuntium, animi molestiam, qua affecti sumus ex iis, quae ad Nos allata fuerant de pessimis Haereticorum consiliis in detrimentum Ecclesiae Sanctae Catholicae occasione futororum Regni Comitiorum (f. 84), certi quod curabis in omnibus, quae poteris, Nos consolari. Nuntium nostrum audies quasi Nos ipsi te alloquamur, causamque ut confidimus Catholicae Religionis pie pariter, ac fortiter defendas; potissimum tutela unionem dilectorum filiorum Ruthenorum, qui cum sancta Apostolica Sede coniuncti sunt, requisitus a nobis efficacissime, et benedictionem nostram Apostolicam Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum ut supra.

294.

Romae, 25 . XI . 1617

Aliis Palatinis Brevia commendatitia trasmittuntur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 84r, nr. 198.

Alia quatuor Brevia, ut supra.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Petimus a Nobilitate Tua, ut causam Religionis Catholicae pro consueta tua pietate in futuris Regni Comitiis constanter defendens adversus impios Haereticorum conatus tuearis efficaci praesidio dilectos filios Ruthenos catholicos, quibus infensissimos fore Haereticos occasione hac vehementer suspiccamur ex his quae accipimus de perditis eorum consiliis. Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster Apostolicus, Nobilitati Tuae exponet nostram hac de causa solitudinem, et fiduciam, quam habemus magnam in tua virtute, et quam nobis polliceamur de filiali tua erga Nos observantia. Fidem illi in omnibus indubitatam adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

295.

Romae, 25 . XI . 1617

Alia Brevia de eadem re.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 84rv, nr. 199.

Alia quatuor Brevia, ut supra.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Consolatur Nos quidem maxime pietas, et prudentia, quibus Nobilitas

Tua (fi. 84v) praedita est. Nam confidimus eos fore magno praesidio Catholicae Religioni in futuris Regni Comitiis. Ut significabit tibi Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, infensores habituri sumus adversarios nostros Haereticos in omnibus deliberationibus suscipiendis, quam unquam antea. Te igitur ad resistendum eorum conatibus ut compares, vehementer desideramus, et cum tibi omnia commendamus, quae ad Ecclesiae Sanctae Catholicae statum pertinent, ut quam commendatos habeas dilectos filios Ruthenos catholicos desideramus, sicut uberior tibi significabit noster Apostolicus Nuntius, cui fidem, quam nobis haberes, adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

296.

Romae, 25 . XI . 1617

Castellano Plocensi eodem arguento.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 84v, nr. 200.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Plocensi⁵⁷.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Declarabit Nobilitati Tuae Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, quanta fiducia in tua erga Nos filiali observantia cupiamus, ut in futuris Regni Comitiis te opponas nefariis Haereticorum consiliis, qui, ut accepimus, nihil intacti relicuri sunt, ut quantum in ipsis est, occasione hac Catholicae Religionis integritatem et ecclesiastici ordinis immunitatem evertant. Potissimum autem timemus, ne damno atque contumeliis afficiant dilectos filios Ruthenos catholicos. Ex Nuntio nostro uberior intelliges, quam nobis polliceamur de egregia pietate, et prudentia tua; ei fidem ut nobis loquentibus habeas volumus, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

⁵⁷⁾ Ut videtur Alberto Kriski (idem ac sub data 19-XII-1614, nr. 211).

297.

Romae, 255 . XI . 1617

Castellano Vilnensi Breve commendatitium datur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 85r, nr. 201.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Vilnensi⁵⁸.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Intelliges ex Venerabli fratre Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Nuntio Apostolico, quam nobis polliceamur de Nobilitatis Tuae praestanti pietate, atque prudentia ad sublevandam animi curam, qua assidue premimur ex his, quae nobis renuntiata fuerant de Haereticorum audacia. Cupimus autem, ut eorum impiis conatibus, sicuti Nuntius noster a te postulabit nostro nomine, in futuris Regni Comitiis te opponas, et pro consueto zelo tuo Catholicae Religionis, et ecclesiasticae immunitatis causam constanter defendas, et in hoc potissimum indemnitati prospicias dilectorum filiorum Ruthenorum sanctae communionis, adversus quos concitatos maxime audivimus esse Haereticorum animos, ut uberioris idem Nuntius Apostolicus tibi significabit, cui in omnibus fidem indubitatam adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam peramanter impertimur.

Datum ut supra.

298.

Romae, 25 . XI . 1617

Quatuor Castellanis eadem res commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 85rv, nr. 202.

Brevia quatuor pro quatuor Castellanis in Polonia eodem exemplo, in albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Reddet Nobilitati Tuae nostras has literas Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, ac tibi significabit solitudinem quam expectatio futurorum Regni Comitorum in nobis excitavit. Quia vehementer timemus, ne Haeretici maiori conatu, quam unquam antea laedere curent integritatem Catholicae Religionis. Nam allatum (f. 85v) ad Nos est, quanto studio se comparent, potissimum autem ut grave detrimentum inferant dilectis filiis Ruthenis catholicis. Postulabit pariter a te noster Apostolicus Nuntius, ut adversus impios Haereticorum conatus, ut facturum te

⁵⁸) Verosimiliter adhuc Hieronymo Chodkiewicz (cfr. supra, sub data 19-XII-1614, nr. 217).

confidimus, constanter opponere te velis, sicuti maxime desideramus. Illi in omnibus fidem non secus ac nobis loquentibus adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

299.

Romae, 25 . XI . 1617

Alia Brevia quatuor item Castellanis Poloniae data.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 95v, nr. 203.

Alia Brevia quatuor ut supra.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Conscii egregiae pietatis, qua Nobilitas Tua praedita est, et in tua filiali erga Nos observantia confisi, mandavimus Venerabili fratri Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, ut peteret a te velles constanter resistere, sicuti plane facturum te esse credimus, Haereticorum machinatibus in futuris Regni Comitiis. Ipse autem uberioris desiderium nostrum tibi significabit, ac praecipue quam solliciti sumus de incolumitate dilectorum filiorum Ruthenorum, qui huic Sanctae Sedi coniuncti sunt. Nuntio nostro in omnibus cumulatam fidem adhibeas volumus, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

300.

Romae, 25 . XI . 1617

Castellano Sandomiriae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 85v-86r, nr. 204.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Sandomiriae⁵⁹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vehementer solicitat Nos, ut Nobilitati Tuae declarabit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, expectatio futurorum Comitiorum (f. 86), quia renuntiatum nobis fuit, Haereticos multa machinaturos esse occasione hac in detrimentum Ecclesiae Sanctae Catholicae. Consolatur Nos tamen, nec quidem mediocriter, catholicorum Procerum Regni eximia pietas, ac tua praesertim, nam plane nobis pollicemur,

⁵⁹) Ut videtur Stanislao Tarnowski (cfr. sub data 19-XII-1614, nr. 221).

vos pro vir'li vestra unanimiter restituros impiis conatibus Haereticorum. Idque ut agas pro singulari virtute, proque filiali erga Nos observantia tua a te petimus, ac pariter ut quam commendatos habeas dilectos filios Ruthenos catholicos, sicuti uberius ex nostro Apostolico Nuntio intelliges, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

301.

Romae, 25 . XI . 1617

Protectio Ruthenorum catholicorum Castellano Posnaniensi inculcatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 86r, nr. 205.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Posnaniensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, postulabit a Nobilitate Tua mandato nostro, ut in futuris Co-mitiis maxime caveas, ne Haeretici perficere possint perdita eorum consilia. Significabit autem tibi, quid de eorum pessima voluntate ad Nos allatum fuerit, ac potissimum quae cogitent adversus dilectos filios Ruthenos catholicos. Summopere quidem confidimus in tua erga Nos filiali pietate, et de tua egregia pietate, ac virtute plurimum nobis pollicemur ad Ecclesiae Sanctae Catholicae tutelam. Nuntio nostro fidem quasi nobis loquentibus adhibebis, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

302.

Romae, 25 . XI . 1617

Castellano Cracoviensi Rutheni catholici commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 86rv, nr. 206.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Cracoviensi⁶⁰.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Praestare (f. 86v) nobis hoc tempore potes, ut Nobilitati Tuae exponet Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, officium tuae in Nos filialis observantiae gratissimum, nec dubitamus quin volueris Nos consolari in magna animi cura constitutos. Audivi-

⁶⁰) Joanni (Janusio) Ostrožskyj (+ 1620).

mus namque multa et gravia ab Haereticis parari adversus Catholicae Religionis integritatem, et ecclesiastici iuris immunitatem in futuris Regni Comitiis, et quod molestiam nostram auget, magno quoque cum discrimine dilectorum filiorum Ruthenorum, qui se in communionem receperunt Sanctae Romanae Ecclesiae. Operam et industriam tuam adversus Haereticorum conatus vehementer desideramus. Desiderium hoc nostrum, et fiduciam quam habemus summam, uberius ex nostro Nuntio intelliges, quem ut Nos te alloquentes audies, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Dtum Romae apud S. Mariam Maiorem, et., VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

303.

Romae, 25 . XI . 1617

Paulus V Castellano Gnesnensi de Ruthenis protegendis in futuris Regni Comitiis scribit.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 86v, nr. 207.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Gnesnensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod plane nobis pollicetur singularis tua virtus, et filialis erga Nos observantia tua, petimus a te, ut in futuris Regni Comitiis studeas evertre malignantium consilia. Multa quidem machinari audivimus perpetuos Ecclesiae Sanctae Dei hostes, Haereticos, in detrimentum Catholicae Religionis, ut mandato nostro Nobilitati Tuae significabit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, ut ipsis pie aequa ac fortiter resistas, atque ab eorum insultibus praecipue defendas dilectos filios Ruthenos catholicos desideramus, sicuti uberius idem noster Nuntius tibi declarabit, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

304.

Romae, 25 . XI . 1617

Senatori anonymo Regni Poloniae in favorem Ruthenorum Breve datur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 87r, nr. 208.

Pro aliquo Senatori in Polonia, in albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Certum Nobilitati Tuae indicium praebituri nostrae in te charitatis communicare tecum voluimus nostram sollicitudinem, qua potissimum laboramus exspectatione futurorum Regni Comitiorum. Renuntiabit itaque tibi mandato nostro Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, quid nobis significatum fuisse de pessima Haereticorum voluntate. Petimus itaque a te, ut adversus eorum prava consilia te compares ad tuendam integritatem Catholicae Religionis, et ecclesiastici ordinis immunitatem, ac pariter ab iniuriis illorum defendas dilectos filios Ruthenos catholicos. Multa de his dedimus in mandatis nostro Apostolico Nuntio, ut ex ipso intelliges; ei fidem in omnibus indubitatem adhibebis, et Nos Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

305.

Romae, 25 . XI . 1617

Aliud Breve de eadem re alii Senatori destinatum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 87rv, nr. 209.

Aliud Breve, ut supra.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Semper quidem ea de tua in Nos filiali observantia polliciti sumus, quae pietatem decet viri nobilis, vereque prudentis. Propterea in gravi animi nostri cura, atque sollicitudine solatium a Nobilitate Tua pio desiderio nostro expectamus. Exponet tibi Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Sancti Angeli, noster Apostolicus Nuntius, quid ad Nos allatum fuerit de perditis Haereticorum consiliis, et ob id quantopere timeamus in futuris Regni Comitiis eorum non ferendam audaciam. Cum autem possis opportune resistere (f. 887v) impiis eorum studiis, atque conatibus, summopere desideramus, ut religiose pariter, ac constanter hoc facias, praecipue vero ut ab eorum iniuriis tuearis dilectos filios Ruthenos catholicos cupimus, sicut idem noster Nuntius tibi declarabit ,et benedictionem nostram Apostolicam Nobilitati Tuae peramanter tribuimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodicesimo.

306.

Romae, 25 . XI . 1617

Quatuor Senatoribus polonis de Ruthenis protegendis Breve datur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 87v, nr. 210.

Pro quatuor Senatoribus in Polonia eodem exemplo, in albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Persuadet plane nobis pietatis zelus, quo apud Nos commendata est Nobilitas Tua, te etiam nullis nostris cohortationibus praestitum fuisse in futuris Regni Comitiis, quod tibi per Venerabilem fratrem Franciscum, Episcopum Sancti Angeli, nostrum Apostolicum Nuntium, petere voluimus ad Catholicae Religionis tutelam. Allatum ad Nos est, ut ipse tibi noster Nuntius significabit, Haereticos pro eorum perversa consuetudine, sed nunc quidem multo acrius multa moliri in grave damnum Sanctae Catholicae Ecclesiae, potissimum autem studere, ut maioribus incommodis, atque iniuriis, quibus poterunt, afficiant dilectos filios Ruthenos catholicos. Cupimus itaque ut Haereticorum perniciosis, detestabilibusque studiis te pie, ac fortiter opponas, ut idem Nuntius noster tibi latius significabit, cui fidem in omnibus indubitatam adhibebis, et Nobilitati Tuae benedictionem nostram Apostolicam permanenter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertio decimo.

307.

Romae, 25 . XI . 1617

Aliis quatuor Senatoribus polonis de eadem re.

ASV, *Armarium* 45, vol. 12, fol. 88r, nr. 211.

Pro quatuor Senatoribus in Polonia eodem exemplo, in albis.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Accipies a Venerabili fratre Francisco, Episcopo Sancti Angeli, nostro Apostolico Nuntio, literas peculiaris in te nostrae charitatis testes, atque fiduciae quam habemus in tua erga Nos filiali observantia. Voluimus autem significare Nobilitati Tuae quantopere solliciti sumus ex timore intolerabilis audaciae Haereticorum in futuris Regni Comitiis, et quam nobis pollicemur

de praestanti virtute, ac pietate tua, ut Catholicae Religionis integritatem ab adversariorum iniuriis tuearis, ut procul dubio speramus; a te etiam atque etiam petimus, ac pariter ne permittas dilectos filios Ruthenos catholicos in deliberationibus suscipiendis ullo affici detrimento, sicut uberius adhuc idem noster Nuntius Apostolicus tibi declarabit, cui non minus quam nobis loquentibus credas volumus, et Nobilitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, VII Kalendas Decembris MDCXVII, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

308.

Romae, 14 . XII . 1618

Laudat zelum catholicae religionis et eam protegendarum in Comitiis Regni commendat, praesertim vero negotium Catholicorum ruthenorum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 222r.

Dilecto filio, nobili viro, Thomae, Palatino Masoviae⁶¹.

PAULUS PP. V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pergrata nobis fuerunt ea, quae de Nobilitatis Tuae praestanti pietate, et catholicae Religionis zelo significavit nobis Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster. Ex eo enim accepimus Nobilitatem Tuam cum semper animo, et opere se maxime promptam ostendat ad Ecclesiam Christi vindicandam ab iniuriis Haereticorum, eique debitum honorem retinendum, tum vero imprimis id egregie praestitisti in superioribus Regni Comitiis, in quibus contra pertinacem Haereticorum impudentiam te catholicae religionis acerrimum defensorem exhibueris; commendamus magnopere hoc Nobilitatis Tuae tam pium et fervens studium, idemque perseveraturum semper in posterum, praesertim in proxime futuris Comitiis pro certo nobis persuademus. Neque enim de tua in benefactis perseverantia, quae nobilem virum decet, fas est Nos dubitare. Quod vero Nos valde sollicitos habet, illud a Nobilitate Tuia petimus, ut rebus Catholicorum ruthenorum magna cura prospicias. Rem certe tua praestanti virtute, ac Nobilitati dignam, nobis vero gratissimam facies. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14. Decembris 1618, etc. Anno 14.

⁶¹) Fortasse Thomae de Lezenice Gostomski (prout an. 1614, 19-XII, nr. 219).

309.

Romae, 14 . XII . 1618

*Comendat res religionis, imprimis vero negotia Catholicorum ruthenorum.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 228r.Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Posnaniae⁶².

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quibus fraudibus Catholicam Religionem aggredi soleant Haeretici, praesertim in Regni Poloniae Comitiis Nobilitatem Tuam experientia didicisse non dubitamus. Qui vero contra istorum audaciam summa cum laude semper egerint Nobiles istius Regni satis notum est. De Tua vero Nobilitate nominatim certiores Nos fecit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, quanto videlicet zelo, et vigilantia pro Ecclesiae Dei honore, et libertate semper laboraveris, et quam strenue in praeteritis Comitiis pro Christi gloria adversus eius rebelles dimicaveris. Quo fit ut stabilis tua et certa pietas, eodem te animo, et studio in proximis Comitiis futurum nobis polliceatur. In primis vero Nobilitatem Tuam rogare volumus, ut in his Comitiis, et ubicumque opus fuerit, Catholicos ruthenos tuo favore, et auxilio prosequaris. Id sane magnopere cupimus, eaque in re pro tua in Nos atque hanc S. Sedem observantia nostro desiderio te plane satisfacturum certo nobis persuademos, et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14. Decembris 1618, etc., Anno 14.

310.

Romae, 14 . XII . 1618

*Idem argumentum.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 229r.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Culmensi.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Magna sane animi sollicitudine afficimur, quod vereamur, ne in proximis Regni Comitiis adversarii Catholicae Religionis et Regni Poloniae tranquillitatis aliquid innovare studeant contra Dei honorem, et commune Regni bonum. Quanto nostri muneric esse iudicavimus hortari, et rogare Catholicos omnes, qui ad illa Comitia convenire solent, ut quo debent studio, et fortitudine Haereticorum machinationibus se opponant. Id vero Tuam Nobilitatem strenue praestituram non est quod dubitamus. Ex Venerabili enim fratre Francisco, Episcopo S.ti Angeli, Nuntio nostro, intelleximus, quis tuus fuerit conatus pro Ecclesia Dei in praeteritis Comitiis, et ubicumque Christi causa postulat, quanto te zelo praeditum ostendas. Itaque tua constans pietas

⁶²⁾ Joanni Ostrorog (cfr. an. 1614, 19-XII, nr. 205).

certam nobis spem facit te tui similis proximis quoque Comitiis adfuturum, in quibus si quid adiumenti Catholicis ruthenis attuleris, erit quidem Nobilitati Tuae valde honorificum, nobis vero maxime gratum. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14. Decembris 1618, etc., Anno 14.

311.

Romae, 14 . XII . 1618

Eiusdem tenoris et argumenti.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 230r.

Dilecto filio, nobili viro, Regni Poloniae Thesaurario⁶³.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Ea, quae nobis de Tuae Nobilitatis praestanti, ac verae christiana virtute exposuit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, faciunt, ut paterna praecipua te charitate diligimus. Ab eo enim intelleximus Tuam Nobilitatem semper sollicito, alacrique animo inveniri ad ea peragenda, quae quovis pacto catholicae religioni intersint, idque potissimum demonstrare in praeteritis Regni Comitiis ubi obfirmato semper animo, et invicto zelo pro Ecclesia Dei contra eius hostes dimicaveris. Quo fit ut hac tua constanti virtute freti, eadem in futuris Comitiis de te nobis pollicemur. Quid in Comitiis moliri soleant Haeretici Nobilitas Tua optime novit. Tuae virtutis erit ostendere non deesse Ecclesiae Christi contra impiorum conatus suos fortes propugnatores. Imprimis autem rogamus Nobilitatem Tuam, ut maxime commendatos habeas Catholicos ruthenos. Speramus eos tuae fidei commissos nihil detrimenti ab adversariis passuros. Id certe erit tuo catholico et nobili animo dignissimum.

Datum Romae, apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, et. Anno 14.

312.

Romae, 14 . XII . 1618

De iisdem negotiis favendis rogatur Palatinus Cracoviensis.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 231r.

Dilecto filio, nobili viro, Nicolao, Palatino Cracoviensi⁶⁴.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Singularis, qua istud Poloniae Regnum prosequimur benevolentia, sollicito semper Nos animo esse iubet, ne Haereticorum conatus catholicae reli-

⁶³) Cfr. supra, die 19-XII-1614, nr. 206.

⁶⁴) Nicolao Zebrzydowski (+ 1620).

gionis, quae in vobis eminet, integrati labem aliquam inferat. Cum vero id potissimum in Regni Comitiis conari soleant Haeretici, quemadmodum Nobilitas Tua experta est, et Nos non ignoramus, ideo de proximis Comitiis vehementer solliciti sumus. Verum magnopere Nos consolatur spes, quam habemus in praestanti zelo Nobilium istius Regni, ac praesertim Nobilitatis Tuae. Scripsit enim nobis Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, tuam egregiam pietatem, et industriam cum semper apparere in catholicae religionis dignitate, et utilitate procuranda, tum vero maxime enitusse in superioribus Comitiis, ubi magna fortitudine, et prudenter te Haereticorum perfidiae opposueras. Quare tuo solito zelo confidentes speramus Ecclesiam Dei in proximis quoque Comitiis quantum in te erit nullum incommodum ab hostibus percepturam; id vero ut Catholici rutheni tua opera consequantur, valde cupimus, tibique eos, quantum possumus, commendamus. Pergratum nobis erit, si isti intellexerint nostram apud te commendationem non exigui ponderis fuisse. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, etc. Anno 14.

313.

Romae, 14 . XII . 1618

Idem argumentum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 232r.

Dilecto filio, nobili viro, Stanislao, Regni Poloniae
Magno Cancellario et exercituum Duci generali.

PAULUS PAPA V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Magna sunt, quae de Tuae Nobilitatis praestanti pietate, et catholicae religionis zelo ad Nos afferentur, praecipue vero, quae nobis exposuit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, nimirum te prompto semper animo, et sollicito studio Ecclesiae Dei honori, et amplitudini invigilare, quod cum ubique praestes maxime tamen in praeteritis Regni Poloniae Comitiis praestitis, in quibus adversus Haereticos invicto animo semper pro catholica religione steteris. Commendamus magnopere hanc singularem virtutem tuam, et licet nostra exhortatione non egeas, tamen, ut nostro muneri, et vehementi desiderio indulgemus, rogamus Nobilitatem Tuam, ut in Comitiis, quae instant, eandem virtutem ostendas. Videant Haeretici Christium in suis castris habere fideles, et strenuos milites, quos spiritualibus armis mutiso in aciem educat ad dimicandum cum suis rebellibus, deque eorum impietate gloriosam victoriam reportandam. Imprimis vero a Tua Nobilitate petimus, ut ubi necesse fuerit, Catholicis ruthenis in omnibus favere contendas. Illud certo Nobilitas Tua sibi persuadeat susceptorum pro Christi causa laborum, et hic apud probos omnes, et in caelis apud Deum

gloriosum fructum te consecuturum. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

314.

Romae, 14 . XII . 1618

Eiusdem tenoris et argumenti.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 238r.

Dilecto filio, nobili viro...

(*In margine:* Quatuor dupl. ad Regnum Poloniae).

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Semper sollicitos Nos reddunt Comitia, quae in isto Regno habentur. Novimus enim quid ibi machinari soleant Haeretici, illud videlicet in primis, ut Ecclesiae Dei maiestati, et splendori suis tenebris officiant. Verum in hac nostra sollicitudine non mediocre solatium capimus ex fiducia pietatis, et eximii zeli Catholicorum, qui in ipsis Comitiis interesse solent, quorum vigilantia, et industria omnes Haereticorum conatus eluduntur. Nominatim vero de Tua Nobilitate hoc accepimus a Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro. Is nobis ample testatus est egregiam pietatem, et zelum tuum in praeteritis Comitiis, nec non promptum, quem semper geris animum ad propugnandum pro catholica religione, eiusque dignitatem promovendam. Quare hoc tuum praesidium in futuris etiam Comitiis ecclesiae Dei praesto futurum non dubitamus. Illud autem a Tua Nobilitate efficaciter petimus, ne Catholicos ruthenos in his Comitiis, et quotiescumque oportunitas aderit iuvare desistas. Erit res tuae pietati valde consentanea, et Deo maxime accepta. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, etc., Anno 14.

315.

Romae, 14 . XII . 1618

Quatuor Brevia anonyma Nobilibus Regni Poloniae de eodem argumento.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 239.

Dilecto filio, nobili viro...

(*In margine:* quatuor dupl. ad Regnum Poloniae).

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Tanto quidem alacrius, cum opus est Nobilitati Tuae catholicam religionem commendamus, quanto magis de tuo religionis zelo confidere Nos

faciunt literae Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri. Ex illis si quidem cognovimus, quam intento sis semper animo ad Ecclesiae Dei gloriam pro viribus augendam, et quam strenue, quae huic tuo studio se obiiciunt impedimenta removeas. Idque praesertim Nobilitatem Tuam in praeteritis istius Regni Comitiis ostendisse. Cum igitur alia instant Comitia eundem in his zelum a te requirit, et sperat Ecclesia Christi, nec ipsam sua spe fraudatam iri persuasum habemus. Illud a Nobilitate Tua magnopere contendimus, ut qua praestas pietate et auctoritate Catholicos ruthenos protegas. Quidquid in illos beneficii contuleris, certum erit tuae in Nos observantiae testimonium. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

316.

Romae, 14 . XII . 1618

Vicecancellario Lithuaniae et aliis Nobilibus litterae commendatitiae negotia catholicorum Ruthenorum dantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 240.

Dilecto filio, nobili viro, Hieronymo, Vicecancellario Lithuaniae.
(*In margine:* quatuor dupl. ad Regnum Poloniae).

PAULUS PP. V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Necesse est multum Nos de Tua Nobilitate in proximis Poloniae Comitiis confidere, Cum enim vera credamus ea, quae Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, de tuo erga catholicam religionem eximio perpetuoque zelo nobis exposuit, et nominatim quam viriliter in praeteritis Comitiis pro Ecclesia Dei Haereticorum audaciae restiteris, certam ex tua constanti virtute conjecturam facimus, te eodem zelo, et maiori etiam si fieri potest, ubi Christi causa postulaverit, in proximis Comitiis usurum. Quare cum te ad id praestandum satis tua sponte incitatum intelligamus, nostram cohortationem adhibere supersedeimus. Illud unum Nobilitatem Tuam rogare volumus, et catholicos Ruthenos in his Comitiis et ubicumque tuo auxilio indigebunt iuvare omni studio coneris. Cuius sane facti laudem non mediocrem a Catholicis omnibus, a Deo vero magnum caelestis gloriae incrementum conquereris. Et interim Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

⁶⁵⁾ Stanislao Zolkiewski (1618-1620). Obiit in bello an. 1620 (7-X).

317.

Romae 14 . XII . 1618

*Episcopo Samogitiae et aliis quatuor eiusdem tenoris.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 241.

Venerabili fratri, Christophoro, Episcopo Samogitiae.

(In margine: quatuor dupl. ad Regnum Poloniae).

PAULUS PP. V.-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Literae Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, certiores Nos fecerunt de praestanti zelo, quem Fraternitas Tua perpetuo adhibet in curandis iis, quae ad catholicae religionis utilitatem aliqua ratione spectare videntur, praesertim vero quid adversus Haereticos Fraternitas Tua pro Christi causa in superioribus Regni Comitiis egerit. Quo nomine laudamus merito Fraternitatem Tuam, quam speramus pro sua innata virtute eundem quoque zelum proximis Comitiis allaturam. Maxime vero si quid in his de catholicis Ruthenis agetur, quos tuo favore protegi magnopere cupimus. Et Fraternitati Tuae a Domino caelestium bonorum cumulum praecantes iterum Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

318.

Romae, 14 . XII . 1618

*Palatino Russiae eodem argumento.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 242.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Russiae.

PAULUS PP. V.-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quoties de futuris istius Regni Comitiis cogitamus, toties de catholicae religionis incolumentate in eodem Regno metuimus. Non enim ignoramus, quae ab Haereticorum improbitate in huiusmodi Comitiis Dei Ecclesia soleat pati. Quare iustus, qui nobis obicitur metus cogit Nos hortari, et rogare Catholicos omnes, qui ad Comitia convenient, ut qua valeant pietate, prudentia, et auctoritate imminentia ab hostibus catholicae religionis pericula longe propellere nitantur. Quod quidem Nobilitatem Tuam impense praestituram pollicentur vobis ea, quae de tuo eximio zelo accepimus a Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro. Is enim nobis exposuit, quae tua sit semper seluidas, quis ardor in iis exequendis, quae ad Ecclesiae Dei gloriam pertinent. Quippe vero istud egregium Nobilitatis Tuae studium in præteritis Comitiis maxime apparuisse. Quare merito Nos de tua constanti virtute idem in futuris Comitiis speramus. Caeterum a Nobilitate Tua petimus, ut in his Comitiis catholicis Ruthenis omni studio suffrageris. Quicquid enim in illos beneficii contuleris cumulata mensura tibi a Domino reddendum fore

pro comperto habere. Et iterum Nobilitate Tuae apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, etc., Anno 14.

319.

Romae, 14 . XII . 1618

Idem Christophoro, Episcopo Kioviensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 248.

Venerabili fratri Christophoro, Kioviensi Episcopo.

PAULUS PP V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

In proximo sunt istius Regni Comitia, in quibus Haereticorum perfidia, sicut nosti, illud potissimum molitur, ut catholicae religionis, atque Ecclesiae libertati quodcumque potest detrimentum afferre conetur. Quare ne impietati turpiter cedat pietas Catholicorum erit praecipuo zelo Venerabilium fratrum Episcoporum istius Regni nefariis conatibus se audacter opponere, eosque Deo adiuvante comprimere. Cum itaque ex literis Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, intellexerimus, quantus Fraternitatis Tuae in praeteritis Comitiis fuerit zelus, quanto studio et constantia Christi causam adversus eius hostes tutatus fueris, simulque idem Nuntius nobis significaverit summa te semper alacritate sibi praesto fuisse in his quae ad religionis negotium pertinebant, eo fit ut magnam in tua solita pietate, et virtute, in futuris Comittiis spem ponamus. Illud praecipue Fraternitatem Tuam rogare volumus, cuius sollicitudo magnopere Nos angit, ut scilicet Ruthenorum catholicorum rationibus in his Comitiis omni studio prospicias, eisque pro viribus patrocineris. Id quidem Deo maxime acceptum, nobis vero, qui Fraternitatem Tuam paterna benevolentia complectimur, gratissimum erit.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., sub Annulo Piscatoris, 14 Decembris 1618, etc., Anno 14.

320.

Romae, 14 . XII . 1618

Idem argumentum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 249.

Venerabili fratri, Paulo, Episcopo Vladislaviensi⁶⁶.

PAULUS PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Adsunt istius Regni Comitia, in quibus Haereticorum calliditas quid ma-

⁶⁶⁾ Christophorus Kazimirski (1600-1618).

chinari soleat, Fraternitas Tua non ignorat. Quare nostri muneric esse intellegimus Fraternitatem Tuam in Domino rogare, ut omnibus viribus inimicorum fraudibus obviam ire, et Ecclesiae Dei honorem, et libertatem tueri velis. Hoc sane de Tua Fraternitate sperare Nos faciunt, cum tua perspecta pietas, tum ea, quae a Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, intelleximus, quanto videlicet studio et vigilantia in praeteritis Comitiis religionem catholicam contra Haereticos protexeris, et quam promptum semper te exibeas ad ea exequenda quae ad Ecclesiae Dei gloriam pertinere videntur. Non patietur tua egregia pietas, ut hoc tam opportuno tempore in Christi causam non toto animo incumbas. Illud quidem quod magnopere cupimus a Tua Fraternitate petere volumus, ut Ruthenis catholicis in his quae ed eorum utilitatem spectabunt tuam operam diligenter impendas. Res erit tuo munere digna, Nos vero magna laetitia cumulabis. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

321.

Romae, 14 . XII . 1618

Idem episcopo Plocensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 250.

Venerabili fratri Henrico, Episcopo Plocensi⁶⁸.

PAULUS PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Ex literis Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, cognovimus, quae tua fuerit sollicitudo, et contentio in praeteritis Regni Poloniae Comitiis, ut Ecclesiae Dei honorem et libertatem, ab Haereticorum impressionibus illaesam conservares. Neque solum in Comitiis te id egisse ipse Nuntius nobis significavit, sed etiam prompto semper animo, et sedulo omnem opportunitatem amplexum esse de catholica religione bene merendi. Commendamus (ut par est) hunc eximium Tuae Fraternitatis zelum, ac pro tua constanti virtute certo confidimus eundem te zelum proximis etiam Comitiis allaturum. Illud a Fraternitate Tua magnopere petimus, ut in his Comitiis, et ubi opus fuerit Ruthenis catholicis omni studio consulas, ne eorum pietas ab Haereticorum improbitate aliquid damni accipiat. Hoc Fraternitatem Tuam et suo catholico zelo, et nostrae ea de re magnae voluntati libenter daturam speramus. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc. 14 Decembris 1618, Anno 14.

⁷⁶) Vel Cuiaviensis. Tunc temporis erat Paulus Wolucki (1615-1633).

⁶⁸) Henricus II Firlej (1617-1624).

322.

Romae, 14 . XII . 1618

*Archiepiscopo Leopoliensi.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 251Venerabili fratri Joanni Andrea, Archiepiscopo Leopoliensi⁶⁹.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Suspensos Nos valde habent futura Regni Comitia, vehementerque timimus, ne Haeretici pro suo instituto catholicae religioni quavis ratione obesse contendant. Verum in hac nostra sollicitudine magnopere Nos recreat fiducia Venerabilium fratrum nostrorum istius Regni Antistitum, ac praesertim Fraternitatis Tuae cuius eximius zelus optime nobis cognitus est. Ex literis enim Venerabilis fratris Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, intelleximus, quid Fraternitas Tua in praeteritis Comitiis egerit, quo studio, et vigilantia catholicam religionem atque Ecclesiae iura defenderis, quam etiam promptum te, alacremque ad ea praestanda exhibueris, in quibus ipse Nuntius auxilium tuum requirebat. Rogamus itaque Fraternitatem Tuam, ut solitus es zelo Christi causae in futuris Comitiis adesse velis, quod quidem de Tua Fraternitate certo nobis pollicemur. Res erit, ut vides, tuo munere maxime digna, nobis vero gratissima.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

323.

Romae, 14 . XII . 1618

*Cancellario Lithuaniae idem commendatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 252.

Dilecto filio, nobili viro, Leoni, Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae.

PAULUS PAPA V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quam strenuis defensoribus egeat hoc tempore catholica religio in Regno Poloniae res ipsa satis ostendit. Siquidem propediem futura sunt Regni Comitia, ubi Haeretici quemadmodum Nobilitas Tua novit, se in omnes partes versant, ut quibus possunt modis catholicae fidei dignitatem, et auctoritatem oppugnet. Quo fit, ut contra perfidos hostes amantissima mater Ecclesiae filios suos, qui et virtute, et auctoritate in isto Regno sunt validiores ad sui defensionem invitet. Ex quorum numero cum Nobilitas Tua existat, merito tuo solito zelo, et fortitudine instructus ad tam iustam pugnam venire

⁶⁹) Joannes VIII Andreas Próchnicki (1614-1633).

debēs. Multum sanc est, quod de Tua Nobilitate in futuris Comitiis speramus. Ex literis enim Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, cognovimus quam invicto animo pro Dei gloria steteris in praeteritis Comitiis, et quam strenue semper cum adest occasio Ecclesiae dignitatis patrocinium suscias. Ac praecipue nobis gratum fuit audire quid egeris in negotio catholicorum Ruthenorum, cum constitutioni, quae in illorum praeiudicium edita erat, te tanto studio opposuisti, atque ea in re tam promptum auxilium ipsi Nuntio praebuisti. Commendamus, ut debemus, hanc egregiam pietatem, Tua vero Nobilitate dignam, et quod hactenus tam praestanti zelo fecisti, idem in posterum pari voluntate te facturum certo confidimus. Atque iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

324.

Romae, 14 . XII . 1618

Costantiae, Poloniae Reginae, res catholicorum Ruthenorum in futuris Regni Comitiis protegenda commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 258.

Carissimae in Christo filiale Constantiae,
Poloniae et Suetiae Reginae Illustri.

PAULUS PP. V-s. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc.

Maiestatis Tuae iam diu nobis perspecta egregia pietas fuit, ut catholicae religionis negotium, cum adest opportunitas, alacri animo tibi commendamus. Cum itaque accepimus non longe abesse istius Regni Comitia, in quibus quid moliri soleant Ecclesiae hostes, non semel experti sumus. Voluimus rogare Maiestatem Tuam, ut qua valeas apud omnes Regni Ordines auctoritate, Christi causam omni studio tueri velis. Id certe Maiestatem Tuam cum pro suo singulari, innatoque zelo, tum pro ea quae Nos, atque hanc S. Sedem prosequitur observantia, cumulate praestituram non dubitamus. Quam quidem in Nos observantiam, et benevolentiam licet multis aliis argumentis statis cognitam habeamus, testimonio tamen Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, et Apostolicam Sedis confirmari nobis gratum fuit. Ab ipso si quidem accepimus fere nunquam se Maiestatem Tuam adire, quin magno cum affectu de nobis ipsum percunteris, cui quidem tui in Nos animo pari Nos semper benevolentia responsuros, certo tibi persuades, et Maiestati Tuae a Domino suae S. gratiae incrementum, et foelicia omnia precantes iterum Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

325.

Romae, 14 . XII . 1618

*Episcopo Peremysliensi eadem res commendatur protegenda.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 259.Venerabili fratri, Stanislawo, Episcopo Premysliensi⁷⁰.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi pro comperto habemus Fraternitatem Tuam in futuris Regni Poloniae Comitiis pro sua singulari pietate, et magna quam de Christi gloria gerit sollicitudine, nihil praetermisuram, quod ad catholicam religionem promovendam, sive ad Haereticorum insolentiam comprimendam pertineat, quemadmodum in superioribus Comitiis te summo studio fecisse, et semper ubi Christi causa requirit idem praestare ample testatus est nobis suis literis Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster. Tamen ut ea in re nostro muneri, et vehementi, quo tenemur desiderio, aliqua ex parte satisfaceremus, voluimus Ecclesiae Dei negotium, ac nominatim catholicorum Rutherford causam in istis comitiis Fraternitati Tuae commendare, teque in Domino hortari ad religionis patrocinium ita suscipiendum, ut hostes fidei videant iis pastoribus Dominicum gregem commisum esse, qui valeant luporum dolos, et rabiem ab ipso Christi grege fortiter repellere, quod certe tua exima pietas de te nobis pollicetur. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

326.

Romae, 14 . XII . 1618

*Marescalco Poloniae eiusdem argumenti.*ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 260.

Dilecto filio, nobili viro Nocolao. Magno Regni Poloniae Marescalco.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, copiose scripsit nobis de singulari zelo, quo Nobilitas Tua uti solet ad ea omnia, quae catholicae religionis gloriae, atque ecclesiae libertatis incremento deserunt. Illud vero in primis pergratum fuit nobis audire Nobilitatem Tuam in superioribus Regni Comitiis pro Christi causa ita strenue se adversus Haereticos gessisse, ut praecolare semper ostenderit magnam suam nobilitatem et auctoritatem pari cum pietate coniunctam. Quare commendamus summopere Nobilitatem Tuam, teque enixe in Domino rogamus, ut eadem tuae pietatis argumenta in proximis quoque Regni Comitiis exhibere velis, praecipue vero erga catholicos Ruthenos, ut hi tua defensione ab Haereticorum infestationi-

⁷⁰) Stanislaus Siecinski (1611-1619).

bus tuti pacate, ac libere vitam degere valeant, qua ex re magnam apud Deum inibis gratiam, nostrae vero in te paternae benevolentiae non parvus cumulus accedet. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

327.

Romae, 14 . XII . 1618

Episcopo Chelmensi eiusdem tenoris.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 261.

Venerabili fratri Georgio Chelmensi⁷¹.

PAUL PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Pastorale, quod geris munus, quid in proximis Regni Comitiis a Fraternitate Tua postulet nihil necesse habemus te monere, cum id tu ipse optime mente comprehendas, et opere etiam exequaris. Ex literis enim Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, accepimus quanto cum zelo Fraternitas Tua eccecedat ad ea praestanda, quae catholicae religionis adiumento esse possunt, quod praecipue fecisti in superioribus Regni Poloniae Comitiis, in quibus Ecclesiae Christi adversus eius hostes magna cum laude operam navasti. Quare non dubitamus pro tua constanti pietate te qualis hactenus fuisti, talem semper in posterum praecipue vero in proximis Comitiis futurum. Illud Fraternitatem Tuam enixe rogare volumus, ut catholicis Ruthenis quoties opus fuerit omni studio, subsidio esse velis. Id enim maxime nobis cordi est, et a Tua Fraternitate facile Nos impetraturos speramus. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

328.

Romae, 14 . XII . 1618

Regi Poloniae Sigismundo eodem argumento.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 262.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Suetiae Regi Illustri⁷².

⁷¹) Georgius Zamoyski (+1620).

⁷²) De his Comitiis sic scribebat Nuntius Varsaviensis: « E' stata finalmente, per quanto mi riferisce il G. Segretario, fatta da S. M. ferma determinazione del principio della prossima Dieta per il 22 di Gennaro. Onde aspettarò à suo tempo i soliti Brevi... come che con Signori de questa Natione la lode ha particolare forza sarebbe, credo, molto utile, se non solo tutti i Brevi contenessero espressa e calda raccomandazione delle cose ecclesiastiche pertinenti a quelli del Rito Latino, et agli altri di Rito Greco, cioè a Rueeeni... » (19-X-1618: ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 217, fol. 144-145). Et sub

PAULUS PP. V-s. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Quantum praesidii in Maiestate Tua paraverit Dominus Ecclesiae suae in isto Poloniae Regno, longa iam experientia Nos docuit. Cum enim de tuenda catholicae religionis dignitate agitur, adeo tuum zelum eminere cernimus, ut Maiestati Tuae non modo regium sed etiam sacerdotalem animum inesse apparet. Qua quidem egregia tua pietate non parum nostra maxima solicitude de his, quae ad religionem in isto amplissimo regno pertinent, sublevatur. Si quidem appropinquatibus iam Regni Comitiis, quibus plurimos interesse novimus, qui recte fidei adversantes illud unum animo agitare videntur, si qua ratione eam depravare, ac penitus evertre queant. Nos de Maiestate Tua certo confidimus ea te in huiusmodi Christi causa affecturum, quae hactenus summa semper cum gloria effecisti, quaeque catholicu tuo zelo maxime sunt consentanea. Caeterum quod nobis magnae curae est, non praetermittimus his literis Maiestati Tuae significare, deque eo te enixe rogare, ut videlicet Ruthenorum catholicorum rationibus in istis Comitiis sollicite providere velis, ut qui relictis erroribus ad ecclesiae gremium se reeperunt, in eo ab hostium Christi vexationibus liberi tuo patrocinio foveantur. Nos Dominum orabimus, ut Maiestatem Tuam honorum omnium copia augeat, atque secundis semper rebus laetari concedat.

Datum Romae apud S. Mariam, 14 Decembris 1618, Anno 14.

329.

Romae, 14 . XII . 1618

Idem Palatino Ravensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 268.

Dilecto filio, nobili viro Stanislao, Palatino Ravensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, novilis vir, salutem etc.

Audivimus a Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, egregiam pietatem Nobilitatis Tuae, et assiduum studium quo ea prosequeris, quae catholicae religioni usui esse possunt. Praecipue vero idem Nuntius Nobis retulit hunc tuum praestantem zelum in praeteritis Regni Comitiis eluxisse, ubi pro Ecclesia Christi contra Haereticos acer bellator semper steteris. Quamobrem ad optime de Tua Nobilitate sperandum in futuris quoque Comitiis compellimur. Certo enim scimus pro tua constanti virtute te tui similem ubique futurum. Illud unum Nobilitatem Tuam enixe rogamus, ut rebus catholicorum Ruthenorum diligenter consulere velis. Quidquid officii a tua pietate in illos profectum fuerit, id certe nobis maxime acceptum erit. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Maria, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

data 15-II-1619: «Contro Ruteni uniti non si è ancora espressamente trattato cosa alcuna» (IBID., vol. 235, fol. 38). Et demum: «Contro i Ruteni uniti si son fatti alcuni impieti assai gagliardi in maniera, che Mons. Metropolita di Chiovia pensava piuttosto a moderar la forma della constitutione pretesa dagl'Avversarii, che a sfuggirla affatto...» (1-III-1619; IBID. fol. 46).

330.

Romae, 14 . XII . 1618

Palatino Inowladislaviensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 269.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Inowladislaviensi.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Nobilitatem Tuam optime scire arbitramur quae Ecclesia Dei in proximis istius Regni Comitiis a te postulet, ea nimirum quae in praeteritis Comitiis egregie praestitisti. Accepimus enim a Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, nunquam singularem pietatem, et sollicitudinem tuam in illis Comitiis pro catholicae Ecclesiae commodis, et exaltatione vigilare destitisse, idemque te pari semper studio facere cum se offert occasio. Quare non possumus nisi magna de tua stabili pietate etiam in posterum nobis polliceri. Quod reliquum est. Nobilitati Tuae catholicos Ruthenos enixe commendamus. Pergratum nobis erit, si isti ex tuo patrocinio fructum non mediocrem se perceperint intellexerint. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc. 14 Decembbris 1618, Anno 14.

331.

Romae, 14 . XII . 1618

Eustachio, Episcopo Vilnensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 270.

Venerabili fratri Eustachio, Episcopo Vilnensi.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum instant Poloniae Regni Comitia, pro nostra de Christi Ecclesia sollicitudine non desistimus Venerabiles fratres Episcopos, qui huiusmodi Comitiis interesse solent, in Domino hortari, et enixe rogare, ut omni studio current, ne catholica religio ab Haereticorum perfidia aliquid detrimenti capiat. Cum autem Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, certiores Nos fecerit de Fraternitatis Tuae singulari zelo et industria in catholicae religionis dignitate propugnanda adversus Haereticos, atque etiam pro viribus promovenda, tum in praeteritis Comitiis, tum etiam quacumque alia oblata occasione, idcirco Fraternitatem Tuam his literis adire voluimus, non quidem ut te hortaremur ad idem studium praestandum in futuris Comitiis. Certo enim scimus te tua sponte id cumulate praestitum, sed ut nostrum ea de re desiderium Fraternitati Tuae ostenderemus. Quod vero nominatim Fraternitati Tuae commendare volumus, est patrocinium Ruthenorum catholicorum, de quibus magnopere solliciti sumus. Per-

gratum nobis erit, si hi intellexerint nostram apud te commendationem sibi non parvo usui fuisse, et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

332.

Romae, 14 . XII . 1618

Simoni, Episcopo Warmiensi, idem enixe inculcatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 271.

Venerabili fratri Simoni, Episcopo Varmiensi⁷³.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum pestiferi semper existunt Haeretici, tum vero maxime cum una aggregati iunctis studiis conspirant in exitium catholicae fidei. Qua de causa Regni Poloniae proxime futura Comitia valde Nos sollicitos reddunt. Cum enim eo non pauci ex his convenient quibus illud in primis propositum est, ut quavis ratione perniciem afferant religioni, magnopere nobis verendum est, ne istorum impia conspiratione aliquid in proximis Comitiis contra Dei Ecclesiam, eiusque libertatem decernatur. Verum in his angustiis positi non mediocriter spectata pietate, et eximio zelo Episcopum istius Regni recreamur. Scimus enim quid in aliis Comitiis pro Ecclesia Dei praestiterint, ac nominatim de tua Fraternitate scripsit ad Nos Venerabilis frater Franciscus Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, te in superioribus Comitiis egregiam Christo navasse operam, ac fortiter perditis Haereticorum consiliis obstitisse, ac simul ipsi Nuntio prompto semper studio adfuisse in his, quae Christianae religionis intererant. Quare idem te praestiturum in posterum certo confidimus. Illud unum, quod magnopere cupimus, te rogare non praetermittimus, ut quae ad Ruthenorum catholicorum utilitatem in his Comitiis pertinebunt, tua solita diligentia curare velis, hoc tua egregria pietate dignum pastorali vero muneri maxime erit consentaneum. Et iterum Fraternitati Tuae apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

333.

Romae, 14 . XII . 1618

Episcopo Posnaniensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 272.

Venerabili fratri Andreeae, Episcopo Posnaniensi⁷⁴.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Quare in Comitiis Regni Poloniae ab Haereticis agitari soleant, Fraterni-

⁷³) Simeon Rudnicki (1603-1621).

⁷⁴) Andreas Opalinski (1608-1623).

tas Tua saepe experta est, hoc unum videlicet, ut catholicae religioni quam maxime incommodent, eique damna omnia inferre non praetermittant. Sed Dei misericordiae gratiae agendae sunt, quod isti Regno de Episcopis, aliisque catholicis Principibus providerit, quorum eximio zelo, et fortitudine efficitur, ut impii adversariorum conatus prorsus evanescant. Id vero inter alios Fraternitatem Tuam egregie semper praestitisse significavit nobis suis literis Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, qui de tua praestanti pietate, prudentia vigilantia pro Ecclesia Dei in praeteritis Comitiis ample testatus est, nec non de magno animi ardore, quem in te semper reperit ad exequendum ea, quae e christiana religione esse videantur. Quare non est, quod te rogemus, nisi ut in proximis Comitiis solitam tuam pietatem, et diligentiam in Christi causam conferas, et quod maxime Nos sollicitat, ut catholicos Ruthenos a fraudibus, et molestiis Haereticorum omni conatu defendas. Nos certe omnia de Tua Fraternitate nobis pollicemur, cui iterum a Domino Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

334.

Romae, 14 . XII . 1618

Regni Poloniae Primi eiusdem tenoris et argumenti.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 278.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi⁷⁵.

PAULUS PAPA V-s. Venerabili frater, salutem etc..

Ex eo tempore, quo primum ad Ecclesiae Dei gubernationem, meritis licet imparibus, a divina clementia vocati sumus, nihil potius nobis fuit, quam ut catholicam religionem omnibus viribus ab impiis inimicorum conatabus integrum illaesamque servaremus. Quo fit, ut sollicito semper animo periculis, quae ei imminent, praecavendis invigilemus. Cum igitur istius Regni Comitia iam instare acceperimus, in quibus, ut Fraternitas Tua novit, non pauci adesse solent, qui Sathanae spiritu afflati omnibus machiis catholicam fidem oppugnare ac labefactare contendant. Visum nobis nostram ea de re sollicitudinem cum Tua Fraternitate communicare, non eo quidem consilio, ut te ad defendendam Christi causam in futuris Comitiis incitaremus. Scimus te tua sponte ad id praestandum omnem occasionem captare solere. Novimus quoque ex literis Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, quid in praeteritis Comitiis egeris, quam fideliter, et strenue pro catholica fide gesseris, ut qui loco et auctoritate in amplissimo Poloniae Regno emines, pari quoque catholico zelo semper emineas. Quare tua spectata virtus potius egregiam laudem, quam exhortationem a nobis re-

⁷⁵⁾ Laurentius Gembicki (1616-1624).

quirit. Voluimus itaque has ad te litteras dare, quibus solum nostram hac de re sollicitudinem, ac vehemens desiderium exponeremus, ac praecipue quam nobis cordi sit ut ruthenis Episcopis catholicis in his Comitiis omnistudio consulatur. Eos fraternitati Tuae, quantum possumus, commendamus. Si quae certe tibi est voluntas nobis satisfaciendi, quam quidem magnam esse ex nostra in te voluntatte coniicimus, illud gratissimum nobis futurum scias, si Rutheni, qui in Ecclesiae gremio sunt, praeter solitum tuum patrocinium, aliquem etiam ex hac nostra commendatione fructum se retulisse cognoverint. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Maria, etc., 14 Decembris, Anno 14.

335.

Romae, 14 . XII . 1618

Episcopo Cracoviensi idem magnopere commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 279.

Venerabili fratri Martino, Episcopo Cracoviensi⁷⁶.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc..

Valde solliciti sumus ne futuris Regni Comitiis Haereticorum audacia aliquid conetur, quemadmodum facere consuevit, adversus Dei, atque eius Ecclesiae honorem. Huic malo nullum efficacius remedium inveniri existimamus, quam zelum Venerabilium fratrum ordinis ecclesiastici Antistitum in isto Regno. Inter hos vero quantum de Fraternitate Tua catholica religio sibi polliceri possit, singularis tuus zelus saepius antea spectatus ostendit. Accepimus enim a Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, te in superioribus Comitiis sollicite semper et strenue Ecclesiae dignitatem adversus eius hostes protexisse; simul etiam accepimus quam libenter, et prompte ipsum Nuntium iuveris, quoties ei tuum auxilium opus fuerit. Quare Fraternitatem Tuam sua solita, ingenitaque virtute in proximis quoque Comitiis usuram, non est quod dubitemus. Praesertim vero, ut in Ruthenorum catholicorum curam omni studio incumbas, summopere optamus. Id cum feceris et nostro maximo desiderio, et tuae optimae existimationi, ac pastorali muneri plene satisfeceris. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., Decembris 1618, Anno 14.

⁷⁶⁾ Martinus Szyszkowski (1617-1630).

336.

Romae, 14 . XII . 1618

Episcopo Culmensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 281.

Venerabili fratri Joanni, Episcopo Culmensi⁷⁷.

PAULUS PP. V-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Proximorum Regni Poloniae Comitiorum expectatio non parum nos commovet. Metuimus enim ab Haereticorum, qui illuc pervenient perditis consiliis periculum aliquod catholicae religioni, quam in isto Regno summa Dei misericordia, et Venerabilium fratrum Episcoporum vigilantia in dies magis vigere gaudemus. Quam quidem vigilantia multum de nostra sollicitudine detrahitur. Speramus enim in futuris Comitiis eandem vigilantiam ipsos Episcopos adhibituros adversus Haereticorum insidias, ac de Tua Fraternitate id nobis imprimis pollicemur. Novimus enim ex literis Venerabilis fratris Francisci, Episcopi S. Angeli, Nuntii nostri, te in praeteritis Comitiis eximio zelo armatum pro Ecclesiae Christi dignitate, et liberate fortiter dimicasse, et quoties catholicae religionis causa agatur, semper eodem zelo uti, atque ipsi Nuntio, ubi opus est, prompto animo adesse. Quod cum tua sponte cumulate praestes, nostra ad id cohortatione minime eges. Unum est, quod cum nobis cordi sit te rogare volumus, ut nimirum catholicis Ruthenis magno studio patrocineris. Rem facies Deo maxime acceptam, nobis vero gratissimam.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

337.

Romae, 14 . XII . 1618

Episcopo Luceoriensi Andreae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 282.

Venerabili fratri Andreae, Episcopo Luceoriensi⁷⁸.

PAULUS PP. V-s. Venerabili frater, salutem etc.

Sollicitudo, quam Deo auctore universae Ecclesiae debemus, urget Nos, ut quae imminent Christi gregi pericula, summo studio propulsemus, atque ad id praestandum aliorum etiam opem imploremus. Cum igitur in Poloniae Regni Comitiis Haereticorum, qui illuc convenient, opera in discrimen venire soleat dignitas, et salus catholicae religionis, ideo valde suspenso animo

⁷⁷) Joannes IX Kuczborski (1613-1624), postea Plocensis.

⁷⁸) Andreas Lipski (1617-1622), postea Cuiaviensis.

sumus, ne in his Comitiis, quae brevi habentur, tale aliquid accidat. Quare nobis visum est, ad occurrentum his periculis, Venerabilium fratrum Episcoporum atque aliorum Catholicorum, qui in isto Regno pietate, et auctoritate valent, auxilium exposcere. Cum vero de Tua Fraternitate paeclarata multa nobis significaverit Venerabilis frater Franciscus, Episcopus S. Angelii, Nuntius noster, nimirum te eximio semper zelo, et invicto animi robore, quae christiana religionis sunt tuenda suscipere, et adversariorum machinationibus viriliter resistere, magnopere confidimus, tua praestanti pietate, et auctoritate, qua polles, omnia in his Comitiis Ecclesiae Christi prospere cessura. Praecipue vero speramus Ruthenos catholicos, qui nobis valde cari sunt, tuo patrocinio non mediocrem fructum percepturos. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 14 Decembris 1618, Anno 14.

338.

Romae, 28 . XII . 1618

Principi Poloniae Vladislao eadem res commendatur protegenda.

ASV, *Armarium* 45, vol. 17, fol. 311.

Dilectissimo filio nostro Vladislao, Poloniae, et Suetiae Principi.

PAULUS PP. V-s. Dilectissime fili noster, salutem etc..

Multum in Comitiis Regni Poloniae, ut Nobilitas Tua novit, audere solent contra catholicam religionem Haeretici, quibus coercendis nunquam defatigata est invicta virtus carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis, parentis tuis, cuius catholicum zelum egregie te semper imitatum esse, nemo est, qui ignoret. Appropinquantibus itaque Regni Comitiis cogit Nos nostri munera sollicitudo, ut Nobilitatem Tuam enixe rogemus, quamque ad id tua sponte satis te propensum intelligemus, ut omni studio Christi Ecclesiae adversus eius hostes patrocinari velis. Agnoscant Haeretici Nobilitatem Tuam minus in bellica, quam in christiana fortitudine, ac prudentia quotidie proficere. In primis vero tibi catholicos Ruthenos commendare volumus. Gratissimum nobis erit si isti te protegente sua saluti, et dignitati optime consultum intellexerint. Nec dubitare fas est, quin si pro Dei, atque eius Ecclesiae gloria, quo decet talem Principem studio, laboraveris, fidelis Deus te et terreni regni amplitudine, et caelestis gloriae immensitate remuneret. Id certe nos pro paterna, ac praecipua, qua Nobilitatem Tuam prosequimur, benevolentia a Deo assiduis precibus contendemus. Et iterum Nobilitati Tuae ex intimo cordis affectu Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., 28 Decembris, Anno 14.

339.

Romae, I . X . 1620

*Rutheni catholici Episcopo Camenecensi commendatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 373.Venerabili fratri Episcopo Camencensi⁷⁹.

PAULUS PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc..

Nostra sollicitudo universalis Ecclesiae, cui Spiritu Sancto auctore, licet meritis valde impares, praesidemus, urget Nos, ut ubicumque catholicae fidei periculum aliquod impendere animadvertisimus, ei quacumque ratione possumus, mature succurrere studeamus. Cum itaque in propinquuo sint Comitia Regni Poloniae, et his (ut Fraternitas Tua novit) interesse etiam soleant, qui ipsi fidei adversantes, eius exitium pertinaci odio moliuntur, merito imminens huiusmodi periculum praecipuam nostram curam sibi vindicat⁸⁰. Verum non exigue recreatur animus noster, cum cogitamus in huius nostrae curae partem venire Fraternitatem Tuam, cuius spectatam in praeteritis Comitiis virtutem, zelum ac prudentiam speramus omni studio conaturam, ut non modo in proximis Comitiis religio ulla ex parte impietati cedat, sed potius longe superior existat. Id, ut de tua virtute confidimus, ita quod tuae pietati valde est congruum a te petere volumus, nimirum ut Catholicis rutheinis favere quibus poteris officiis pergas. Certe si quid nobis gratum facere cupis, scito id nos forse gratissimum. Reliqua pluribus tibi significabit Venerabilis Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, cuius verbis plenam fidem praestare te volumus, et iterum Fraternitati Tuae Apostolica benedictione peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620 etc., Anno 16.

340.

Romae, I . X . 1620

*Idem Episcopo Culmensi.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 374.

Venerabili fratri Joanni, Episcopo Culmensi.

PAULUS PAPA V-s. Venerabilis frater, salutem etc..

Has nostras ad Fraternitatem Tuam literas damus testes cum eius solli-

⁷⁹) Matthias Lubienski (1614-1620), postea Chelmensis.⁸⁰) In proximis Comitiis revera acriter dimicabatur de Unione. Nuntius Varsaviensis ita habet sub data 20-XII-1620: «Si continua a trattar gagliardamente della costituzione avvisata con le passate a favor de Scismatici, con voler dichiarargli libertà di coscienza nel loro errore et ostare alla superiorità di prerogative degl'Uniti, procurandosi di più che in Premislia debba essere un Vescovo di Rito Greco, Scismatico in luogo dell'Unito... » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 217, fol. 207).

citudinis quam nobis affert expectatio instantium Comitiorum istius Regni, tum spei quam reponimus in tua consueta pietate, et zelo divini honoris. Ut enim valde nos commovet, quod exploratum habeamus in his Comitiis hostes Ecclesiae Dei omnes machinas adhibere solitos ad expugnandam catholicam religionem, sic non parum de nostra sollicitudine detrahitur, dum cogitamus Fraternitatis Tuae virtutem, ac vigilantiam, quae praecellere antea semper se gessit in fidei defensione, iam ipsam in futuris quoque Comitiis pari ardore christianaee causae adfuturam, et divina adiutrice gratia egregiam laudem de superatis Satanae artibus relaturam. Inter cetera vero, quae tuum patrocinium in istis Comitiis merebuntur sunt res catholicorum Ruthenorum. Digni plane hi sunt prompto fidelium, et maxime Ecclesiasticorum auxilio, qui summo Dei beneficio ad Ecclesiae catholicae unionem, relicto schismate, se receperunt. Caeterum omnia fusius a Venerabili fratre Episcopo Sancti Angeli, Nuntio nostro, Fraternitas Tuas accipiet, cui eadem fidem, quam nobis ipsis tribuas volumus, et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620 etc., Anno 16.

341.

Romae, I . X . 1620

Christophoro, Episcopo Kiovensi, Rutheni protegendi commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 375.

Venerabili fratri Christophoro, Episcopo Kiovensi⁸¹.

PAULUS PAPA V-us. Venerabilis frater, salutem etc..

Ad ea, quae Christi sunt, sollicite curando Fraternitatem Tuam aliena exhortatione non egere persuasum habemus, cum tua ipsius spectata pietas ad id te maxime hortetur, et compellat. Verum universalis Ecclesiae cura, quam disponente Domino, licet immeriti, sustinemus, a nobis exigit, ut imminens catholicae fidei periculum Fraternitati Tuae denuntiemus, atque ad illud propulsandum tuam diligentem operam adhibeamus. Experta non semel est Fraternitas Tuas in istius Regni Comitiis inimicorum catholicae fidei consilia in eo potissimum versari, ut ipsam, quacumque ratione possint, pesime accipiant, et impietatem regnare faciant, quod etiam in proxime futuris Comitiis ipsos conatuos par est credere. Sed speramus Dei largiente gratia fore, ut tua caeterorumque Episcoporum virtute, et divini honoris zelo debitum sibi locum, ac dignitatem verus Christi cultus retineat, quemadmodum in superioribus Comitiis vostra magna cum laude evenisse non ignoramus. Plura, quae ed eam rem pertinent, exponet Fraternitati Tuae Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, praesertim de Catholicis ruthenis, quos tuae pietati maxime commendatos esse cupimus. Ipsi Nuntio in

⁸¹⁾ Christophorus Kazimirski (1600-1618). Revera tamen erat iam Boguslaus Radosewski (1618-1633).

omnibus plenam fidem adhibebis, et Nos iterum Fraternitati Tuae Apostolica benedictione ex animo benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc. Anno 16, etc.

342.

Romae, I . X . 1620

Henrico Plocensi in futuris Comitiis causa catholica enixe commendatur, in specie vero Rutheni catholici.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 380.

Venerabili fratri Henrico, Episcopo plocensi⁸².

PAULUS PAPA V-us. Venerabilis frater, salutem etc..

Ex plurimis quibusque curis, quibus assidue premimur in ista universali Ecclesiae gubernatione, illa quidem non minima existit quam nobis affert expectatio futurorum Comitiorum istius Regni, ubi nihil omnino avidius expetunt qui sinceritatem, ac puram lucem orthodoxae fidei aversantur, quam ut eam errorum caligine involutam ad suum sensum accommodent. Sed bene habes quod divina providentia in huiusmodi Comitiis semper adesse voluit viros divini honoris zelo et virtute praestantes, qui pro sua causa strenue dimicantes gloriosam de hostibus victoriam reportent. Inter hos autem merito Fraternitatem Tuam recensemus, cuius egregiam pietatem, et vigiliam in his praecipue, quae ad religionem tuendam pertinent, optime perspectam habemus. Quamobrem in te non parum conquiescit nostra haec Comitiorum sollicitudo. Nihil enim nisi tuae nobilitati, dignitati, ac virtuti maxime consentaneum a te expectare possumus, sicut fusius a Venerabili fratre Episcopo Sancti Angeli, Nuntio nostro, accipies, qui etiam nostro nomine Fraternitati Tuae Catholicos ruthenos commendabit; hos ut paterna caritate in Domino complectimur, ita oblata occasione tuo favore adiutos fuisse cum voluptate intellegemus. Caeterum ipsi Nuntio nostro eandem, quam nobis ipsis fidem in omnibus ut adhibeas volumus, et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620 etc., Anno 16.

343.

Romae, I . X . 1620

Rutheni catholici Episcopo Cracoviensi, Martino, commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 381.

Venerabili fratri Martino, Episcopo Cracoviensi⁸³

PAULUS PAPA V-us. Venerabilis frater, salutem etc..

Opportuna non longe adest occasio, in qua Fraternitas Tua consuetum

⁸²) Henricus II Firlej (1617-1624).

⁸³) Martinus Szyszkowski (1617-1630).

suum zelum prodat in defensione catholicae religionis. Ordinaria instant Regni Poloniae Comitia, in quibus praesentes Haeretici (ut Fraternitas Tua novit) iunctis odiis, ac viribus soliti sunt pietatem temerario ausu insectari. Quid alias in huiusmodi conventibus Fraternitas Tua egerit, quam forti animo pro Ecclesia Dei contra impietatem steterit, compertum satis habemus. Nec verendum nobis est, ne (quoties opus fuerit) eodem studio Christi causae inservias. Quamobrem non est quod in praesentia te hortari conemur, cum tua constans virtus potius laudem requirat, quam exhortatione indigeat. Sed volumus his literis nostris tantummodo vehemens desiderium significare, ac simul Fraternitati Tuae Catholicos ruthenos impense commendare. Pergratum sane nobis erit si in his Comitiis ex tuo patrocinio aliquid commodi illos percepisse intellexerimus. Copiosius haec omnia a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, accipies, cui cumulatam de omnibus fidem ut adhibeas petimus, et Fraternitati Tuae iterum Apostolica benedictione peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

344.

Romae, I . X . 1620

Rutheni catholici Comitiorum tempore Episcopo Posnaniensi commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 382.

Venerabili fratri Andree, Episcopo Posnaniensi⁸⁴.

PAULUS PAPA QUINTUS. Veneralibis frater salutem etc..

Omni quidem tempore vigilare debet pastoralis sollicitudo Episcoporum pro catholicae fidei defensione. Verum Fraternitatis Tuae aliorumque istius Regni Episcoporum sollicititudinem tunc maxime vigere oportet, cum istic Regni Comitia habentur, ubi (ut nosti) multorum consociata perfidia luctuosum bellum indicere solet christiana pietati. Non ignoramus quam pie, ac fortiter tua Fraternitas in ipsis conventibus adversariorum impetus saepe rupeserit, et impietatem strenue confuderit, quod sane non dubiam spem facit tuam praesentiam in Comitiis, quae instare dicuntur eundem fructum, atque etiam cumulatiorem, si fieri possit, catholicae religioni allaturam. Pluribus itaque a te id contendere supersedemus, ad quod tua sponte satis te animatum docet experientia. Nolumus tamen praetermittere quin Fraternitati Tuae Catholicos ruthenos magnopere commendemus, ut enim hi nobis valde cari sunt, ita pergratum erit si tua opera, ubi opus fuerit, sedulo adiumentur. Plura a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, Fraternitas Tua accipiet, cui in omnibus plenam fidem praestabis, et Nos iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem paterno affectu tribuimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16, etc.

⁸⁴) Andreas Opalinski (1608-1623).

345.

Romae, I . X . 1620

*Episcopo Peremysliensi idem inculcatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 383.Venerabili fratri Joanni, Episcopo Praemysliensi⁸⁵.

PAULUS PP. V-us. Venerabilis frater, salutem etc.

Appropinquantibus Comitiis Regni Poloniae, licet firmam spem concipiamus fore, ut in illis Fraternitas Tua suae pietati, prudentiae, et pastorali officio convenienter se gerat, quia tamen inter multiplices muneres nostri curas ea praecipua est, ut catholica religio omni ex parte illaesa debitum honorem ubique retineat, cumque ipsa in huiusmodi conventibus ob Haereticorum insectationes discrimen aliquod frequenter subire cogatur, ideo inducimur ad hortandum his literis Fraternitatem Tuam, ut quantum viribus conniti poteris pro Christi causa propugnes, neve patiaris fidem nostram, quae vincit mundum, adversariorum iniuria iacturam aliquam facere. Illud vero nobis magnopere cordi est, Fraternitatem Tuam in primis curare cupimus, ut nimirum Catholicorum ruthenorum commodis in istis Comitiis omni studio prospiciatur; id nobis sane perquam gratum erit. Reliqua Venerabilis frater Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, copiosius Fraternitati Tuae exponet. Ipsi eandem quam nobis fidem in omnibus ut habeas volumus. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc. Anno 16.

346.

Romae, I . X . 1620

*Simon, Episcopus Varmiensis, hortatur, ut Ruthenos catholicos Comitiorum tempore adversus impetus Haereticorum protegat.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 384.Venerabili fratri Simoni, Episcopo Varmiensi⁸⁶.

PAULUS PAPA V-us. Venerabilis frater, salutem etc.

Quanta malignetur inimicus catholicae fidei in Comitiis istius Regni non semel experimento didicit Fraternitas Tua, de qua non mediocri cum gaudio caepimus, quod in huiusmodi occasione verum se Ecclesiae filium, et fortem Christi militem in ipsius honore defendendo semper ostenderit, ut non immitterito de tua constanti pietate, et zelo praeclara quaeque in posterum expectare debeamus, praesertim in proxime futuris Comitiis, ubi inter caetera, quae Fraternitatis Tuae sollicitudinem desiderabunt, est causa Catholicorum ruthenorum; hos in via Dei adversarios pati Fraternitati Tuae notum est. Pietatis itaque tuae erit curare, ut qui abiectis erroribus ad Ecclesiae Dei

⁸⁵⁾ Joannes X. Węzyk (1619-1623), postea Posnanensis.⁸⁶⁾ Simeon Rudnicki (1603-1621).

gremium se receperunt, in ea a vexationibus, et iniuriis liberos se conquiescere gaudeant. Id quidem Fraternitatem Tuam quantum in se erit diligenter praesertim, cum voluptate intelligemus; quemadmodum pluribus accipies a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, cui in omnibus, quae tecum nostro nomine aget, cumulatam fidem ut adhibeas petimus. Et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

347.

Romae, 1 . X . 1620

Archiepiscopo Gnesnensi Rutheni commendantur defendendi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 389.

Venerabili fratri Laurentio, Archiepiscopo Gnesnensi⁸⁷.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem etc.

Redeunt Generalia Comitia Regni Poloniae, et novam nobis pro nostro munere afferunt sollicitudinem. Compertum enim habemus quanta conspiratione hostes Ecclesiae Dei in ipsius perniciem illuc conveniant, sed non mediocriter reficitur animus noster dum cogitamus vigilantiam, et ardente zelum Episcoporum istius Regni, ac praesertim Fraternitatis Tuae, cuius praestantem pietatem ac in catholicam religionem studium cum semper, tum praeципue in huiusmodi Comitiorum occasione egregie enitusse novimus. Nec dubitamus quin in pari ipsius catholicae religionis discriminé te tui similem in posterum etiam ostendas. Plurimum sane (ut par est) de Tua Fraternitate nobis pollicemur, cuius in primis cura speramus fore, ut Catholicis ruthenis, de quibus valde solliciti sumus, nulla in re a suis adversariis molestia exhibetur. Plura tecum aget Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, cuius verbis cumulatam fidem in omnibus adhibebis. Et nos iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc. prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

348.

Romae, 1 . X . 1620

Episcopo Luceoriensi eadem res commendatur efficaciter.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 390.

Venerabili fratri Andree, Episcopo Luceoriensi⁸⁸.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem etc.

Admonere Fraternitatem Tuam officii, dum agitur negotium catholicae

⁸⁷) Laurentius Gembicki (1616-1624).

⁸⁸) Andreas Lipski (1617-1622), postea Cuiaviensis.

religionis, supervacaneum omnino existimamus. Commendanda potius est tua spectata pietas, et zelus, qui nullam praetermittit occasionem de Christi Ecclesia benemerendi. Quod cum semper appareat, tum praecipue in Comitiis istius Regni, ubi quemadmodum vires suas exerit Haereticorum improbitas, ita tua aliorumque Episcoporum elucere solet virtus, et pietas. Merito igitur qualem te pro Dei gloria hactenus exhibuisse cognovimus, talem in proxima instantium Comitiorum occasione futurum, non est quod dubitemus. Illud vero imprimis optamus, et a Tua Fraternitate magnopere contendimus, ut in adiuvandis Catholicis ruthenis, eosque ab adversariorum vexationibus liberandis tua maxime vigilet industria. Rem sane nobis gratissimam feceris. Plura tibi nostro nomine exponet Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, cui eadem, quam nobis ipsis fidem in omnibus adhibebis, et Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem iterum peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

349.

Romae, I . X . 1620

Archiepiscopo Leopoliensi.

ASV, *Arnarium* 45, vol. 14, fol. 391.

Venerabili fratri Joanni Andreae, Archiepiscopo Leopoliensi⁸⁹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi nobis obscura nunquam fuit Fraternitatis Tuae egregia pietas, et incensum erga catholicam religionem studium ei, qua emines dignitati in isto Regno consentaneum, non possumus tamen pro nostri muneric officio praetermittere, quin te in praesentia nostris literis adeamus, atque in Domino efficaciter horemur, ut ad tuendam christiana fidei dignitatem contra eius oppugnatores in proximis Regni Poloniae Comitiis omni contentione incumbere velis. Id quidem in superioribus Comitiis summa semper cum laude te egisse non ignoramus, quo fit ut eundem animi ardorem in causa Christi ad futura quoque Comitia te allaturum magnopere confidamus. Ubi si quid in utilitatem Catholicorum ruthenorum effeceris, nobis qui eos paterno affectu diligimus, deque ipsorum salute valde solliciti sumus, rem maxime gravat facies. Pluribus cum Tua Fraternitate aget Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, cuius verbis plenam in omnibus fidem adhibebis. Et Nos Fraternitati Tuae caelestium donorum copiam a Domino preantes iterum Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

⁸⁹ Joannes VIII Andreas Próchnicki (1614-1633).

350.

*Romae, I . X . 1620**Eodem modo de adem re Episcopo Vladislaviensi.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 392.Venerabili fratri Paulo, Episcopo Vladislaviensi⁹⁰.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem etc.

Ordinaria Regni Poloniae Comitia, quae appropinquant, ordinarium requirunt a Tua Fraternitate pro Ecclesia Christi auxilium. Cuncta, ut nosti, experiuntur in his Comitiis hostes christiana fidei, ut ei quocumque pacto incommodent. Aequum sane est, ut christiana pietas, praecipue vero Episcorum zelus, et vigilantia non cedat inferorum portis, quin potius divino praesidio adversus eas praevaleat, et prostrata impietate, catholicae religionis decus tueatur. Quod cum Tuam Fraternitatem in superioribus Comitiis egregie praestitisse acceperimus, maxime confidimus fore, ut quoties sese dabit occasio, idem pari studio semper exequatur, quemadmodum pluribus tibi significabit Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, a quo etiam accipies quanto desiderio teneamur, ut Catholicorum ruthenorum rationibus a Tuae Fraternitatis pietate, ac prudentia in istis Comitiis consultatur. Nostro igitur Nuntio eandem quam nobis ipsis in omnibus fidem habebis, et Nos iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

351.

*Romae, I . X . 1620**Georgio, Episcopo Chelmensi, Rutheni in Comitiis protegendi commendantur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 393.Venerabili fratri Georgio, Episcopo Chelmensi⁹¹.

PAULUS PAPA QUINTUS. Venerabilis frater, salutem etc.

Nihil proclivius esse existimamus, quam Fraternitati Tuae persuadere, ut in his, quae prope adsunt Regni Poloniae Comitiis tuae spectatae pietatis, et catholici zeli argumenta praebere contendas. Ad id enim tua sponte maxime te propensum esse superiorum Comitiorum exempla aperte demonstrant, cum in illis summo studio ac sollicitudine contra adversariorum audaciam catholicae incolumitati semper invigilaveris. Quare non est, quod nunc pluribus te incitare conemur. Illud solum, quod assidue nobis cordi est a Tua Fraternitate petimus, ut nimirum tuam pietatem, ac benevolentiam in Catholicos ruthenos ostendas, illis quacumque re poteris consulendo. Nam

⁹⁰) Paulus Wolucki (1615-1622).⁹¹) Georgius Zamoyski (+ 620).

praeterquam quod res erit tuae virtuti valde consentanea, nostro desiderio maxime satisfacies, sicut pluribus tibi significabit Venerabilis frater Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, cui in omnibus, quae tecum aget, cumulatam fidem habebis. Et Nos iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

352.

Romae, 1 . X . 1620

Episcopo Samogitiae idem scribitur in causa Ruthenorum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 398.

Venerabili fratri Stanislao, Episcopo Samogitiae⁹².

(Nota: Eiusdem tenoris aliis polonis Episcopis).

PAULUS PAPA V-us. Venerabilis frater, salutem etc.

Omnia nobis de Tua Fraternitate pollicemur, cum agitur de Christi, atque ipsius Ecclesiae honore conservando, sive etiam augendo. Valde enim perspicua sunt tua pia consilia, et quae hactenus magna cum laude sapienter egisti pro catholica religione praesertim in istis Regni Comitiis, ubi contra hostes fidei tua virtus semper enituit. Itaque non dubiam spem concipimus fore, ut Fraternitas Tua in proximis quoque Comitiis eandem pietatem ac zelum constanter exhibeat, atque insultantes adversarios coérceas. Quod vero in primis desideramus, et a Tua Fraternitate contendimus, est ut rebus Catholicorum ruthenorum tuo favore prospiciatur. Pergratum nobis erit, si isti cognoverint nostram apud te commendationem sibi beneficium attulisse. Cæterum omnia plenius a Venerabili fratre Episcopo Sancti Angeli, Nuntio nostro, Fraternitas Tua intelliget, cui eandem quam nobis ipsis fidem ut habeas volumus, et iterum Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

353.

Romae, 1 . X . 1620

Palatino Vladislaviensi iidem Rutheni catholici commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 399.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Inowladislaviensi.

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Nisi comperta nobis esset Nobilitatis Tuae egregia pietas niteremur uti-

⁹²) Stanislaus II Kiszka (1619-1626).

que pluribus verbis nunc tibi commendare catholicae religionis in proximis istius Regni Comitiis. Verum non oportet Nos in ea tibi persuadenda labore sumere ad quam te maxime propensum esse non ignoramus. Satis erit si qualis antea pro Dei gloria atque ipsius Ecclesiae exaltatione tua christiana virtus semper enituit, talem se adversus catholicae fidei hostes in his Comitiis ostendat. Sic enim tuae apud homines bonos existimationi optime consules, et quod caput est, magnam apud Deum gratiam inibis; praesertim si Catholicis ruthenis favere, eorumque commoda curare sedulo studueris. Hos Nobilitati Tuae omni affectu commendamus. Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, pluribus tecum ager, cui cumultam de omnibus fidem adhibebis. Et Nos iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem permanenter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

354.

Romae, I . X . 1620

Palatinus Masoviae hortatur, ut Ruthenos catholicos in Comitiis Regni adiuvet.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 400.

Dilecto filio, nobili viro, Thomae, Palatino Masoviae⁹³.

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Praeclare sentimus de Tua Nobilitate in his praesertim rebus quae intersunt catholicae religioni, cuius conservandae atque etiam promovendae maxime studiosum te semper ostendisti, sicut testantur ea, quae in praeteritis Regni Poloniae Comitiis pro Christi causa strenue, ac magna tua cum laude egisti. Quo fit, ut gravis sollicitudo, qua ex proxime futuris Comitiis afficimur non mediocriter fiducia tuae virtutis sublevatur. Omnia enim illa de Tua Nobilitate tanquam de vero Ecclesiae filio expectamus, quae ad Dei gloriam augendam, et ad ipsius hostes deprimendos pertinere existimatis. In primis vero speramus tua diligentia opera Catholicos ruthenos, licet contranitentibus adversariis, quaecumque utilia, et aequa facile consecuturos. Certe si quid nostrae in te sincerae, ac paternae benevolentiae unquam retribuere cupies, pro comperto habeas id nobis fore apprime gratum. Sed de his omnibus plura accipies a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, cui eandem fidem, ut habeas petimus, quam nobis ipsis haberemus. Quod reliquum est Nobilitati Tuae a Domino secunda omnia precamur, et iterum Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

⁹³) Thomas de Lezenice Gostomski.

355.

Romae, I . X . 1620

*Palatino Culmensi.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 401.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Palatino Culmensi.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Pro comperto quidem habemus frustra operam ponи in suadendo Nobilitati Tuae, ut ubi adest occasio, debitum defensionis obsequium catholicae religioni praestare velis, cum id tua ipsius pietas facile a te sit impetratura. Verum, quia ista Comitia, quae prope adsunt, Regni Poloniae, sollicitos Nos valde habent ob interventum eorum, qui Ecclesiae Dei adversantes, ei, quacumque ratione possunt, nocere contendunt, ideo pro nostri muneris officio hortamur in Domino Nobilitatem Tuam, ut quem divini honoris zelum in superioribus Comitiis assidue ostendisti, eum etiam in proxime futuris ad Dei, et Ecclesiae sanctae gloriam forti animo exhibeas. Id sane de tua praestanti virtute, nobilitate, et auctoritate confidimus, quemadmodum fusius tibi significabit Venerabilis frater Episcopus S.ti Angeli, Nuntius noster, a quo etiam cognosces quanto desiderio teneamur, ut in istis Comitiis Catholiconrum ruthenorum commodis quantum suo studio effici poterit, sedulo consulatur. Ipsi igitur nostro Nuntio in omnibus plenam fidem praestabis, et Nos iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

356.

Romae, I . X . 1620

*Leoni, Cancellario Lithuaniae, commendantur res Ecclesiae Catholicae, praesertim vero Ruthenorum in futuris Comitiis Regni defendendae.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 403.

Dilecto filio, nobili viro, Leoni, Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

A Venerabili fratre Francisco, Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, Nobilitas Tua intelliget quanto paternae benevolentiae affectu te prosequamur, et quantum pietati tuae, ac perspecto zelo confidamus in his praesertim proximis Regni Comitiis, in quibus verendum non est ne talia exempla tuae Christianae virtutis non praebeas, qualia multa superioribus temporibus magna tua cum gloria praebuisti. Ut ea ratione cognoscant catholicae religionis adversarii Ecclesiam Dei in istis partibus filios nobiles, ac strenuos habere, qui carissimae ac sanctissimae sua matri iniurias illatas fortiter ulcisci, eiusque honorem tueri, atque etiam augere valeant. Evidem haec omnia de Tua

Nobilitate firme nobis pollicemur. Inter cætera vero in Catholicis ruthenis protegendis pietatem tuam elucere cupimus. Pergratam nobis rem facies, si illis re ipsa ostenderis nostram commendationem non exigui apud te pondēris fuisse. Sed omnia copiosius ab ipso Nuntio accipies, cuius verbis cumultam fidem praestabis. Et Nos Nobilitati Tuae bonorum omnium incrementum a Domino precantes Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

357.

Romae, 1 . X . 1620

Duci Generali Exercituum Regni et Poloniae Cancellario res ecclesiasticae in Comitiis tractandae commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 406.

Dilecto filio, nobili viro, Stanislao, Regni Poloniae Magno
Cancellario, et Exercituum Duci generali⁹⁴.

PAULUS PP. V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Regimen universalis Christi Ecclesiae, cui Nos divina providentia, licet immineritos, voluit praeesse, nihil impensius, neque iustius exigit a nobis, quam ut vigilanti studio, assiduoque labore catholicae religionis incolumitati provideamus. Quod cum semper facere debemus, tum praesertim eo tempore, quo istius Regni Comitia habentur. Siquidem novimus in his, humani generis hoste satagente, aliquid semper detrimenti ipsi religioni parari solere. Cum itaque in proximo nunc sint huismodi Comitia, nostrae sollicitudini, qua ratione possumus satisfacere volentes nobiles istius Regni viros, generosos Ecclesiae Dei filios, de quibus maxime confidimus ad strenue resistendum diaboli artibus invitamus. Id vero nunc agimus cum Tua Nobilitate quamquam officio minime necessario, cum tuam praestantem pietatem sollicite ad hoc te compellere non ignoremus. Omnia certe praeclara de tua egregia virtute, et catholico zelo, ei qua emines dignitati, et auctoritati maxime consentaneo, Ecclesia Dei sibi pollicetur, quemadmodum copiosius accipies a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, qui etiam nostro nomine tibi commendabit Catholicos ruthenos. Eos nunc ut valde diligimus, ita tuae pietati maxime commendatos esse desideramus. Ipsius Nuntii verbis cumulatam fidem Nobilitas Tua adhibebit, cui Nos caelestium bonorum assiduum incrementum precantes iterum Apostolica benedictione ex animo benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

⁹⁴⁾ Stanislaus Zolkiewski, Cancellarius Regni Poloniae ab an. 1618. Obiit in pugna apud Cecoram die 7 Octobris 1620.

358.

Romae, I . X . 1620

Thesaurario Regni Poloniae idem commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 107.

Dilecto filio, nobili viro, Regni Poloniae Thesaurario.

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Paterna nostra erga Nobilitatem Tuam benevolentia est in causa, ut grata sit nobis omnis, quae datur occasio Nobilitatem Tuam per literas salutandi, eique Apostolicam benedictionem impariendi. Hanc sane occasionem tribuunt nobis hoc tempore, quae prope adsunt Regni Poloniae Comitia. Cum enim verendum sit ne in his catholica religio (quemadmodum evenire consuevit) a suis adversariis conspiratione facta, undique impugnetur, nostri muneric officium esse duximus Nobilitatem Tuam his literis hortari, ut qua iam pridem solitus es pietate, et divini honoris zelo Christi causam tuendam suscipias, atque hostium adversus illam impetus totis viribus comprimere studeas. Id sane te cumulate praestiturum et tua constans virtus pollicetur, et ea quae hactenus in simili occasione egisti, magnopere confirmant. Id certe si effeceris, tuae apud probos omnes laudi, et apud Deum gratiae non modicum cumulum adiicies; praesertim vero si in istis Comitiis Catholici rutheni tuo patrocinio iuvabuntur. Quod quidem ut maxime optimus, ita a te efficaciter petimus. Reliqua accipies a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, cuius verbis eandem, quam nobis ipsis fidem ut habeas volumus. Et Nobilitati Tuae coelestium donorum incrementum, ac prospera omnia praecantes iterum Apostolica benedictione peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

359.

Romae, I . X . 1620

Nicolao, Palatino Cracoviensi, commendantur Rutheni catholici.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 408.

Dilecto filio, nobili viro, Nicolao Palatino Cracoviensi⁹⁵.

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Timenda procul dubio sunt Haereticorum consilia in istius Regni Comitiis, quae nihil aequa, ac perniciem catholicae religionis spectare videntur. Sed certe magis sperandum est de pietate, ac virtute Catholicorum no-

⁹⁵) Nicolaus Zebrzydowski (+ 1620).

bilium, qui huiusmodi Comitiis interesse solent. Horum enim pietati, divina adiutrice gratia, cedet semper impietas, et virtus veritatis de mendacii imbecillitate triumphabit. Quod quidem in superioribus Comitiis expertam esse non semel Nobilitatem Tuam persuasum habemus. Quamobrem non est quod dubitemus, quin si eo, quo praeditus es divini honoris, et catholicae religionis zelo proxima Comitia adieris, una cum caeteris Catholicis adversariorum fraudes faciliter negotio eludas, eorumque perniciosa consilia dissipes. Quod ut vobis feliciter eveniat Dominum assidue orare non deerimus. Caeterum illud efficaciter a Tua Nobilitate petimus, ut in his Comitiis Catholicorum ruthe-norum rationibus omni studio provideas. Hos enim paterna caritate in Domino complectimur, et nostra commendatione, ac tua opera valde dignos iudicamus. Reliqua a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, uberius intelliges, cui eadem quam nobis ipsis fidem praestabis. Et nos iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

360.

Romae, I . X . 1620

Litterae ononymae pro aliis Senatoribus Regni in favorem Ruthenorum catholicorum.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 409.

Alia quatuor eiusdem tenoris pro diversis Nobilibus (*in margine*).

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Venerabilis frater Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, reddet Nobilitati Tuam has litteras indices eius paternae benevolentiae, qua te in visceribus Christi complectimur, ac simul sollicitudinis, in qua assidue sumus ex proximis Regni Comitiis, in quibus magnopere veremur ne adversarii catholicae fidei more suo aliquid novi contra illam moliantur. Quamobrem urget Nos pastoralis cura, quam Divina disponente Providentia universae Christi Ecclesiae gerimus, ut nobiles istius Regni viros, zelo Dei praestantes, moneamus, atque in Domino hortemur ad Christi causam omni conatu defendendam, hostiumque ausus viriliter coercendos. Quod licet non dubitamus ipsis pro sua egregia pietate, ac virtute sponte cumulate praestituros, et in primis Nobilitatem Tuam, voluimus tamen hoc literarum officio muneri nostro, ac simul desiderio satisfacere. Reliqua uberius ipse Nuntius, cui plenam fidem adhiberi volumus, cum Tua Nobilitate nostro nomine aget, praesertim de Catholicis ruthenis tuo patrocinio favendis, eorumque commodis diligenter procurandis. Quod ut valde cupimus, ita si id praestabis, magna Nos voluptate afficies. Es iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

361.

Romae, 1 . X . 1620

Vicecancellario Lithuaniae, idem.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 410.

Dilecto filio, nobili viro, Hieronimo, Vicecancellario Lithuaniae.

(*In margine:* Alia 4 eiusdem tenoris pro diversis Nobilibus).

PAULUS PAPA V-s. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Iniuriam faceret Nobilitatis Tuae pietati, et moto in catholicam religionem studio, quis ad ea quae ipsius religionis sunt te incitare niteretur. Quod quidem est in causa ne multis in praesentia te hortamur, ut in proximis istius Regni Comitiis orthodoxae fidei contra eius adversarios praesto esse velis. Confidimus enim te quo solitus es zelo, et christiana virtute, quae ad Dei, et ipsius Ecclesiae gloriam pertinebunt, absque alicuius impulsu tua sponte fideliter, fortiterque executurum. Caeterum tuae pietatis illud non postremum officium in his Comitiis erit sedulo curare ne Catholici rutheni, qui reiectis erroribus ad ovile Christi et ad Ecclesiae Romanae unionem accesserunt, aliquo incommodo ab adversariis afficiantur. Id sane nobis erit maxime gratum, quemadmodum fusi sibi significabit Venerabilis frater Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, cui de omnibus quae tecum aget eandem quam nobis ipsis fidem adhiberi volumus. Et Nobilitati Tuae coelestis gratiae incrementum a Domino precantes, iterum Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

362.

Romae, 1 . X . 1620

Palatino Ravensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 415.

Dilecto filio, nobili viro, Stanislao, Palatino Ravensi.

PAULUS PAPA QUINTUS. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Nobilitatis Tuae perspectam pietatem, et zelum sibi advocat catholica religio in his, quae propediem erunt istius Regni Comitiis, et quidem valde merito. Si enim impietas ibi suos pertinaces fautores, ac propugnatores habebit, nimirum Ecclesiae Dei viros hostes haereticos, quis Catholicorum ibidem aderit, qui non summo animi ardore accurat ad suam religionem, hoc est ad divinam veritatem fortiter defendendam, hostiumque audaciam peni-

tus comprimentam. Id sane de Tua Nobilitate persuasum habemus, quemadmodum tua Christiana virtus, dignitas, et auctoritas nobis certo pollicentur. Nec secus quidem de reliquis etiam catholicis Nobilibus sperare Nos convenit, ut ea ratione Ecclesia Christi iure gloriari possit talibus abundare se filiis in istis partibus. Caeterum de Tua Nobilitate illud imprimis speramus (quod et impense cupimus, et est maxime aequum), nimirum res Catholicorum ruthenorum tuo beneficio quantum fieri potest promoveantur, eorumque pietas ab adversariorum iniuriis libera reddatur. Evidem te id sedulo praestitis magna cum animi voluptate intelligemus. Plura Nobilitas Tua a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, accipiet, cui plenam de omnibus fidem ut habeas petimus. Et iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem ex animo impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

363.

Romae, I . X . 1620

Joanni, Palatino Russiae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 416.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Russiae.

PAULUS PAPA V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Ex his quae Venerabilis frater Episcopus S. Angeli, Nuntius noster, exponet Nobilitati Tuae, facile cognosces, quam sollicito animo simus, ne proxima Regni Poloniae Comitia catholicae religionis detimento existant. Non enim ignoramus quam hostili odio Haereticci in his Comitiis Ecclesiam Dei persecuti soleant. Quo fit, ut nostri pastoralis officii memores, et divini honoris zelo permoti cogamur ingenuos Ecclesiae filios, nobiles istius Regni viros, omni affectu hortari, ut hostium conatibus qua semper consueverunt pietate, ac virtute nunc etiam obsistere velint, atque ita nostrae de ipsorum praestanti virtute non exiguae expectationi cumulate respondeant. Quod quidem de Tua Nobilitate certo nobis pollicemur. Itaque pluribus ea de re in praesenti tibi instare omnio supervacaneum esset. Illud unum, quod nobis magnopere cordi est, a te nominatim contendimus, ut nimirum Catholicis ruthenis omni officio suffragari velis. Rem sane facies tuae pietati consentaneam, et nobis admodum gratam. Copiosius omnia accipies ab ipso Nuntio nostro, cui plenam fidem adhibebis. Et Nos iterum Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

364.

Romae, 1 . X . 1620

*Palatino Posnaniae eadem res enixe inculcatur.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 417.Dilecto filio, nobili viro, Joanni, Palatino Posnaniae⁹⁶.

PAULUS PP. V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Is, qui perpetuo viget in Tua Nobilitate, atque in aliis non paucis istius Regni nobilibus catholicae religionis zelus, merito inducit Nos ad bene sperandum de proximis vestris Comitiis. Licet enim non dubitamus quin in illis hostes Ecclesiae Dei pro ipsorum consuetudine omnia tentent, ut catholicae fidei detrimentum quodcumque afferant, ea tamen est vestra pietas, ea virtus, quemadmodum praeterita etiam Comitia testantur, ut semper vestri similes nihil omnino vos acturos nobis polliceamur, nisi quod vestrae professioni sit maxime conveniens, et Christi causae defendendae accommodatum. Supervacaneum itaque nunc esset id Nos velle Nobilitati Tuae pluribus persuadere, ad quod tua sponte magnopere te incitatum novimus. Caeterum illud praetermittere non possumus, quin a Tua Nobilitate contendamus (quod quidem valde cupimus), ut rebus Catholicorum ruthenorum omni studio favreas. Equidem cum voluptate intelligimus nostram hanc commendationem ipsis Ruthenis usui fuisse. Venerabilis frater Episcopus Sancti Angeli, Nuntius noster, pluribus cum Tua Nobilitate ager, cuius verbis plenam in omnibus fidem adhibebis. Et Nos Nobilitati Tuae foelicia omnia a Domino precantes interum Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam, prima Octobris 1620, Anno 16.

365.

Romae, 1 . X . 1620

*Magno Poloniae Marescallo idem.*ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 418.Dilecto filio, nobili viro, Nicolao, Magno Regni Poloniae Marescalco⁹⁷.

PAULUS PAPA V-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nunquam opportunior, vel utilior Ecclesiae Christi egregia Nobilitatis Tuae pietas et catholicae religionis studium existit, quam cum istius Regni Comitia habentur, ubi ut usus docuit, Haereticorum opera catholica fides pe-

⁹⁶) Poannes Ostrorog.⁹⁷) Nicolaus Wolski, qui ab an. 1599 munus obibat Marescalli Palatii regalis, anno vero 1615 nominatus est Magnus Regni Poloniae Marescallus. Obiit anno 1630. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 27, p. 227-8.

riclitari solet. Quae itaque consuetas artes expertura esse, ita consuetam tuam pietatem, ac virtutem in Christi merito requirunt. Nec dubium esse potest, quin ea, qua praeditus es constantia, et alacritas in conficiendis iis, quae ad Dei gloriam pertinent, sibi deesse possit hoc tempore in tam paeclaris et necessaria occasione. Nos equidem nihil de Tua Nobilitate, nisi tuo divini honoris zelo, dignitate, ac nobilitate maxime dignum expectamus. Illud vero in primis cupimus (quod et a te efficaciter contendimus), ut rationibus Catholicorum ruthenorum quantum tua auctoritate poteris (poteris autem sine dubio plurimum) omni studio prospicias. Quam nobis gratum id futurum sit, intelliges a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli Nuntio nostro, cuius verbis eandem quam nobis ipsis fidem praestabis. Et Nos Nobilitati Tuae prospera omnia precantes iterum Apostolica benedictione peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, prima Octobris 1620, Anno 16.

366.

Romae. I . X . 1620

Vladislao, Poloniae Regni Principi, Ecclesiae Catholicae negotia, imprimis vero Catholicorum ruthenorum, commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 419.

Dilecto filio nostro Vladislao, Poloniae, et Suetiae Principi.

PAULUS PP. V-s. Dilecte fili noster, salutem etc.

Cum in Regia Parentum tuorum Domo inter continua, et maxime illustria pietatis caeterarumque virtutum exempla natus sis, et educatus, merito fit, ut ad paeclaris omnia institutus, ad quae natura etiam ipsa proclivis eras, excellentium virtutum, pietatis praesertim, et zeli divinae gloriae specimen ubique edere sis paratus. Quamobrem nullo negotio a te nunc impetrabit Ecclesia Dei, ut in Generalibus Regni Poloniae Comitiis, quae propediem futura dicuntur, tanquam strenuus Christi miles quantum viribus contendere poteris se ab inimicorum insidiis, atque oppressionibus liberare velis. Perniciosa quidem (ut saepius docuit experientia) in his Comitiis meditari solent adversarii contra catholicam religionem. Sed tu, divina adiuvante gratia, vinces in bono malum. Tua enim auctoritas regiae auctoritati proxima, et virtus ei, qua emines dignitati consentanea non nisi maxime utilia, atque honorificentissima Christianae Reipublicae pollicentur. Id certe Nos, qui te paterno omnino effectu in intimo corde assidue gerimus, sicut valde cupimus, ita de te non dubie speramus. Quod vero non modicam curae nostrae paterni sibi vindicat in huiusmodi Comitiis, est negotium Catholicorum ruthenorum. Hi ut tua protectione nihil detimenti ab adversariis patientur, a te magnopere petimus. Reliqua fusius intelliges a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, cuius verbis eandem quam nobis ipsis fidem praestabis. Dominus te, fili, omni gratia repleat, et Nos iterum tibi Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, etc., Anno 16.

367.

Romae, I . X . 1620

Poloniae Reginae, Constantiae, commendatur res ecclesiasticae in Comitiis Regni defendendae.

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 424.

Carissimae in Christo filiae nostrae Constantiae,
Poloniae, et Sueciae Reginae Illustri.

PAULUS PP. V-s. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc.

Ab eximia Maiestatis Tuae pietate, et regia dignitate consuetum auxilium requirit catholica religio in proximis Regni Poloniae Comitiis, in quibus cum multi adesse soleant, qui nullam ei nocendi rationem praetermittunt, merito carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis, Coniugis tui, et Maiestatis Tuae efficax in primis opera ad ipsam religionem ab hostibus defendendam imploratur. Nam quantum momenti positum sit in regia tua auctoritate ad id praestandum, nemo est, qui ignoret; quantum vero studii ac vigilantiae in huiusmodi negotio Maiestas Tua sit collocatura ex perpetuo tuo divini honoris zelo facile coniicere licet. Praeclara certe tibi hoc tempore sese offert occasio de Christi Ecclesia optime promerendi, et simul egregiam apud Deum laudem, et gratiam consequendi, praesertim si tua gratia foven-
dos susceperis Ruthenos catholicos, ne Christi oves, et lucis filii a filiis tene-
brarum in istis Comitiis ullo incommodo afficiantur. Quod quidem nobis ma-
gnopere cordi est, sicut pluribus Maiestas Tua accipiet a Venerabili fratre
Episcopo Sancti Angeli, Nuntio nostro, cui in omnibus cumulatam fidem
praestabis. Quod reliquum est Maiestati Tuae a Domino coelestium bonorum
cumulum et secunda omnia precamur, et iterum Apostolica nostra benedic-
tione toto cum animi affectu benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.

368.

Romae, I . X . 1620

*Regi Poloniae negotia Ecclesiae Catholicae, et in specie Ruthenorum catho-
licorum, in Comitiis Regni defendenda, commendatur.*

ASV, *Armarium* 45, vol. 14, fol. 425.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

PAULUS PP. V-s. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Optime novimus egregiae Maiestatis Tuae pietati nihil omnino potius esse, quam catholicae religionis pro viribus tuendae atque amplificandae stu-
dium, ut supervacaneum sit illud tibi persuadere velle, ad quod tua sponte

maxime te incitatum esse appareat. Cogit Nos tamen ea sollicitudo, quam in Beati Petri Cathedra, licet meritis impares, collocati, universae Christi Ecclesiae debemus, ut negotium fidei, hoc est Christi causam in proximis istius amplissimi Regni Comitiis Maiestati Tuae qua possumus efficacia de more commendemus. Exploratum iam diu est non paucos ad huiusmodi Comitia convenire, qui omnibus viribus contendant catholicam religionem vel funditus convellere, vel saltem quam maxime deprimere. Sed gaudendum nobis est quod infinita Dei providentia iam pridem istorum ausibus opposuerit regiam Maiestatis tuae auctoritatem, qua nimurum facile possis, et ardenter zelum, quo prompte velis ipsius religionis dignitatem irritis hostium conatus illaesam conservare, atque etiam in dies magis promovere. Quod cum hactenus exima tua cum gloria feliciter praestiteris, non licet dubitare quin in posterum pari studio, occasione praesertim instantium Comitiorum, sis cumulate praestiturus. Caeterum nominatim Maiestati Tuae commendare volumus Catholicos ruthenos, quos paterna charitate in visceribus Christi complectimur. Pergratum nobis erit et ea, qua emines pietate, ac virtute maxime dignum, si iste Christi grex consueti tui benigni patrocinii fructum in his Comitiis se percepisse cognoverit. Reliqua a Venerabili fratre Episcopo S. Angeli, Nuntio nostro, Maiestas Tua accipies, cui eandem quam nobis ipsis fidem ut adhibeas petimus. Et Maiestati Tuae foelicia omnia precantes, iterum ex intimo cordis affectu Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam, etc., prima Octobris 1620, Anno 16.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

GREGORIUS PP. XV

(9.III.1621 — 8.VII.1623)

b o n o n i e n s i s

(Alexander Ludovisi)

D O C U M E N T A G R E G O R I I P P. X V

369.

Romae, 23 . III . 1622

Regi Sigismundo III Ecclesia Unita protegenda commendatur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 20, fol. 37v-38r, nr. 43
THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 366-7 nr. 298.

Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.
Detestatur Ruthenorum Schisma, et crudelitatem, Catholicosque
ab eis oppugnatos regali patrocinio armari postulat.

GREGORIUS PP. XV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Russia Schismaticorum Graecorum portenta nutriens, et venerata varia-
rum haeresum nostra progignens, etsi Apostolicae authoritatis, Deique omni-
potentis indignationem commerita saepius est, nostrae tamen charitatis vis-
cera fleetit ad misericordiam. Neque enim cor lapideum nobis est, ut tot
filios, quamvis desertores, in aeternae mortis voraginem ibi quotidie cor-
ruentes siccis oculis prospicere possimus. Quare pereuntium animarum gemi-
tus, et rebacchantium daemonum clamores dum tanta locorum longinquitate
disiuncti audimus, non sane possumus tanquam sopiti gubernatores furente
oceano dormire, neque dicere: Verberarentur nos, sed non doluimus, traxe-
runt nos, sed plane non sensimus. At enim quamvis ea Nos Dominici gregis
iactura supra quam dici potest excruciet, non ideo tamen adhibemus in consi-
lium cogitationum nostrarum desperationem. Deo enim servimus, qui non
solum errantes in viam salutis reducere, sed tumulos quoque aperire potest,
et de sepulchris educere populum suum, et inducere illum in terram Israel.
Tum etiam Catholicam Ecclesiam non mediocriter Maiestatis Tuae pietas
solatur, cui non minorem eloquium Domini, quam opima profligatorum hos-
tium spolia laetitiam pariunt. Cum enim ea Provincia ad poloni Regis ditio-
nem pertineat, speramus Maiestatis Tuae autoritate haud difficulter ibi
aditum patefieri posse B. Petro sacrum imperium suum in eas Regiones pro-
pagare cupienti. Neque enim desunt in iis haeresum syrtibus aliquid tanti
naufragii tabulae, quae nostros, et Coelestium (f. 38r) oculos delectent, reli-
quia scilicet Catholicorum, quorum a dextris Dominus est, ne de sententia
dimoveantur, quibusque potior est animarum salus, quam divitiarum gloria.

In his nomen suum prophitetur Venerabilis frater Josephus, Archie-
piscopus Chioviensis,⁹⁸ eiusque dicto audientes Rutheni Monachi, qui Sancto

⁹⁸ Agitur de Metropolita Kioviensi Josepho Velamin Rutskyj (1613-1637). Litterae
hae datae fuerunt occasione persecutionum, quas passi sunt aliqui sacerdotes Basiliani a

Basilio nomen dedurunt. Scimus quot periculis assidue in Russia ii conflictentur. Sed in medio umbrae mortis ambulantes, mala tamen non timent, quippe cum quibus Dominus exercituum est. Quin vitam pro divini cultus incremento, et Apostolicae Sedis authoritate devoentes, sibi amplissimas in Orbe terrarum dignitates tum videntur assequi cum digni habentur, qui contumeliam pro Jesu Christo patientur. Tanta autem vis charitatis est, ut non sibi unis consulant, sed gladium illum ancipitem, quod est verbum Domini distingentes, furentium luporum rabiem non formidant, ut ex eorum faucibus Christi oviculas eripiant, easque ad catholici gregis caulas reducant.

Iam pridem novimus, quo christiane pietatis studio curet Maiestas Tua negotium id, et regio nomini gloriosum et animarum saluti necessarium, nempe ut aliquando Rutheni graecam impietatem abnegantes, sacramentum dicant Romanae Ecclesiae, apud quam est fons vitae, cuiusque lumine gentium tenebrae divinitus illustrantur. Proin laudare potius, quam hortari debemus Maiestatem Tuam. Sed enim Schismatici, vetus Reipubblicae Christiane pestis, et opprobrium generis humani, implacabili odio catholicum nomen prosequentes, arcus suos semper parare dicuntur, ut saggittent in occultis immaculatos. Ut igitur aliquod Ruthenis catholicis beneficium Pontificatus noster afferat, his litteris Maiestatem Tuam rogamus, ut regali patrocinio magis, magisque communias Venerabilem fratrem Archiepiscopum Chioviensem, Ruthenosque Monachos Sancti Basilii, velisque ea in re praecipuam enitere charitatem regiae autoritatis tuae, quam religionis praesidium, et bonorum perfugium in septentrione esse Romana Ecclesia arbitratur. Regnorum suorum fundamenta Apostolicae ditionis propugnatione firmabit, ac Pontificiam sibi benevolentiam obligans, singularem a Deo, Coelitibusque omnibus gratiam inibit Maiestas Tua, cui Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die 28 Martii MDCXXII, Pont. etc, secundo.

370.

Romae, 2 . IV . 1622

Metropolitam Josephum Rutskyj certiorem facit Pontifex de obedientia sibi per Procuratores praestita.

ASV, *Armarium* 45, vol. 20, fol. 39v, nr. 45.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 367-8, nr. 299b.

Venerabili fratri Josepho, Archiepiscopo Chioviensi.
Constituerat duos Monachos procuratores ad visitanda Apostolorum limina, quos Sanctitas Sua illuc redeuntes commendat.

Metropolita Kioviam missi, ut penes ecclesiam S. Sophiae residerent. Cfr. hac de re s.d. « *Attestationem* » Metropolitae, in qua narrat etiam de his persecutionibus. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S Josaphat - Hieromartyr*, vol. I, p. 288-289. Item epistulam Metropolitae de data 3-XI-1622.

GRGEGORIUS PP. XVs. Venerabilis frater, salutem etc.

Interest Catholicae Religionis Fraternitatem Tuam ex ista statione in praesentia non decadere; gregis enim tibi concredi pericula non sinunt Pastorem suum in longinquas regiones abire. Quare libenter passi sumus, te ad sacra Apostolorum limina de more visitanda accessisse per procuratores tuos, dilectos filios Nicephorum,⁹⁹ Praesbyterum, et Cyprianum,¹⁰⁰ Diaconum, religiosos Monachos Ordinis S. Basillii. Eos cum satis amplio virtutum commeatu in Russiam redeuntes Apostolica benevolentia prosequimur, ac testes esse volumus Fraternitati Tuae, quantum Nos Ruthenae Ecclesiae pericula sollicitent. Sed tamen Deo totius consolationis gratias agimus, qui afflictæ in ipsis provinciis orthodoxæ religioni satis firmum praesidium constituit in pietate, atque constantia Fraternitatis Tuae, cui Apostolicam benedictionem peramanter impartimur, caelestia tibi auxilia assiduis precibus comparantes.

Datum ut supra.

371.

Romae, 2 . IV . 1622

Hortatur Archiepiscopus Kiovensis, Josephus Rutskyj, ut in adversis et persecutionibus perseveraret.

ASV, *Armarium* 45, vol. 20, fol. 38v-39v, nr. 44.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 367-8, nr. 299b.

Venerabili fratri Josepho, Archiepiscopo Chioviensi.

Idem argumentum. Ruthenorum impietatem, ac saevitiam lamentatur, atque Archiepiscopum ad religionem constanter tuendam Pontificiis monitis inflammatur.

GREGORIUS PP. XVs. Venerabilis frater, salutem etc.

Quod nobis ad summum Apostolatus fastigium avectis debitae obedientiae obsequium defert Fraternitas Tua proprio, et sex Episcoporum ruthenorum nomine, id libenter equidem excipimus. Sed enimvero Pontificatus nostri memoriam cupimus in ipsis Regionibus insigni publicae tranquillitatis accessione, et divini cultus incremento commendari. Ne existimet Fraternitas Tua unius Urbis moenibus animum nostrum concludi, sollicitae charitatis stimulis assidue percussum. Neque eo solummodo cogitationes nostraे advolant, ubi Nos Christianae Reipublicae foelicitas oblectat, sed in Russiam, finitimasque provincias frequentissime divertimus paternae sollicitudinis excubiis cum gregem diligentius lustrantes, quem gravioribus odiis concilium malignantium obsedit. Scimus quibus insidiis, ac miseriis non ita pridem conflictata fuerit vita Fraternitatis Tuae. Sed nobis earum calamitatum cogitatione moerentibus solatium aliquod affert pietatis tuae constantia, animus-

⁹⁹ Nicephorus Zareschi. De eo sic habetur in Chronicis Collegii Graecorum: « Ruteno. Si parti teologo, e hora con mirabil sodisfazione s'era (tornato) al suo monastero con opinione di santità » (fol. 48-43, nr. 241).

¹⁰⁰ Cyprianus Rudnischki, prout habetur in adnotationibus Collegii Graecorum. « Ruteno, Monaco di S. Basilio, si parti dottore, havendo insegnato un anno Grammatica greca in Collegio; era di bellissimo ingegno » (fol. 48-43, nr. 242).

que ille tunc lucis contemptor qui se opesque omnes pro Catholicae Religionis dignitate devovit. Gaude Venerabilis frater tuo isto tam excellenti bono, fruere tam praeclaro divinae benevolentiae argumento, quae te dignum existimavit, qui contumeliam pro Jesu Christo patereris. Te enim ducem nullis periculis deterritum in ea statione locavit, ubi perpetuae hostium insidiae praebeant fortitudini tuae materiam triumphorum. Pateris quidem iniuste quae Schismatici contra salutem tuam quotidie moluntur. Neque enim solumento venenum aspidum in labiis eorum delitescit, sed arcum sacrilegis manibus paraverunt, ut gladiis, ac vi (f 39r) earum impietatum portenta defendant, quae disputationibus, ac veritate tueri non possunt. Verum ut B. Petri, cuius vices gerimus, verbis utamur: quae tandem gratia foret, si peccantes, et colaphizati suffereretis? sed si benefacientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum. Eiusmodi cogitatione Fraternitas Tua, caeterique sex Episcopi rutheni armentur atque assidue mementote, quae vos aeternae beatitudinis praemia maneant, stipendia exercituum Deo constanter facientes. Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae, aliisque Episcopis peramanter impartimur, ac Patrem misericordiarum oramus accuratissime, ut eximat frameam suam e manibus inimicorum suorum, dilectosque filios Ruthenos scuto bonae voluntatis coronatos, coelestibus beneficiis ornet, Schismaticos vero sub Romanae Ecclesiae ditionem redigat, atque inferorum tyranorum servitio liberatos in libertatem asserat filiorum Dei. Coeterum pontificium vobis patrocinium nunquam deerit, quibus ut regia authoritate charissimus filius noster Poloniae Rex diligentissime suffragetur, ab eo Apostolicis litteris nuper petiimus, ut hoc saltem charitatis nostrae argumento Fraternitatem Tuam in praesentia consolemur.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die 2 Aprilis MDCXXII, Pontificatus Nostri Anno secundo.

372.

Romae, 28 . I . 1623

Regi Metropolitam Kiovensem et Ruthenos catholicos Gergorius PP. XV protegendos commendat.

ASV, *Armarium* 45, vol. 20, fol. 237rv, nr. 349.

THEINER A., *Vez. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 368-9, nr. 301a.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Suetiae Regi Illustri.
Commendat Ruthenos catholicos.

GREGORIUS PP. XV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Genimina viperarum in Russia non dilitescere modo, sed crudeliter etiam saevire moerentes accipimus. Quare etsi ibi de Catholica Religione desperare non debemus freti exercituum Deo, qui dentes peccatorum conteret in ore ipsorum, tamen non possumus iniquissiman Ruthenorum catholicorum conditionem non lamentari. Intelleximus quo Cosaccorum furentium sacrilega temeritas processit, quae barbara inhumanitas vestigia in templorum direptione, et caede sacerdotum reliquerit. Nunc autem tantam inesse impie-tati audaciam accipimus, ut perfidiam saevitiamque suam authoritate Regia

armare conentur, ac se iure facere posse contendant, quod per summum nefas machinatur, facientes fortitudinem suam legem iniustitiae.

Scimus quidem quam constanter Maiestas Tua Ruthenae Unionis causam propugnaverit, quantumque sit catholicae fidei in tua pietate praesidium, gratiasque tibi ob id agendas potius esse, quam cohortationes scribendas a Vicario Dei omnipotentis censemus. Tamen quo toti Septentrioni exploratum sit, Ruthenum illum gregem, quem ex Schismaticorum luporum fauibus ipse Pastor bonus eripuit, pastorali nostra sollicitudine custodiri, et Pontificio patrocinio protegi, hortamur Maiestatem Tuam, ut, quoad fieri poterit, temerarios impiorum conatus infringas regia potestate, et christiana constantia concularis leones, et dracones. Nil certe in iis regionibus rutheni Praesules uniti desperabunt duce, et patrono tanto Rege, cui coniurata nuper Tartarorum (f 237v) Turcharumque colluvies exercitatio fortitudinis fuit, et materia triumphorum.

Tuam vero opem praecipue implorat Venerabilis frater Josephus, Archiepiscopus Chioviensis, quem certe si pro ruthenarum ovium incolumitate in medio luporum excubantem favore tuo armaveris, aggerem salutis, et fortitudinis turrim in iis provinciis extruere videberis, cuius praesidio se a Schismaticorum rabie Catholici defendant. Quod cum certissime speramus a Maiestate Tua, non desistemus caelestia tibi auxilia accuratissimis precibus parare.

Negotium hoc gravissimum Venerabilis frater Joannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius Apostolicus,¹⁰¹ uberius nostro nomine tecum disseret. Ei ergo fidem habere poterit Maiestas Tua, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, etc., die XXVIII Januarii MDCXXIII, Pontificatus Nostri Anno secundo.

373.

Romae, 28 . I . 1623

Archiepiscopo Gnesnensi Rutheni catholici commendantur.

ASV, *Armarium* 45, vol. 20 fol. 237v-238r, nr. 350.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 369, nr. 301b.

Venerabili fratri, Archiepiscopo Gnesnensi¹⁰².

Idem argumentum.

GREGORIUS PP. XV. Venerabilis frater, salutem etc.

Sacerdotum caede, et templorum direptionibus accepimus non ita pridem in Russia Schismaticorum Cosacorum nobilitatam esse crudelitatem, qui non solum armis et terrore salutaria Ruthenae Unionis vincula dirimere, sed disceptationibus etiam et iudicio dissuere cupiunt. Scimus poloni Regis pietatem clypeum religionis, et Catholicorum propugnaculum semper fore. Neque Romanam Ecclesiam latent illa regalis constantiae trophyea, quae certe (f 328) in Septentrione clarissima illa erexit, dum nullis periculorum minis exteritus nihil se Schismaticis auxilia pollicentibus concessurum esse nuper professus est, quod Dei gloriam, et fidei dignitatem imminuat. Tanto Principi

¹⁰¹ Joannes Baptista Lancellotti (1622-1627).

¹⁰² Laurentius Gembicki (1616-1624).

praclare semper de christiano nomine merenti cupimus adesse consilia Fraternitatis Tuae, iisque securitatem, et salutem a Ruthenis unitis deberi. Quare pro tua pietate enitere, ut authoritas tua iis sit murus aeneus, et columna fortitudinis, qua labentes illorum res fulciantur. Nos certe plurimum demerueris, si conatibus suffragaberis Venerabilis fratris Josephi, Archiepiscopi Chioviensis, quem pro immensi illius gregis incolumitate laborantem Pontificio patrocinio, et regio favore communiri cupimus. Negotium hoc gravissimum nostro nomine tecum aget Venerabilis frater Joannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius Apostolicus. Ei ergo fidem habere poterit Fraternitas Tua, cui benedictionem nostram peramanter impertimur.

Datum ut supra.

374.

Romae, 28 . I . 1623

ASV, *Armarium* 45, vol. 20, fol. 238rv, nr. 351.

Idem argumentum.

GREGORIUS PP. XV Venerabilis frater, salutem etc.

Catholica Religio in Russia e propriis deiecta, et impiorum minis assidue oppugnata, crudelioribus quotidie vulneribus conficitur, ac Dominici gregis oppressione, ac strage execrandam Schismaticorum Cosaccorum rabiem explet. Ea nunc poloni Regis istiusque Senatus opem implorat, regali autoritate se contra hostium iniurias armari postulans. Compertum nobis est, quod Regiae Maiestatis consilium, quae pietas sit, tamen quia Fraternitatem Tuam (f 238v) tot laudibus decoratam in orthodoxae fidei propugnatores, atque Haereticorum dominatores referri cupimus, ad Ruthenorum unitorum causam tuendam Apostolicis litteris te praecipue hortari voluimus.

Propensam in te voluntatem nostram tibi arctius obstrinxeris, si Fraternitatis Tuae officia aliquod catholicae plebi in iis regionibus oppressae praesidium, et meritum solatum attulerint Venerabili fratri Josepho, Archiepiscopo Chioviensi, illius gregis incolumitatem, et omnipotentis Dei gloriam diligenter curanti. Neque tibi ingenium deest. neque authoritas ad Orthodoxam Ecclesiam Fraternitati Tuae in Septentrione obligandam, animum quoque non defuturum speramus; quinimo insigne aliquod beneficium Regis virtute, et pietate tua freti laboranti illie Religioni pollicemur. Agentem de hoc negotio Venerabilem fratrem Joannem Baptistam, Episcopum Nolanum, Nuntium Apostolicum, eandem qua Nos ipsos fide audire poterit Fraternitas Tua, cui benedictionem nostram peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, etc., die XXVIII Januarii MDCXXIII, Pontificatus Nostri Anno secundo.

375.

Romae, 28 . I . 1623

Eadem res commendatur etiam Episcopo Cracoviensi.

ASV, *Armarium* 45, vol. 20, fol. 238v-239r, nr. 352.

Venerabili fratri, Episcopo Cracoviensi¹⁰³.
Idem argumentum.

GREGORIUS PP. XV. Venerabilis frater, salutem etc.

Sacerdotum catholicorum fugam, et pio sanguine manantes Schismatistarum Cosaccorum gladios Russia non ita pridem vidisse dicitur. Vox autem, et ululatus in Urbe Roma auditus est Rachelis plorantis filios suos. Quare Nos intelligentes quid a Pontificia sollicitudine tantae calamitatis gemitus exigat (f 239) polonum Regem sua pietate satis inflammatum Apostolicis litteris hortamur ad Ruthenos unitos regali patrocinio muniendo.

Hoc autem in negotio cupimus praecipuam enitere virtutem atque operam Fraternitatis Tuae, quae suis consiliis coeteros istius Regni Senatores ad religionis securitatem illic curandam potest non mediocriter incitare. Quantam a Deo gratiam hoc officii genere inire possis, compertum est Fraternitati Tuae. Pontificium certe patrocinium Nos tibi pollicemur, ea nobis solatia defterri existimantes, quae in hac deliberatione praebueris Venerabili fratri Josepho, Archiepiscopo Chioviensi, qui pro rutheni gregis salute in medio luporum vigilanter excubat. Disserenti tecum negotium hoc Venerabili fratri Joanni Baptista, Episcopo Nolano, Nuntio Apostolico, eamdem, quam nobis fidem habere poterit Fraternitas Tua, cui benedictionem nostram permanenter impartimur.

Datum ut supra.

376.

Romae, 20 . III . 1623

Gregorius PP. XV Decretum S. C. Rituum de praecedentia Metropolitae Kiovensis supra Suffraganeum Vilnensem Apostolica munit auctoritate.

APF, App. Bull. Pont. de Prop. Fide, vol. I, pag. 139.
DE MARTINIS, op. cit., vol. I, p. 17-8, nr. 9.

GREGORIUS PP. XV. Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit Venerabilis frater Archiepiscopus Kyoviensis, quod in causa praecedentiae inter eum et Suffraganeum¹⁰⁴ Ven. fratris Episcopi Vilnensis pendente a Ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet:

In causa praecedentiae inter Archiepiscopum Kyoviensem Russiae Metropolitanum et Suffraganeum Vilnensem, S. Rituum Congregatio, re mature deliberata, censuit, Archiepiscopo praedicto supra Suffraganeum praecedentiam competere, nullam super hoc diversitatis ritus habendam esse rationem. 22 Augusti 1620.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus plurimum cupiat, Decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentia et

¹⁰³ Martinus Szyszkowski (1616-1630).

¹⁰⁴ Agitur de Abrahamo Wojna, postea Episcopo Vilnensi (1630-1649). Hic inde ab anno 1618 cum Metropolita Kiovensi de praecedentia contendebat. Ab anno 1611 fungebatur munere Suffraganei Vilnensis, temporibus Benedicti Wojna (1600-1615), eius consanguinei, cum tit. Ep. Methonensis. Ab an. 1627 Ep. Samogotiae, dein translatus ad Eparchiam Vilnensem. Iudicia de eius persona discordant. Nuntius Honoratus Visconti negativam de eo habuit opinionem. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 27, p. 643-4.


validitate Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propria humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur, Nos igitur Archiepiscopum praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliquis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censemtes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Decretum praedictum Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint, supplemus.

Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictoque Archiepiscopo in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere, nec non irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca Venerabili fratri Ioanni Baptista, Episcopo Nolanensi moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties super hoc pro parte Archiepiscopi praedicti fuerit requisitus, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, solemniter pubblicans, dictoque Archiepiscopo in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat easdem praesentes ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; ipsumque Archiepiscopum illarum commode et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illum desuper a quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebitate molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstante felic. record. Bonifacii Papae VIII, Praedecessoris nostri, de una et in Concilio generali edita duabus diaetis, dummondo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, certerisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XX Martii MDCXXIII, Pontificatus Nostri Anno III.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

URBANUS PP. VIII
(6.VIII.1623 — 29.VII.1644)

f l o r e n t i n u s
(Maffeo Barberini)

DOCUMENTA URBANII PP. VIII

377.

Romae, 10 . II . 1624

Urbanus VIII Sigismundo Regi Poloniae scribit, ut contra Pseudoepiscopos ruthenos procedat, ne leges contra Unitos santicant.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 327-328v, nr. 325 (reg. chart).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 2193, fol. 186v-187 (reg. perg.).

THEINER, *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, vol. III, p. 371-72.

WEŁYKYJ A. G., S. *Jasaphat - Hieromartyr*, vol. I, p. 25, nr. 9.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

Regem hortatur contra Pseudopatriarcham Hierosolimitanum¹⁰⁵, caeterosque Pseudoepiscopos ruthenos, qui contra Unionem novas leges identidem sanciant.

URBANUS PP. VIII-s. Charissime in Christo fili noster, salutem, etc.

Inimici nostri non dormiunt. et discordiarum pater zizania serit, ut in ecclesiastica vinea pro frumento orientur tribuli, et pro hordeo spinae. Par est, Nos non minore diligentia venenatos stirpes evellere, et inutiles ramos amputare. Sylvescerent alioquin omnes regiones, et quae Paradisus Domini esse debent, fient paulatim seminaria venenorum, et pascua draconum. Id autem quam facile in Russia contingere possit, praesentes miseriae docent. Inde enim infensa Catholicae Religionis hostis schismatica haeresis impiorum dogmatum monstra in finitimas provincias immittit, et nuper in Cosaccorum Concilia subdole irrepens, fortissimorum militum viribus armata propugnare audet causam Satanae, et orthodoxae veritati excidium minitari.

Exurge Rex (f. 327v), Turcarum cladibus, et impiorum odiis clarissime. Apprehende arma, et scutum, et si pubblica salus id exigit, serpentem huius pestilentiae contagionem ferro etiam atque igne coerce. Quae vero a Spiritu Sancto profecta, a Romano Pontifice comprobata Unio Ruthenorum tum insidiis, tum viribus oppugnatur, extollat tandem, te defendant, caput coelo gratum, sentiatque in Septentrione potentissimum Regem constitutum a Deo piae causae defensorem. Schismaticorum sodalitia illic institui, novas leges identidem contra Unitos sanciri accepimus. Regia authoritas, quae fidei prae-sidium esse debet, sacrilegam hanc temeritatem infringat; et quoniam minas

¹⁰⁵ Agitur de Theophane, Patriarcha Hierosolymitano, qui anno 1620 Kioviae Hierarchiam schismaticam restabilivit, promotoribus Cosacis et Confraternitatibus. Hoc et sequentibus Brevibus agitur non solum de nece S. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, sed etiam de gravi statu Ecclesiae Ruthenae his temporibus in genere.

nonnisi poenis armatas negligere solet impietas, quae coeli fulmina, et inferorum cruciatus non timet, cura, ut Pseudoepiscopi rutheni, qui turbas movent, et in Cosaccorum Comitiis dominari conantur, dignum tam audaci facinore supplicium ferant. Tum ille seditionum fax, facinorosorum dux Pseudopatriarca Hierosolymitanus regalis irae vim experiatur, suaque calamitate (f. 328) exterorum exterreat audaciam. Quod etsi difficile factu videatur, quid tandem non expugnabit pietas, quam coelum tueatur, et regia authoritas armet? Certe Nicephorus¹⁰⁶ ille Graecus, qui factus armiger diaboli, et signifer seditionum tot contra Ruthenos unitos procellas in istis provinciis non ita pridem sedente Clemente VIII excitavit, tandem deformatus aerumnis, et perpetuis vinculis mancipatus docuit non modo quam atrox, sed etiam quam misera res scelus sit. Cuiusmodi exempla si crebro schismatica temeritas intueatur, non ita animos tollet, et ultionum Dominum formidare disset.

Proin rogamus Maiestatem Tuam, ut causam hanc omni, quo potest, studio, atque potentia tueatur. Id autem facile incipere potest, si regali patrocinio unitos Episcopos muniverit, iisque faciles aditus ad aulam, et consilia patere iusserit, curabitque ne episcopalii sacerdotii dignitas in iis minore cultu, quam in caeteris Praesulibus colatur. Differenti tam grave negotium Venerabili fratri Joanni Baptista, Episcopo Nolano (f. 328v.), Nuntio nostro, perinde ac nobis credere poterit Maiestas Tua, cuius perspecta pietas hoc Ruthenis periclitantibus praesidium, nobisque moerentibus solatium pollicetur, eique Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae S. Petrum, die X Februarii MDCXXIII, Pontificatus etc. primo.

378.

Romae, 10 . II . 1624

Urbanus VIII Episcopo Vilnensi, nece S. Josaphat subsecuta, scribit, ut Ruthenos unitos protegat.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 328v-329, nr. 236 (reg. chart).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 187v (reg. perg.).

WEŁYKYJ A. G., *op. cit.*, I, p. 26-7, nr. 10.

Venerabili fratri Episcopo Vilnensi¹⁰⁷.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Multa Fraternitati Tuae beneficia se debere Russia fatetur seditionum furiis agitata, sed et plura, et illustriora in posterum debere cupit. Vulnerum suorum medelama Regia Maiestate, et polono Senatu expectat, et sperat.

¹⁰⁶ Nicephorus, Graecus, missus fuit a Patriarcha Constantinopolitano anno 1595-6, ut Unionem Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Romana impediret. Fuit dux spiritualis factionis, quae Unioni Berestensi adversabatur, sicut princeps Constantinus Ostrožskyj eiusdem factionis erat dux saecularis. Cfr plura in A. G. WEŁYKYJ, *S. Josaphat...*, vol. I, p. 25, nota 42.

¹⁰⁷ Eustachius Wollowicz (1615-1630).

Quid contra Ruthenam Unionem schismatica impietas conetur, non ignoratum est Fraternitati Tuae. Si haeresim formidatis (f. 329) Cosaccorum viribus armari diutius patiemur, adveniet tempus, cum tantas miserias poterimus lamentari potius, quam propulsare. Quale causam hanc fortiter tueri sacri Antistites, et Senatores debetis. Ubi coelestis ira parvipenditur, humanis suppliciis tenor incutiendus est. Pseudoepiscopis ecclesiae eripiendae, et poenae infligendae. Unitis vero aditus ad aulas patefaciendus, et honos in publicis conventibus habendus est. Scimus quid tam gravi negotio Fraternitatis Tuae pietas conetur, Tamen ne te lateat quantas Pontificiae menti sollicitudines Ruthenorum calamitas conficiat, volumus causam hanc accuratissime commendari Fraternitati Tuae a Venerabili fratre Episcopo Nolano, Nuntio nostro. Ei ergo perinde ac nobis ipsis credere poterit Fraternitas Tua, cui Apostolicam benedictionem impartimur .

Datum ut supra.

379.

Romae, 10 . II . 1624

Idem commendatur Episcopo Luceoriensi, eadem occasione.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 329v-330, nr. 327 (r. chart.).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 188 (reg. perg.).

WEŁYKIJ A. G., *op. cit.*, I, p. 27, nr. 11.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi¹⁰⁸.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Turbo, ac tempestas Russiae Pseudopatriarcha Hierosolymitanus tot in istis regionibus seditiones excitasse dicitur, ut nefas esse fere videatur diutius piam Regis, Regnique iram feriari. Conscribi Sodalitates Schismaticorum contra Ruthenos unitos accepimus, eorumque iura novis idemtide, ac pestiferis constitutionibus impugnari. Tum in Cosaccorum Comitiis venena sua palam diffundere temeraria impietas dicitur, quorum si viribus armetur, videmus quas calamitatum procellas in estas provincias evomere parent patefactae Inferi portae. Obsistendum est audacter; neque enim causam suam deseret Onnipotens. Animum ergo despondere novis difficultatibus exterriti non debetis; quinimmo cornua impietatis confrigentes par est, vos in rerum discrimine invictam religiosi animi (f. 330) altitudinem sacrilegis sceleratorum ducibus ostentare. Quid Fraternitatis Tuae authoritas conetur, non lateat Pontificias curas. Ut magis magisque in dies Nos eiusmodi officiis demerearais, exigimus

¹⁰⁸ Stanislaus Lubienski. Ab anno 1622 Ep. Luceoriensis, et dein ab anno 1625 Viccancellarius Regni. Anno vero 1627 translatus ad Sedem Plocensem, in qua obiit an. 1640.

potius a tanto Praesule, quam postulamus. Nos certe et catholicam fidem tuemur, et nominis tui laudibus favemus, dum te ad hanc provinciam suscipiendam excitamus. Quod dum luculentius testabitur Venerabilis frater Johannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius Apostolicus, eius verbis eamdem, quam nostris fidem habere poterit Fraternitas Tua, cui Pontificiam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Februarii MDCXXIIII, Pontificatus Nostri Anno primo.

380.

Romae, 10 . II . 1624

Idem inculcatur Episcopo Praemisiensi.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 330v-331, nr. 328 (r. chart.).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol 188v (reg. perg.).

WEŁYKYJ A. G., *op. cit.*, I, p. 28, nr. 12.

Venerabili fratri Episcopo Praemisiensi¹⁰⁹.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem etc..

Cosaccorum viribus, quas barbarica tyrannis formidat, religionem cupimus defendi, non impietatem armari. Eorum enim gloria in pulverem converteretur, si tot militum gladii fierent arma inferni, et seditionum faces. Id autem cum hoc tempore diligentissime curet discordiarum pater, qui in eorum consilia aditum schismaticis Pseudoepiscopis patefecit, exurgere debetis sacri Antistites, et gladio salutis sacrilegam hanc temeritatem exterrere. In has certe miserias Russia, finitimaeque provinciae non incidissent, si Sanctae Unionis causam impietas seditione potens impune nunquam oppugnasset. At enim quia insanabile illi ingenium esse comperimus, facultas male faciendo ipsi erienda est. Quare non solum Ruthenis unitis et locus in Conventibus (f. 331) dandus, et honos habendus est, sed falsa etiam misericordiae specie abiecta Schismaticorum temeritas poenis videtur esse coercenda. Ad id Regiam Maiestatem et Fraternitatem Tuam dum hortamur, speramus brevi fore, ut innocentium calamitates oppressa isthic Haereticorum temeritas consoletur. Quantum in eiusmodi negotio demereri possis Pontificiam voluntatem fuse declarabit Venerabilis frater Episcopus Nolanus, Nuntius noster, cui perinde ac nobis ipsis credi volumus a Fraternitate Tua, cui benedictionem Apostolicam impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Februarii MDCXXIIII, Pontificatus Nostri Anno primo.

¹⁰⁹ Joannes Wezyk (1619-1624), deinde translatus ad Sedem Posnanensem et demum nominatus Archiepiscopus Gnesensis et Primas Poloniae ab anno 1626. Obiit anno 1638.

381.

Romae, 10 . II . 1624

Idem etiam Episcopo Chelmensi hac eadem occasione.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 331v-332, nr. 329 (r. chart.).
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 2193, fol. 189 (reg. perg.).
 WELYKYJ A.G., *op. cit.*, I, p. 28-29, nr. 13.

Venerabili fratri Episcopo Chelmensi¹¹⁰.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem etc..

Evaginaverunt gladium in Russia peccatores. Quid schismatica temeritas conetur, moerentes audivimus. Diutius ferendum non est illic diaboli potentiam ostentari caedibus sacerdotum, et direptione templorum. Pseudoepiscopi rutheni, quos in officio coelestis ira non continet, humanis sunt suppliciis coercendi. Irrupisse dicuntur in Cosaccorum Concilia, atque impietatis causam, quam ratione tueri nequeant, eorum viribus armare conantur. Exurgite armaturam lucis induiti catholici Antistites. Authoritate, consilio, precibus enitimini, ne minus fortes propugnatores habere istic veritas videatur, quam impietas. Pugnate orationibus, conate eloquio, ne saltem uniti Rutheni se in tanto rerum discrimine vestro patrocinio destitutos esse conquerantur. Quid praecipue in tam arduo (f. 332) negotio conandum sit, exploratum est Fraternitati Tuae. Porro autem mentem nostram fuse declarabit Venerabilis frater Joannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius noster, cuius verbis fidem habere poteris. Certe Pontificiam voluntatem iis officiis, quibus Rutenos catholicos tueberis, mirifice sibi obstringet Fraternitas Tua, cui Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ut supra.

382.

Romae, 10 . II . 1624

Urbanus VIII de eodem negotio scribit etiam Episcopo Camenecensi.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 332rv, nr. 330 (r chart.).
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 189v (reg. perg.).
 WELYKYJ A.G., *op. cit.*, I, p. 29-30, nr. 14.

Venerabili fratri Episcopo Camenecensi¹¹¹.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem etc..

Saevire accepimus legiones Inferni in Ruthenorum regionibus. Schisma-

¹¹⁰ Matthias II Pomian Lubienski (1620-1626); antea Ep. Camenecensis (1614-1620), dein Posnanensis (1626-1630), Cuiaviensis (1631-1640) et Archiepiscopus Gnesnensis (1641-1652). Obiit anno 1652.

¹¹¹ Adamus Nowodworski (1620-1626), dein Peremysliensis (1627-1631), et demum Posnanensis (1631-1634).

tica impietas arma parare dicitur, et ut Cosaccorum militares animos in sua castra compellat, in eorum concilia dicitur irrupisse armata dolis et seditionum artifex. Desponderent animum catholici Rutheni, quos cum Apostolica Sede orthodoxa pietas coniungit, nisi eos Regis potentia, (f. 332v) et Praesulm authoritas consolaretur. Ne eos tantae spei unquam poeniteat, postulamus a Fraternitate Tua. Emitere cupimus in tam arduo negotio eam virtutem, quae te ad Ecclesiasticos Magistratus provexit. Non solum legibus coercendi, sed poenis etiam plectendi rutheni Pseudoepiscopi sunt, quos mendacii alit, et seditionibus armat discordiarum pater. Quid agendum praecipue sit, neque praeterit Fraternitatem Tuam, et uberior declarabitur a Venerabili fratre Episcopo Nolano, Nuntio nostro, cui credere cumulate poteris. Potest in hac causa non leviter Pontificiam voluntatem demererri Fraternitas Tua, cui Apostolicam benedictionem impertimur, et patrocinium nostrum pollicemur.

Datum ut supra.

383.

Romae, 10 . II . 1624

Deo eodem negotio scribitur etiam Episcopo Kioviensi.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 333rv, nr. 331 (r. chart).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 190 (reg. perg.).

WELYKYJ A.G., *op. cit.*, I, p. 30, nr. 15.

Venerabili fratri Episcopo Chioviensi¹¹².
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater, salutem etc.

Russiae calamitates, et Schismaticorum triumphi, qui Fraternitati Tuae tot sollicitudines conficiunt, non sinunt Nos in beatissimo hoc Apostolicae Maiestatis solio conquiescere. Videmus quid a nobis exigant istarum regionum miseriae. Eas autem parum est miserari, nisi omnino propellere conemur. Quod facile possumus, ad pias preces decurrimus, quas tamen terribilia indignantis Numinis aliquando arma fuisse notissime testantur impiorum clades. Tum autem Polonorum Regem Senatumque hortamur, ut fortiter sacrilegis Haereticorum conatibus obsistant. Qui sapientiae rationes et Dei praecepta parvipendunt, ferro egent, atque igne ut facultas saltem malefaciendi iis eripiatur, quibus voluntas immutari non potest. Pseudoepiscopi viribus spoliandi, ex ecclesiis eiiciendi sunt, ut (f. 333v) pestilentiae illis pabulum subtrahatur, et sibi rem esse cum armata pietate, et ultionum Domino sentiant. Ruthenos vero unitos, quos Pontificio patrocinio complectemur, auctoritate Regis et Senatus favore armari par est. Quanto autem studio haec Fraternitatis Tuae solatia, et orthodoxae fidei praesidia quaeramus, testabitur

¹¹² Radoszewski Boguslaus (1618-1633), dein translatus ad Sedem Luceoriensem (1633-1638).

luculentius Venerabilis frater Joannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius Apostolicus. Cuius autem verbis perinde ac nobis credere poterit Fraternitas Tua, quam ad Ruthenorum salutem in illustri ista statione excubantem Apostolica benedictione munimus, et coeli patrocinio armari cupimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Februarii MDCXXIII, Pontificatus etc. primo.

384.

Romae, 10 . II . 1624

Castellano Cracoviensi, Georgio Zbaraskyj, idem negotium commendatur.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 334-335, nr. 332 (r. chart.).
WELYKYJ A.G., *op. cit.*, I, p. 31, nr. 16.

Dilecto filio, nobili viro, Georgio Zbaraschio,
Castellano Cracoviensi¹¹³.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Arces quas armatus hostis circumcidet, nisi militum excubiae diligenter tueantur, frusta murorum aggeres munivere. Adeo non solum armis, et propugnaculis, sed viribus etiam, animique militaris res indiget. Non minore diligentia custodienda est domus Domini, quam coniuratae Inferni legiones noctu, dieque oppugnant. Gladio salutis armatus e loco decidere nunquam debet ordo sacerdotalis, ad quem praecipue publicae salutis tutela pertinet. Verum Senatores etiam, Ducesque auxiliariam opem afferre debent, ut coronam illam mereant aliquando, quam religionis propugnatoribus Regum arbiter pollicetur. Id cum exploratum sit Nobilitati Tuae, credimus nunquam defuturum in tua autoritate periclitanti religioni praesidium. Nunc autem Regis (f. 334v), Senatusque poloni opem implorat Schismaticorum armis, insidiisque oppugnata Ruthenorum unitorum causa. Accepimus, quid haeretica impietas moliatur. Quas leges publicae tranquillitati exitiosas ferre conetur. At enim Pseudoepiscopos ruthenos avidos discordiarum, et publico bono moerentes frendum diu non est in Cosaccorum Conciliis dominari. Neque eorum militum vires, quae barbari hostis flagella non semel fuerunt, impietatis propugnacula fierent, et Regnorum excidia. Leniter in tanto rerum discrimine agendum non est. Forti pectore et constantibus consiliis moerens religio indiget. Proin rogamus Poloniae Regem, multosque Praesules, ut poenis tandem coérceantur, qui minas eludunt, et rationes irrident. Quod poterit ad tantam rem auxilii, id si attulerit quam primum Nobilitas Tua, et Dei ipsius causam tuebitur, et voluntatem nostram mirifice sibi obstringet.

¹¹³ Ex familia Ritus Rutheni perantiqua. Frater natu maior Christophori Zbaraskyj. Studuit apud exterros. Ab anno 1620 Castellanus Cracoviensis, et primus Regni Senator. Obiit anno 1631, uti ultimum membrum huius familie.

Quid vero potissimum agendum sit, et tu ipse coram prospicere facile potes, et fuse nostro nomine disseret Venerabilis (f. 335) frater Joannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius Apostolicus. Eius ergo verbis perinde ac nostris credere poterit Nobilitas Tua, cui benedictionem Pontificiam impartimur, et Ruthenae Unionis propugnatae gloriam addi exoptamur.

Datum ut supra.

385.

Romae, 10 . II . 1624

Idem recommendatur Christophoro Zbaraskyj.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 335rv, nr. 333 (r. chart.).
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 191rv (reg. perg.).
 WELYKYJ A.G., *op. cit.*, p. 32, nr. 17.

Dilecto filio Christophoro Zbaraschio, Regis Stabuli Praefacto¹¹⁴.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Dilekte fili, salutem etc.

Religio Regnorum custos, et salutis parens, quam Ruthenorum Schismaticorum dogmata in istis provinciis iamdiu deformare conantur, Regis, Senatusque poloni opem hoc tempore implorat. Quid in Russia contra Sanctam illam Unionem haeresis moliatur moerens nuper Urbs Roma audivit. Nos certe commune nationum omnium patrocinium, mandante Domino, suscipientes, sollicitis istuc cogitationibus advolamus. At enim tot miseras non modo lamentari debemus, sed etiam (f. 335v) prohibere. Certe si Cosacorum viribus armari scelerata ea dogmata patiamur, timendum est, ne nimis serio Rempublicam capessere, et publicam causam tueri videamur. Res ipsa aspera est, neque consultationibus longis tempus eget. Vi, et poenis coercendi Pseudoepiscopi sunt, ne eas seditiones excitent, quarum postea incendio septentrionalis regio conflagret. Quid a te expectamus facile coniicere potes, cui iam exploratum est, orthodoxae fidei triumphos vera esse Romani Pontificatus decora. Exuere gladium salutis, pugna fortiter pro domo Domini, da operam, ut te tantam causam suscipiente, quae nunc Ruthenos catholicos haeresis exterret timere serio discat, et sciad aliquando animum despondere. Flagitabit id a te nostro nomine Venerabilis frater Joannes Baptista, Episcopus Nolanus, Nuntius Apostolicus, cuius verbis proinde ac nostris credi cupimus. Eius igitur piis conatibus suffragari poteris. Tibi autem tantam causam defendant Apostolicam benedictionem impartimur, et Pontificium patrocinium pollicemur.

Datum ut supra.

¹¹⁴ Natus est an. 1580 e familia principis Russiae, Stephani Zbaraskyj, qui fuit ab an. 1576 Palatinus Bracaviensis (in Ucraina). Frater natu minor Georgii Zbaraskyj (cfr, supra notam 113). Ab anno 1620 in omnibus fere bellis, armis decernendis, partem habuit. Anno 1621 Legatus ad Portam Ottomanicam. Claruit nobilitate et liberalitate.

386.

Roma, 10 . II . 1624

Litterae breves Urbani VII ad Regem Poloniae, nuntio de martyrio Archiepiscopi Polocensis accepto.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 37, f. 336rv, nr. 334 (reg. chart.).

BIBL. VAT., Barb. lat., v. 2193, fol. 191v-192 (reg. perg.).

SUSZA J., *Cursus vitae...*, B. Josaphat Cuncevicii, ed. J. Martinov, Parisiis 1865, p. 153-4.

KULCZYNKI Ig., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae* ed. J. Martinov, Parisiis 1859, p. 234-235.

WELYKYJ A.G., *op. cit.*, I, p. 32-33, nr. 18.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS etc. Charissime in Christo fili noster salutem etc.

Quis dabit oculis nostris fontem lachrymarum ut Schismaticorum crudelitatem et Polocensis Archiepiscopi mortem lamentari possimus¹¹⁵. En, quo progredivit impietatis barbaries quam non satiat innocentium fletus, nisi sacrilegam sitim expletat sanguine Sacerdotum. Sacrum Antistitem non influis modum, sed etiam moribus venerabilem in propriis aedibus a facinoroso clero et saeviente populo istic trucidatum esse non obscurum est divinae ultionis documentum in eos populos. O, rem visu foedam, auditu miserandam! Corpus illud quod Spiritus Sancti templum fuit ferocientium manibus per civitatis compita tractum esse accepimus et cui plaudentes Angeli credendi sunt martyri coronam detulisse, Schismatici scelus anhelantes per summum humanae ferocitatis dedecus illusisse barbarum in morem dicantur. Nos quidem pietosam hanc mortem qua coelestis principatus haereditas aditur optimo Antistiti gratulari Ecclesiam posse censemus, at enim impunitam esse nefas est Sicariorum crudelitatem, ubi tam atrox facinus divinae ultionis flagella implorat. Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine. Ferro igitur atque igne abstinere Rex potentissime non debes. Sentiat haeresis non deesse cruentibus sceleribus supplicia. In tam detestando facinore misericordia pro saevitia est habenda. Quare mores omnes rumpat Maiestas Tua et pia indignatione exardescens moerentis Religionis lachrymas impiorum poenis consoletur. Disserenti negotium hoc Venerabili Fratri Joanni Baptista, Nuntio nostro, perinde ac nobis ipsis credere poterit Maiestas Tua, cui Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X-a Februarii 1624. Pontificatus Nostri Anno primo.

Joannes Ciampolus

¹¹⁵ Hoc Breve et praecedentia expedita fuerunt occasione occisionis Archiepiscopi Polocensis, Josaphat Kunczewycz (12-XI-1623). — Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat - Hieromartyr*, vol. I, (1623-1638), Romae 1952, ubi documenta Archivorum Romanorum Beatificationis et Canonizationis eius edita sunt.

387.

Roma, 11 . V . 1624

Urbanus VIII Regi Poloniae gratias agit pro punitione parricidarum Vitescensium.

ASV, *Ep. ad Principes*, v. 38, f. 125rv.

BIBL. VAT. Barb. lat., vol. 2194, fol. 300.

SUSZA J., *Cursus vitae...*, p. 161.

KULCZYNSKI IGN., *Specimen...*, p. 240.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 372.

WELYKYJ, A.G., *op. cit.*, I, p. 46-47, nr. 34.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS etc. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Mallemus equidem rationibus quam vulneribus medicabilia esse haereticorum ingenia; charitatem enim nostram delectare magis gladius vagina tectus, quam infectus sanguine. Tamen insanabilia membra ferro indigent, ne pestilentium partium contagine universum corpus contubescat. Hinc par est, Curatores publicae salutis non semper clementiae reminisci, sed etiam aliquando severitatis. Impiorum enim supplicia exterrent eorum audaciam qui iniquitatem sicut acquam libunt, nec tantum praeda quantum scelere delectantur. In eiusmodi verbis agnoscere potes laudes Maiestatis Tuae, cuius iram ac iustitiam experti nuper sunt immanes Polocensis Archiepiscopi interfeciores. Vitepscum enim, quod facinoris tam execrandi exemplum praebuit, dicitur nunc documentum esse divinae ultionis et regiae pietatis. Qui enim civitatis illius scelus commemorabit conqueri certe non poterit impunitate nutritam fuisse sacrilegam Schismaticorum saevientium crudelitatem. Propugnaculum in iis regionibus videris exstruxisse, quod Ruthenae Unionis causam tuebitur et eorum compescet audaciam, quos catholicae religionis miseriae delectant. Consilium Maiestatis Tuae cum gratissimum caelo fuisse arbitremur, merito Apostolicarum literarum voce laudatur. Nos vero orabimus Patrem misericordiarum ne Regem iuvandis subditis natum ad acerbam hanc necessitatem adduci sinat, sed potius eam mentem det polonis provinciis, ut regalem potius beneficentiam quam indignationem promereantur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XI Maii 1624,
Anno Pontificatus Nostri primo.

Joannes Ciampolus

388.

Romae, 18 . V . 1624

Metropolita Kioviensis in adversis consolatur eique patrocinium Regis approximatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 37, nr. 541.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 2194, fol. 309-310.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 373, nr. 307.

Venerabili fratri Iosepho, Episcopo Chioviensi, Metropoliae totius Russiae.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Monstra barbaricum scelus anhelantia et diabolicum venenum evomentia, quae per ruthenas provincias debacchantur, non sinunt in Apostolicae Maiestatis solio conquiescere. Ad ea portenta eliminanda opus est splendore fulgurantis illius hastae, qua Princeps coelestis exercitus armatus perduelles Angelos a coelo deiectos in tenebrarum carcerem detrusit. Hominum consiliis aut viribus tanta vis non inest, ut possit de inferni legionis et impietatis audacia triumphare. Quare ubi Nos ad hanc Sedem coelo proximam nuper Spiritus Sanctus deduxit in fausto illo gratulantium populorum plausu moerentes adivimus thronum omnipotentis clementiae, flagitantes arma lucis, quibus et filios tueri et hostes coercere possimus. In Deo spes nostra collocatur, ubi ad Russiae miseras anxie charitatis oculos adiicimus. Ille enim si favens ac propitiis conatibus nostris aderit, cognoscatis, rutheni Episcopi, Romanae Ecclesia obsequentes, frustra vos Pontificatu nostro gavisos non esse. Unionis enim vestrae authoritas nostra propugnaculum erit. Porro autem enitemur, ut Schismaticos, quos iustitiae lex pacare non potest, poenae formido ab iniuria deterreat. Sollicitudinis nostrae testes et voluntatis obsides Apostolicae literae sunt, quibus in ipso nostri Pontificatus exordio poloni Regis ac Senatus patrocinium vobis conciliare conati sumus. Vos coelestia auxilia accuratissimis precibus parate imbellicilitati nostrae. Si enim in ruthenis Ecclesii catholicam fidem de perduellium viribus atque animis triumphare audiemus, tunc merito poterit nobis Pontificatum gratulari Fraternitas Tua, cui ac caeteris ruthenis Episcopis catholicis Apostolicam benedictionem impertimur et Pontificium patrocinium pollicemur. Caeterum qua te benevolentia complectamur, ipsi, qui tuas literas reddiderunt, poterunt luculenter testari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, etc., die XVIII Maii MDCXXIII, Pontificatus Nostri Anno primo.

389.

Romae, 31 . VIII . 1624

Urbanus VIII monachos Basilianos Congreg. SS. Trinitatis Vilnensis comprehendi declarat in concessione indulgentiarum a Paulo V. facta monachis et regularibus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici.*

APF, *App. vet. Bullar. de Prop. Fide*, p. 145.

DE MARTINIS, *op. cit.*, vol. I, p. 33, n. 5.

Bullae et Brevia..., I, Proczajoviae 1767, p. 1-43.

URBANUS PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes, religiosos viros, qui spretis huius saeculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sese manciparunt, pastorali benignitate complectimur, prout conspicimus in Domino expedire.

Hinc est, quod Nos, volentes dilectos filios Monachos ruthenos Ordinis S. Basilii M. Congregationis SS.mae Trinitatis Vilnensis nuncupatae, unitati S. R. E. incorporatos favore prosequi gratiae specialis, de Ven. fratum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praefectorum consilio, monachos praedictos sub litteris fel. rec. Pauli V, praedecessoris nostri, super concessione indulgentiarum et gratiarum monachis et regularibus facta, sub die XXIII Maii MDCVI, in simili forma Brevis expeditis, quas tenore praesentium pro expressis habere volumus, comprehendendi, ac proinde eodem monachos praedictis indulgentiis et gratiis uti et potiri posse, easque illis sine ulla dubitatione suffragari, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Non obstantibus quatenus opus sit nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXXI Augusti MDCXXIV, Pontificatus Nostri Anno II.

390.

Romae, 12 . III . 1625

Urbanus VIII mandat Metropolitae Russiae, ut Synodus provinciale singulis quadrienniis celebret.

R. DE MARTINIS, *op. cit.*, I, p. 45-46, nr. 10.

URBANUS Papa VIII. futuram rei memoria.

Sacrosanctum apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut, licet inter gravissimas, multiplicesque Apostolicae servitutis curas super universas orbis Ecclesiias, iuxta pastoralis officii debitum invigilemus, illis tamen peculiarem sollicititudinem impendamus, quae non solum in longinquis regionibus constitutae verum etiam multis catholicae fidei hostium periculis expositae opera Sedis Apostolicae iugiter noscuntur indigere.

Hinc est quod nos, felici atque prospéro ecclesiarum in provincia Rutheniana seu Rusca existentium statui atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandae in universo mundo fidei praepositorum consilio, Venerabili fratri Archiepiscopo Kiovensi eiusdem provinciae Metropolitae per praesentes committimus et mandamus, ut, infra annum proximum, Concilium provinciale Episcoporum, eorum scilicet, qui cum Romana Ecclesia tempore felicis recordationis Clementis Papae VIII, Praedecessoris nostri, uniti sunt, iuxta praescriptum sacrorum canonum necnon generalium Conciliorum, convocet atque celebret.

Insuper, quod finito Concilio provinciali, infra annum, ut praefertur, convocando et celebrando, ex tunc de certo perpetuis futuris temporibus singulo quoque quadriennio simile Concilium provinciale non minus unius hebdomadae spatio duraturum modo et forma praemissis convocari et celebrari

omnino debeat, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Dantes plenam et amplam facultatem et auctoritatem eidem Archiepiscopo nunc et pro tempore existenti tempus et locum celebrationis conciliorum huiusmodi praefigendi et assignandi, ac poenas sibi benevisas Episcopis legitime non impeditis ad Concilia huiusmodi non venientibus, et, qui venerint, ante finem celebrationis conciliorum huiusmodi praefigendum absque eiusdem Archiepiscopi licentia recedentibus, imponendi e infligendi.

Decernentes, praesentes litteras validas et efficaces existere et fore, sicque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII Martii MDCXXV, Pontificatus Nostri Anno II.

391.

Romae, 10 . V . 1625

Commendatur Unio Ruthenorum et negotium Coadiutoriae Kioviensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 39, fol. 268rv.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2195, fol. 158v.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 377, nr. 313.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Religionis ac foelicitatis interest validissimis praesidiis sacram Ruthenorum Unionem in Septentrione confirmari. Id autem scimus exploratum esse Maiestati Tuae, quae suam potentiam schismaticae haeresis terrorem, et fidei orthodoxae propugnaculum haberi gloriatur. Cum autem Venerabilis frater Metropolita Kioviensis sub annorum pondere laborans videatur socio indigere ad episcopalii Sacerdotii onus sustinendum, hortamur Maiestatem Tuam, ut ei quamprimum nominare velit Coadiutorem Apostolica auctoritate confirmandum. Pluribus enim munimentis Ruthenae Unionis stabilitas insistet. neque ei ullum ea sede vacante periculum imminebit. Consimilem ob rationem vivens Archiepiscopus viventi praedecessori suo Coadiutor adiunctus fuit. et res ipsa docuit non potuisse prudentius prospici Ruthenorum in columitati. Videremur obliti esse pietatis ac prudentiae tuae, si hoc beneficium a te accuratiорibus precibus extorquere conaremur, praeterquam quod ipsem Nuntius Apostolicus mentem nostram fuse declarabit. Ei ergo fidem habere poterit Maiestas Tua, cui benedictionem nostram amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die X Maii MDCXXV, Pontificatus Nostri Anno secundo.

392.

Romae, 7 . VI . 1625

Kiovieni Metropolitae inculcatur ne facile Episcopis et Monachis unitis esum carnium relaxet.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 39, fol. 293-4.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2195, fol. 174rv.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 377, nr. 314.

Venerabili fratri Metropolitae Russiae.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Sacra Omnipotentis sponsa Catholica Ecclesia, cum ubique terrarum unam colat fidem orthodoxam, coelestium tamen oculos oblectat circumdata varietate rituum et virtutum. Quare ab ea consuetudine recedere populi temere non debent, quam sibi salutarem fuisse maiorum exempla et longi temporis experimenta probarunt. Ob id angimur non mediocriter, ubi accipimus ruthenos Episcopos, quibus vetus Graecae Ecclesiae disciplina prohibet carnibus vesci, blandientes sensui morem maiorum insuetis epulis corrumpere. Atque perniciosa eiusmodi indulgentia videtur infecisse etiam quasi pestilenti contagione Monachorum animos, qui s. Basilii leges obliti dicuntur anxie curare, ut in Episcoporum familias recipientur, lethiferis insidiantis gulae blanditiis ducti. Cave, Venerabilis frater, ne sub eiusmodi esca hamus Satanae et laqueus inferni delitescat. Paulum si veteris disciplinae severitas langueat, irrumpet licentia, et diabolicas vitiorum cohortes in animos sacerdotum introducit. Quare monemus Fraternitatem Tuam, ne tam foecundam malorum sementem in ista Ecclesiastica vinea patiaris sylvescere. Utene authoritate ad peccatorum incitamenta profliganda. Servato moderamine pie-tatis erga aegrotos, occlude aures Episcopis vetiti cibi usum a Metropolitae authoritate postulantibus. Quod si qua unquam causa poterit severitatem illam inflectere, temporaria illis detur licentia non perpetua, atque ea Monachi Episcopis servientes ne perfruantur. Paternam hanc Apostolicae charitatis cohortationem speramus gratam fore non solum Fraternitati Tuae, sed Episcopis etiam Monachisque ruthenis. Ea enim nil aliud quaerimus, quam salutem vestram, et Ecclesiae istius dignitatem, vobisque Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die VII Iunii MDCXXV, Pontificatus Nostri Anno secundo.

393.

Rome, 22 . VIII . 1626

*Urbanus VIII Metropolitae Kioviensi erectionem Seminarii commendat suum-
que dat subsidium.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 40, fol. 318v-319v.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 379, nr. 318.

Venerabili fratri Archiepiscopo Chioviensi, Metropolitae Russiae.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Columna illa ignea dux peregrinantis Israelis videtur in praesentia esse Ruthenis catholicis constans Fraternitatis Tuae pietas, eo firmior, quo magis opprimitur. Non enim solum concussam et labentem isthis religionem firmissime fulcire diceris, ser etiam tamquam sanctimoniae et fortitudines exemplar fidelibus praelucere ambulantibus per deserta variis haeresum monstros obessa. Tantum decus Fraternitatis Tuae gratulari voluimus, quae dum contumeliam pro Iesu Christo patitur, in animis Christianorum gloriosissime triumphat. Fruere, Venerabilis frater, in isto calamitatum theatro plausibus universae Ecclesiae et Pontificiae laudationis testimonio. Nos autem dum virtutis tuae fama consolatur, haud sane invenit sollicitudinum illarum expertes, quibus immensi istius gregis salus curetur. Quocirca in Septentrione, ubi solium ponere conatur impietas, arcem condi decrevimus ad diabolicos conatus infringendos. Proinde Seminarium in Poloniae Regno institui iussimus, quod ruthenae iuventutis gymnasium et laborantis religionis domicilium habeatur. Huius sanctissimi operis auspicia intelligimus haud caruisse munificentiae tuae argumentis. Nec novum id nobis accidit, qui te Catholicae Religionis dignitati vitam opesque omnes iampridem devovisse cognovimus. Is sane haud potest esse opum avarus, qui virtutum dives est, quique divitias ob unani rem non aversatur, ut prospicit. Nos autem, ne Apostolicae charitatis fructibus careatis, mille scuta ad eius Seminarii commoda erogari iussimus, exiguum munus ingentis voluntatis. Tibi autem duplex beneficium debebit fides orthodoxa, si pecunia et exemplo eam iuvare non disistes. Quare voca in tanti decoris societatem caeteros ruthenos Episcopos. Vos istius Ecclesiae septena candelabra curate, ut non tantum lucem veritatis, sed etiam beneficiorum foecunditatem in vestris radiis populi agnoscant. Sic Catholicae Unionis vincula et firmabis, et producetis, illisque adducentes in gremium Ecclesiae filios desertores, nostram quoque voluntatem arctissime vobis obstringetis. Has equidem litteras haud voluimus conscribere, ut vos laudis et salutis ad sanctam munificentiam hortaremur, sed ut de consiliis vestris gloriari possitis, quorum laudatorem et comitem habebitis parentem Christianae Reipublicae, et Urbem nationum matrem. Caeterum patrocinium nostrum nunquam deesse patiemur Fraternitati Tuae. cui Apostolicam benedictionem peramanter imperitum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimo secundo Augusti, Millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, Pontificatus Nostri Anno tertio.

394.

Romae, 22 . VIII . 1626

*Idem Episcopis unitis enixe commendatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 40, fol. 321rv.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 379, nr. 318 b.

Venerabilibus fratribus Episcopis ruthenis.

URBANUS PP. VIII. Venerabiles fratres, salutem etc.

Cum regiones istas rorem coeli sitientes foecundare studeatis sanctorum operum proventu, non temere per vos foelicem divini cultus propagationem isthic sperat religio, quamvis tam multis haeresum monstros obsessa. Nos quidem de rutheni gregis salute, et Fraternitatum vestrarum gloria sollicitos longinquitas locorum periculo liberat, non cura. Prospicimus ex hac Apostolici fastigii specula, quam vasta isthic germinet misericarum sylva, ubi nidificans Draco infernalis venenatos frutices nutrire conatur sanguine innocuum. Modo clandestina praedonum latrocinia, modo furentem sacrilegæ temeritatis impetum horremus. Idcirco turrim fortitudinis ad vineae istius praesidium aedificare decrevimus. Id autem praestamus in Poloniae Regno Seminarium instituentes, ubi catholica Ruthenorum iuventus christianaë militiae disciplina imbuatur. Proin mille scuta ad illius commoda erogari iussimus, ut huius piae institutionis non modo authorem, sed etiam comitem Pontificem habeatis. Eia, Venerabiles fratres, vestrī stipendiis novam arcem communite. Sic enim vestrae munificentiae acceptum posteritas referat maximum fidei incrementum, et fidelium alumnorum sapientia pietatem apud omnes nationes assidue loquetur. Tum eius pecuniae debitorem vobis Regem Regum allegamus, cui terreni omnes principatus vectigales sunt, quique fidelium tributa ut mutua beneficia expendit. Florent igitur, Spiritu Sancto afflante, innata in animis vestrī munificae pietatis semina, ne quam in vobis fidei propagandae spem Ecclesia posuit, Nos unquam damnare possimus, qui Apostolicae benedictionis thesauros super sanctam Ruthenorū Unionem liberaliter effundimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die XXII Augusti MDCXXVI, Pontificatus Nostri Anno tertio.

395.

Romae, 22 . VIII . 1626

*Laudat missionem P. Nicolai Nowak, agentis Ecclesiae Unitae Romae.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 40, fol. 317.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Chioviensi, Metropolitae Russiae.

Laudatur Nicolai Novaci¹¹⁶ legatio ad S. Suam.

¹¹⁶ De hac missione primi Procuratoris (1626-1633) cfr. A. G. WELYKYJ, *Primus Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe: P. Nicolaus Nowak*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II. Sec. II, vol. I, fasc. I, p. 62.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Quibus artibus Ruthenae Ecclesiae concordiam arctius in dies cum Romana firmare studet, iisdem sane pontificiam voluntatem firmius sibi abstrin-
git Fraternitas Tua. Tantae pietati coelestibus solum praemiis dignae, quo-
ties usus venerit, haud unquam deesse patiemur nostrorum beneficiorum testi-
monium.

Volumus autem nostris nunc laudibus abundare piam illam tuam sollici-
tudinem utilium consiliorum foecundam. Laudamus igitur, ut Sacrae isti
Unionis salutarem Patris Nicolai Novaci legationem. Illum igitur tuae, cae-
terorumque ruthenorum Episcoporum in Sedem Apostolicam observantiae
interpretem per amanter complexi sumus, atque istius Ecclesiae negotia dis-
serentem libentissime semper audiemus. Caeterum eo nobis iucundior illius
contigit adventus, quia crebriori pontificiae benevolentiae testificatione ingen-
tia solatia saepius ille confidere poterit Fraternitati Tuae, aliisque ruthenis
Episcopis, quibus paternam nostram benedictionem intimo cordis affectu
impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc. die 22 Agusti MDCXXVI,
Pontificatus etc. tertio.

396.

Romae, 22 . VIII . 1626

Inculcatur Regi Poloniae ut amoveat Pseudoepiscopos schismaticos.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 40, fol. 317v-318.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

Curet e schismaticis Russiae ecclesiis Pseudoepiscopos omnes
omnino eliminandos.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Schismatici Cosacchi, qui sacrilega immanitate furentes sacerdotum vitas
immolabant, et sacra altarium spolia diripiebant, ab ultiōnum Deo per polo-
nas legiones profligati auxerunt trophya Maiestatis Tuae, et solatia Chris-
tianitatis. Increverat crudelis eorum temeritas, ut illustrius beneficium bra-
chio tanti Regis deberet Ecclesiae. Desideratur tamen aliquid, quod tantum
gaudium perficiat. Id autem erit, si e schismaticis Russiae ecclesiis venenata
Pseudoepiscoporum semina evulseris. Eos vero Cosacchorum pereuntium pa-
trocio destitutos vel ipse triumphantium armorum fulgor, et sola victoris
Regis authoritas facili negotio creditur posse fugare. Non te ad illa hortamur
bella, ubi periculi metus gravior sit, quam victoriae fructus. Tona voce Maies-
tatis Tuae eruens e cubiculis suis degeneres serpentes, et in virga tua per-
cutiens illos. Non enim latet, quanto beneficio aucturus isthic sis religionem
orthodoxam cum praesentius pharmacum (f. 318) . . . quam ex eiusdem caede.
Jam vero coe... darum victoriarum tuarum gloriam videberis in arce immor-
talitatis collocare. Cruenta fluviorum testimonia non permanent, et cum san-

guine arescunt domesticae palmae. Quae vero ad religionis securitatem pertinent, illae plantari videntur in coelo feroce fructuum omnibus saeculis salutarium. Quid autem! Si eadem est tutela Regni, quae fidei, quos firmiores aggeres ad provincias istas tutandas construere potes, quam prophanatorum altarium minis! Praebe igitur, Rex potentissime, hoc periclitanti religioni auxilium et pontificiae sollicitudini solatium, et praeclarius semper in dies de Catholica Ecclesia merens praelude Turcicæ tyrannidis excidio. Ea spe consolans moerorem suum captiva filia Sion catenas barbarae servitutis fieri cupit trophyea Maiestatis Tuae.

Nos autem foelicissimum victoriarum cursum tibi non optamus solum, sed etiam praenuntiamus, qui tecum assiduis supplicationibus militantes Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, etc., die 22 Augusti MDCXXVI, Pontificatus etc. tertio.

397.

Romae, 22 . VIII . 1626

Comendantur res Unionis in proximo Synodo Provinciali curandae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 40, fol. 320.

Venerabili Fratri Episcopo Vilnensi¹¹⁷.

De proxima ruthenorum Episcoporum Synodo provinciali, cuius decreta promulgari ne sinat antequam a Sedis Apostolicae auctoritate comprobata.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Sacerdotalis sceptri splendor in manibus Antistitum non parum sordet, si potius dignitatis ornamentum, quam flagellum impietatis habeatur; nec enim virga illa directonis ad pabula veritatis fideles greges agere solum debet, sed etiam circumfrementium luporum rabiem arcere. Hanc mentem Fraternitati Tuae inesse gratulatur in Septentrione religio, et dolet impietas. Tua namque ecclesiasticae dignitatis fastigium occupare diceris, non ut extra telorum iactum secura altitudo tibi quietem pariat, sed ut sublimi excubans altius praecaveas, et fortius ferias. Non autem ad fidei propagationem iis armis semper opus est, quae caducis ignibus, et fabbricata aura in humanis fucinis creduntur, sed gladio illo ancipiti, quod est verbum Dei. Hac lucis armatura munitum te iampridem esse accepimus; ideoque super eloquia tua laetamur, sicut qui invenit spolia multa.

Quare in proxima ruthenorum Episcoporum Synodo Provinciali¹¹⁸ cupimus fidei orthodoxae (f. 320v) propugnatorem fieri Fraternitatem Tuam, quae cum eloquentiae et prudentiae artem, et pietatis studium optime coniungit. Non veremur, quin sacra illa cura, quae tot pios labores concepit mons-

¹¹⁷ Eustachius Wollowicz (1615-1630).

¹¹⁸ Synodus adunata fuit in oppido Kobryn, mense Septembri 1626.

trum pariat iniquitatis. At in via, in qua confidenter ambulaveritis, pedicas plerumque abscondere solet fraudum artifex. Ab increpatione vero tua fugiet et a voce tornitru tui formidabit. Tam diligenti Patrifamilias vigilante haud poterit zizania superserere inimicus homo. Verum si quid degeneris seminis succreverit, fiat sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.

Iam vero de illis, quae in conventu illo constituta erunt suo tempore Nos certiores facies, nec antea promulgari patieris, quam a Sedis Apostolicae autoritate comprobata fuerint. Nos vero a Spiritu Sancto et coelestia consilia, et linguam igneam precemur Fraternitati Tuae, cui nostram benedictionem per amanter impertimus.

Datum ut supra (22 . VIII . 1626).

398.

Romae, 7 . XI . 1626

Regem Poloniae Pontifex hortatur, ut ruthenorum Praesulum privilegia illaesa conservet.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 41, fol. 168.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2197, fol. 100.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*,, vol. III, p. 380, nr. 320.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christi fili noster, salutem etc.

Quanti in Polonis regnis rei catholicae intersit Ruthenorum fidelium concordiam firmari minime latere scimus religiosam Maiestatis Tuae sollicitudinem. Nos autem anxie invigilamus, ut ea impedimenta praecaveantur, qua tam salutaria animorum vincula solvere possint aut laxare. In nuper Episcopi Chelmensis electione intelleximus regia autoritate id esse decretum¹¹⁹, quod cum vetera quaedam ruthenorum Episcoporum privilegia deleat, facile etiam potest eorundem concordiam dirimere. Nos certe tantum tuae pietati et iustitiae tribuimus, ut te satis accurate excitatum esse existimamus ad Praesulum ruthenorum dignitatem propugnandam, cum antiquae consuetudinis iura commemoravimus, et religionis damna praemonuimus. Iam grave negotium apud Maiestatem Tuae fusius disseret Nuntius noster, cui poteris perinde ac nobis ipsis loquentibus fidem habere, tibique Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die septima Novembris MDCXXVI. Pontificatus Nostri Anno quarto.

¹¹⁹ Agitur de clausula, ut « novus Episcopus Chelmensis ruthenus unitus singulis annis latino eiusdem Urbis Episcopo rationem redderet administrationis suae Ecclesiae, tam in spiritualibus quam in temporalibus » (Cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I, p.44-45, nr. 70, editio Romae 1953.

399.

Romae, 7 . VII . 1627

Breve Urbani VIII, concedens absolventibus exercitata spiritualia apud Monachos O. S. B. M., Nationis Ruthenae easdem indulgentias, quas consequuntur absolventes apud Clericos regulares Soc. J.

*Bullae et Brevia..., I, Poczajoviae 1767, p. 47.
HARASIEWICZ M., Annales..., p. 385-6.*

URBANUS PP. VIII. Ad futuram rei memoriam.

Ad augendam Christi fidelium, Nationis Ruthenae unitorum, qui, ut accepimus, apud dilectos filios, Monachos Ordinis S. B. M., eiusdem Nationis, etiam unitos, exercitia spiritualia exercere solent, devotionem, et animarum salutem, caelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, eisdem Christi fidelibus, qui exercitia spiritualia huiusmodi apud dictos Monachos per octo dies fecerint, et alia forsan pro infra scriptis indulgentiis consequendis requisita adimpleverint, quod omnibus et singulis iudgentiis, ac peccatorum remissionibus et poenitentiarum relaxationibus, quas Christi fideles latini, exercitia spiritualia praedicta apud dilectos filios Clericos Societatis Jesu facientes, ex concessione Apostolica gaudent, pari modo fruantur et gaudeant, Apostolica acutoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Non obstantibus regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VII Julii MDCXXVII, Pontificatus Nostri A. quarto.

400.

Romae, 24 . VII . 1627

Ladatur Georgius Tyszkiewycz pro eius protectione Unionis, quam ut ulterius protegat hortatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 41, fol. 305rv.

Venerabili fratri Georgio Episcopo Methonensi.
Laudat eius consilium favendi unitis Ruthenis.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Si paternae mentis nostrae curis redimi possent fidelium calamitates, foeliissime sane cum Ruthenis catholicis in Septentrione ageretur. Eorum enim securitas, atque incolumitas praecipuum est pontificiae sollicitudinis votum, nec conquiescere certe possumus. dum sacram illam concordium Catholicorum unionem periculis et miseriis obsederi intelligemus. Ex hac nostrae (f. 305v) commiserationis significatione facile coniicere potest Fraternitas Tua, quibus solatiis afficiamur, cum illos tuo patrocinio perfungi accipimus. Sane iis auxiliis et beneficiis, quae in Episcopos et monachos ruthenos praecipue contulisti,

scias, te non mediocriter nostram quoque voluntatem sibi conciliasse. Hoc Apostolicarum literarum testimonio dum pietatem tuam decoramus, supervacaneum nobis videtur adhortationes conscribere.

Ut vero ad iuvandos Ruthenorum rationes alacrius Fraternitas Tua impellatur, tamquam tuae religionis premia proponere tibi voluimus Pontificis laudationes, et totius Sacri Senatus plausus. Perge igitur, Venerabilis frater, in tantae gloriae possessionem, in quam felicissime perveniens, si non unius caulae custodia contentus, pastoralem tuam sollicitudinem proximis etiam probabis; tibique Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., die 24 Julii MDCXXVII, Pontificatus Nostri Anno quarto.

401.

Romae, 7 . X . 1628

Congratulatur Pontifex cum Meletio Smotryckyj de eius reditu ad Ecclesiam catholicam.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 43, fol. 86.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2199, fol. 39.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 381-2, nr. 324.

Venerabili fratri Miletio, Archiepiscopo Polocensi nuncupato¹²⁰.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Non vulgare est Pontificiae sollicitudinis solatium doctrina Fraternitatis Tuae, quam hostilis impietas tanquam veritatis fulmen formidavit, nunc isthic factam esse firmissimum propugnaculum coelestis Hierusalem. Gratulamur Catholicae Ecclesiae novum hoc beneficium, et Fraternitati Tuae tam ingens decus. Singularis enim tua pietas esse in Septentrione praedicatur tanquam columna illa ignis dux peregrinantis populi, quae non solum oppugnatam religionem fulcit, sed etiam velut praeclarum ardentis zeli exemplum coeteris praelucet ambulantibus per deserta ista variis haeresum monstris obseissa. Eia, Venerabilis frater, perfice tam gloriosos conatus. Quae damna olim Religio Orthodoxa ingenii tui viribus imputabat, nunc foelicius potes redimere tuae pietatis constantia. Multiplici autem solatio sollicitudines nostras cumulabis, si coeteros Schismaticos tecum attrahere conaberis in gremium Romanae Ecclesiae. Nos aeternam sapientiam enixe oramus, ut in Chioviensi Synodo eloquentiam Fraternitatis Tuae ea consilia edoceat, quae veram indicent divinorum mandatorum semitam. Speramus fore, ut tanti viri resipiscentis gloria, sequacis plebis salute augeatur, atque communi Ruthenorum reconciliatione illustretur dignitas Fraternitatis Tuae, cui Apostolicam benedictionem impartimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die VII Octobris MDCXXVIII, Pontificatus Nostri Anno sexto.

¹²⁰ Cfr. opus P. S. S. SABOL, *De Meletio Smotryckyj - Polemista anticatholico*, Romae 1950. Ante suam conversionem princeps polemistarum anticatholicon, dein post duplum ad Ecclesiam Catholicam reditum, fervidus eiusdem Ecclesiae defensor. A Sede Apostolica nominatus Archiep. tit. Hieropolitanus. Obiit an. 1633, die 27 Septembbris.

402.

Romae, 14 . X . 1628

*Urbanus VIII Archiepiscopo Gnesnensi Unitos Enixe commendat.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 43, fol. 88v-89.THEINER A., *Vet. Mon. Polonicae et Lithuaniae*, vol. III, p. 382, nr. 325.DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 104.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

URBANUS VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Christianae patientiae elogia sunt minores illa contumelia, quas in Ruthenos catholicos iacere solet Schismaticorum superbia. Nostrae certe paternae charitati eo accuratius constans illius nationis pietas commendatur, quo acrius a desertorum impietate illam audimus lacerari. At eas prorsus iniurias cogimur lamentari, quibus apud Catholicos ipsos fidelis illa Unio afficitur. Sane cum illos maledictis lacessiri, eorumque templa infami synagogarum nomine isthic appellari intelligimus, dolemus miserrimam illius gentis sortem, cum qua iniuriose ubique agitur, dum hostilis odii opprobria apud amicos etiam patitur. Hoc est aberrantes arcere a veritatis via, nisi officiosius excipiantur in gremio Ecclesiae Orthodoxae, qui eo confugiunt. Audivimus gematum et cognovimus vocem rutheni gregis, qui a populis Fraternitatis Tuae subiectis se contumeliose haberi conqueritur.

His igitur Apostolicis literis te, Venerabilis frater, intimo cordis affectu hortamur, ut recentia ista Dominicae vineae germina contra iniuriosam quorundam audaciam protegas. Ut autem Conciliorum oracula religiose, ut par est, colantur, cavere etiam debes, ne quisquam eorum consuetudine utatur, quibus censoria rutheni Metropolitae authoritas sacrorum et fidelium communione interdixit. Coeterum non vulgaria solatia pontificiae sollicitudini conficies, et non mediocriter de Romanae Ecclesiae dignitate benemereberis, si Ruthenos unitos eorumque rationes potenti autoritatis tuae patrocinio complecteris. Cupimus ingens hoc decus accedere caeteris laudibus Fraternitatis Tuae, cui Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die XIV Octobris MDCXXVIII, Pontificatus Nostri Anno sexto.

403.

Romae, 18 . IV . 1629

*Urbanus VIII Archiepiscopo Kiovieni, Rutheni Ritus, in Polonia facultatem concedit dispensandi dioecesanos suos pauperes in tertio et quarto gradu quoad duodecim matrimonia, qui tamen numerus postea a Nuncio Apostolico augeri potest.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 748, fol. 5rv.DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 110, nr. 43.

URBANUS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

Ut Ven. frater Iosephus, Archiepiscopus Chiovien., Christifidelium animarum sua curae commissarum saluti ex nostra et huius Sanctae Sedis gratia melius prospicere valeat, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati de Venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio eidem Iosepho Archiepiscopo cum dioecesanis suis pauperibus tantum, qui tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et duplici sive mixto invicem coniuncti, seu se attinentes, matrimonium inter se, ex aliqua praedicto Iosepho Archiepiscopo probata causa, invicem contrahere voluerint, super impedimentis tertii et quarti consanguinatis et affinitatis gradus huiusmodi, ita quod, illis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnisare et in eo postmodum remanere libere et liceite valeant dummodo tamen mulieres propter hoc raptae non fuerint, ipseque Iosephus Archiepiscopus praesenti gratia in duodecim matrimonii tantum utatur, auctoritate nostra Apostolica, gratis dispensandi. Ac insuper dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuncio alium certum numerum, cum videlicet numerus duodecim matrimoniorum, ut supra praefixus, expletus fuerit, eidem Iosepho Archiepiscopo assignandi facultatem. Apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Aprilis MDCXXIX, Pontific. Nostri Anno VI.

404.

Romae, 20 . VI . 1629

Metropolitae Kioviensi datur facultas dispensandi super impedimentis ex cognatione spirituali et publica honestate provenientibus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 750, fol. 9rv.

Venerabili fratri moderno Archiepiscopo Kioviensi.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, etc.

Ut christifidelium animarum tuae curae commissarum saluti pro commissi tibi Dominici gregis munere melius prospicere valeas, supplicationibus tuo nomine porrectis, de Venerabilium etc. Cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, Fraternitati Tuae quibuscumque dioecesanos tuos, qui impedimentis ex cognatione spirituali, vel publica honestate provenientibus inter eos existentibus nequaquam obstantibus matrimonium inter se scienter, vel ignoranter hactenus usque in diem datorum praesentium contrixerint, et si carnali copula consummaverint, ab incestus reatu, et excessibus huiusmodi, et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos propterea incursis, iniuncta eis arbitrio tuo ali-

qua publica, vel salutari poenitentia, in utroque foro auctoritate nostra Apostolica absolvere, et cum eisdem, nec non cum aliis similiter dioecesanis tuis, qui similibus impedimentis inter eos pariter exsistentibus aliisque non obstantibus ex aliqua tibi probata causa invicem matrimonialiter copulari voluerint, super eisdem impedimentis ita quod illis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se de novo respective publice contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnisare et in eo postmodum remanere libere et licite valent, dummodo tamen mulieres propterea raptae non fuerint (f. 9v), tuque gratia quoad matrimonia contrahenda huiusmodi in sexaginta dumtaxat matrimoniis uti possis, dispensare libere similiter et licite, gratis tamen, auctoritate nostra valeas, eadem auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, die 20 Iunii 1629, Anno 6.

M. A. Maraldus

405.

Romae, 24 . IX . 1629

Urbanus PP. VIII Ducem de Korec laudibus cumulat eique Ecclesiam Unitam commendat.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 43, fol. 166rv, nr. 194.

Dilecto filio, nobili viro, Duci Koreensi.

Ei varias laudes adscribit, hortaturque, ut catholicam fidem atque unitatem inter Ruthenos propagare studeat.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Laudes Tuae virtutis ad Nos pertulit fama nuncia meritorum; nec pontificiam sollicititudinem ea pietatis, atque autoritatis officia latere sinit, quibus diceris in ipsis provinciis quaerere christiana fidei incolumitatem. Ut igitur non desunt Nobilitati Tuae plausus Ecclesiae Romanae, volumus te quoque frui pontificiae laudationis (f. 166v) testimonio. Non autem christiana huius gloriae oblectamentum unus erit tuae religionis fructus. Germinabit abunde populis istis par... Angelorum in Dominica ista Vinea, si falsos illos agricolas amoveris, quos non ipse aeternus Pastor constituit super familiam suam.

Compara, nobilis vir, et tibi tantam gloriam, et nationi tantum bonum! Quibus autem artibus Ruthenae Ecclesiae concordiam arctius in dies cum Romana firmare istic studebit Nobilitas Tua, iisdem sane pontificiam voluntatem firmius sibi obstringet.

Precamur interim Regem illum, qui dives est in misericordia, ut caelestium gratiarum thesauris remuneretur pietatem Nobilitatis Tuae, sui Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die 24 Septembris 1629, Anno Pontificatus Nostri sexto.

406.

Romae, 5 . XII . 1629

Urbanus VIII Archiepiscopum Kioviensem auctoritate munit permittendi Ruthenis unitis, ut in secundo matrimonio maneant, contracto vi Decretorum Synodorum Kioviensis vel Kobrinensis, ex quo primum matrimonium clandestine initum fuerat, dummodo hoc primum consummatum non esset.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 757, fol. 9, 48rv.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 116, nr. 46.

Ven. fratri Josepho Archiepiscopo Chioviensi.

URBANUS PAPA VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut christifidelium animarum tuae curae commissarum saluti, pro iniuncti tibi muneris debito, ex nostra et Apostolicae Sedis gratia melius prospicere valeas, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de Venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio, Fraternitati Tuae cum quibusvis Ruthenis unitis, qui post matrimonia clandestina non consummata, et ante illorum consummationem a te vigore dioecesanae Chioviensis vel provincialis Cobrinensis Synodorum irritata, secunda matrimonia inter se in facie Ecclesiae contraxerunt, illos prius a quibusvis excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos propterea quomodolibet incursis, iniuncta eis propter praemissa, arbitrio tuo, poenitentia salutari, in utroque foro, gratis tamen, absolvendo, ut in secundis matrimoniis huiusmodi remanere libere et licite possint et valeant, auctoritate nostra Apostolica dispensandi, dummodo tam vir, quam mulier sint Catholici, et mulieres propter hoc raptae non fuerint, eadem auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, certe risque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die V Decembris MDCXXIX., Pontif. Nostri Anno VII.

407.

Romae, 6 . XII . 1629

Synodus Kobryensis per Josephum IV, Metropolitam, ac per Episcopos eius suffraganeos A. D. MDCXXXVI celebrata, a SS. D. Urbano VIII, anno MDCXXIX, die VI Decembris confirmatur.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 757, fol. 52rv, 57.
IGNATIUS KULCZYNKI, *Specimen...* p. 215-20.

URBANUS PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini, nullis licet nostris suffragantibus meritis, immensa Redemptoris nostri benignitate praepositi, ex iniuncto nobis mu-

nere, felicem prosperumque Ecclesiarum quarumlibet statum et directionem sinceris desiderantes effectibus, his quae propterea praesertim per erundem Ecclesiarum praeates pie ac provide facta et decreta fuisse compemus, ut firma subsistant atque inviolabiliter observentur, Apostoli munimini adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut venerabilis frater Josephus, Archiepiscopus Kioviensis, Metropolita totius Russiae nobis nuper exponi fecit, ipse una cum Venerabilibus fratribus eius Archiepiscopis, Episcopis, Igumenis et Protopopis de anno MDCXXVI Synodum celebraverunt, in eaque nonnulla Decreta, quae a Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilii Tridentini interpretibus et negotio Propaganda Fidei praepositis, iussu nostro accurate perlacta, et aptata sunt, condita fuerint, tenoris subsequentis videlicet:

Die VI Septembris MDCXXVI, nos¹²¹, Josephus, Dei gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis, Halicensis, totiusque Russiae, Joachimus Vladimiriensis et Brestensis, Jeremias Ostrogiensis et Luceoriensis Episcopi, Antonius, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis et Mscislaviensis, Gregorius Pinscensis et Turoviensis, Leo Smolenscensis et Czernihoviensis Episcopi, cum Clero nostro, Archimandritis, Igumenis et Protopopis primariis, congregati in urbe Cobrinensi pro generali Synodo¹²² ex omnibus Russiae partibus Metropolitanae Kioviensi subiectis, invocato Sanctissimo Spiritu, consultavimus de bono statu sanctorum Ecclesiarum Dei, saluteque animarum a Deo nobis commissarum, ne probis pastoribus ac idoneis, qui illis doctrinae vitaeque exemplo praeluceant, destituantur; planeque perspeximus ab optima institutione iuvenum omne bonorum tam in ecclesiastico quam in politico hominum ordine pendere; ideo omnes unanimi mutuoque consensu constituimus, et synodalibus hisce decernimus, ut generale gymnasium uno in loco Metropolis Kioviensis erigatur, ad quod ex omnibus Russiae partibus nobilis conditionis homines, ritus graeci, filios suos, bonarum artium, et suae religionis, in qua nati sunt, disciplinis, quoad perfectiorem aetatem pertingant, imbuendos mittant, et ditiores quidem suis ut alantur sumptibus, pauperiores vero, qui illius seminarii praefectis ad discendum, per consequens gloriae Dei in ritu nostro propagandae idonei videbuntur, cuiuscumque postmodum sint futuri status, ut ipsius gymnasii sumptibus, quod Graecis φροντιστήριον. Latinis vero Seminarium nuncupare placuit, victum et amictum habeant stum. In quem finem singuli nostrum ex propriis redditibus nostris summam pecuniarum verbo nostro archiepiscopali promisimus, et praesentium tenore nostram fidem, modo quo patebit inferius, obligavimus. Ego Josephus, Metropolita, florenorum decem milla. Ego Joachimus, Episcopus, florenorum duo millia praeterea, quoad supervixero, singulis annis florenorum centum. Ego Jeremias, Episcopus, florenorum duo millia ad quadriennium, et post quadriennium ad alios quatuor annos mille ducentos florenos polonicos. Ego Antonius, Archiepisco-

¹²¹ Agitur de Josepho Velamin Rutskyj (1613-1637), Joachimo Morochovskyj (1613-1631), Hieremia Počapovskyj (1621-1636), Antonio Sielava (1624-1625) ab an. vero 1640 etiam Metropolita Kioviensi, Gregorio Mychalovyč (1626-1632), Leone Kreuza (1625-1639).

¹²² Cfr. de hac Synodo articulum I. Rudovyc, *De Synodo Kobrynsi an. 1626 habita*, in « Bohoslovia » II (1924), Lviv 1924.

pus, mille florenos. Ego Gregorius, Episcopus, florenorum duo millia et quingentos florenos. Ego, Athanasius Premys liensis et Saboriensis, Episcopus, quingentos florenos. Igumeni vero omnium monasteriorum Congregationis Vilnensis Sanctissimae Trinitatis ex singulis Caenobiis octavam partem suorum proventuum ad quadriennium, tam eorum monasteriorum, quae dictae Congregationi unita sunt, quam qua postea unientur. In particulari vero Minscense monasterium eidem Congregationi annexum, cum suis redditibus obtulimus. Praeterea praedicta Congregatio paeceptores latinos ad rhetoramicam usque ex nunc, eiusmodi magistros, qui idiomate ruthenico disciplinas sacerdotali ordini apprime necessarias tradant, promisit, prout opportunum fuerit. Porro hae summae omnes intra quadriennium in unum aggregandae sunt, et bona aliqua pro illis emenda. Quod si forte quispiam nostrum non dederit, citatus in duplum solvere teneatur; sin autem iterum renuerit, ab officio suo suspendatur. Deinceps iis collectis, ordinationem personarum fieri oportebit, quod a singulis nostrum ad illud seminarium mitti possint, iuxta contributionem singulorum, pro unaquaque persona numerando florenos centum polonicos pro victu et amictu. Alii vero seminaristae omnes iuxta voluntatem Metropolitae adsciscendi, ac pro eius libitu disponendi erunt. Cum autem generalis Synodus Episcoporum celebrabitur, provisores illius seminarii eligi debebunt praesente Protoarchimandrita, cui dicti provisores parere, atque omnia ex consilio et arbitrio illius agere et exequi debebunt. Protoarchimandrita autem in generali Synodo horum omnium rationes teneatur facere. Cuius rei causa litteras hasce cautionemque manu nostra subscribentes, et propriis sigillis munientes dedimus.

Singuli Episcopi in suis Synodis admonebunt presbyteros educandorum in aetate finita puerorum tam in bonarum artium disciplinis, quam in moribus, ad ordinem sacerdotalem attinentibus.

Fundationes et exemplaria privilegiorum, quaecumque apud sacerdotes nostros reperientur, ipsi ad suos Episcopos deferant; a quibus accipiens Episcopus, litteris suis attestabitur, quod acceperit, et quavis emergente necessitate exprimere, illisque concedere tenebitur.

Simoniae nota, tam in Episcoporum consecratione, quam in sacramentorum administratione, a presbyteris amoveatur quam longissime; hique ab omni omnino exactione abstinere meminerint sub poenis contra Simoniacos a sacris canonibus constitutis. Pernicosa et turpis Ecclesiae acquisitio, summa scilicet aliqua pecuniaria importata, eradicitur penitus, sub eisdem contra Simoniacos poenis, quae innotescere omnibus in episcopalibus synodis procurantur, poenaque imponatur.

Dent operam Episcopi et Protoarchimandritae, ut quotannis per litteras cum Metropolita conferant, significando de rebus ecclesiasticis; et Metropolita vicissim cum Sede Apostolica.

Haud facile duo presbyteri ordinentur ad unam ecclesiam, nisi magna parochia fuerit, ac multis temporibus divisa.

Ad uniformitatem in peragendo sacro missarum sacrificio retinendam, nullus ordinandorum a proprio Episcopo discedat, quod per aliquod temporis intervallum penes illum moram faciens liturgizare didicerit, nec non alia administrare sacramenta.

Religiosi Congregationis nostrae a nullo Episcoporum suscipiantur, nisi cum expressa cum litteris Superiorum suorum facultate.

Monasteria nequaquam a saecularibus sinantur occupari sacerdotibus, qui nullo iure, nullaque ad id facultate gaudent, sicut vice versa nec a monachis nostris saeculares ecclesiae, absque expresso generalis synodi consensu.

Intra quadriennium, quovis tempore ac loco a Metropolita praestitutis, Synodus generalis celebretur, de quo loco ac tempore quarta dehinc anni parte admonebuntur.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Josephus et alii Archiepiscopi, Episcopi. Igumeni et Protopopi praefati plurimum cupiant praeinserta decreta huiusmodi, quo firmius subsistant, exactiusque observentur, Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, Nos egregium ipsius Josephi aliorumque Archiepiscoporum, Episcoporum, Igumenorum et Protopotorum huiusmodi pietatem et catholicae religionis zelum, ac in Nos et hanc Sanctam Sedem devotionem plurimum in Domino commendantes, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus, illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de eorundem Cardinalium consilio, praeinserta Decreta synodalia huiusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes ac singulos tum iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerit, supplemus. Decernentes Decreta per Nos confirmata huiusmodi ab omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam in futurum spectabit, firmiter et inviolabiliter observari debere, irritum et saecularibus quam regularibus, caeterisque ad quos quomodolibet spectat, et inane, si quis secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignaranter contigerit attentari; ipsumque Josephum et alios praedictos hortantes in Domino, ut Decreta praedicta sic per Nos, ut praemittitur, confirmata, iuxta illorum formam et tenorem in suis dioecesis publicent ac publicari et inviolabiliter observari current et faciant realiter et cum effectu. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia robورatis statutis et constitutionibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die VI Decembris MDCXXIX, Pont. Nostri Anno septimo.

408.

Romae, 12 . XII . 1629

Decretum S. C. de Prop. Fide super matrimoniiis clandestinis Ruthenorum Urbanus VIII confirmat auctoritate Apostolica.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 757, fol. 62-63.

URBANUS PP. VIII. Ad futuram etc.

Licet universorum christifidelium curae nostrae divina providentia commissorum saluti iuxta creditum nobis desuper Apostolicae servitutis officium iugiter invigilemus, iis tamen peculiarem sollicitudinem impendimus, qui longioribus ab hac Sancta Sede terrae spatiis distantes, propensiorem eiusdem Sedis opem atque operam implorare dignoscuntur.

Hinc est quod Nos matrimoniiis clandestinis Ruthenorum unitorum, quantum nobis ex Alto conceditur, obviare volentes, de Venerabilium fratribus nostrorum S.R.E. Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, et negotio propagandae in universo mundo fidei praepositis consilio, inhaerentes decretis Catholicae Ecclesiae, quae ex iustissimis causis matrimonia clandestina huiusmodi semper detestata est, atque prohibuit, Apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus, ut in posterum antequam matrimonium inter dictos Ruthenos unitos contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, sive Popo, vel Protopopo nuncupatis, tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum sollemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrandum matrimonium (f. 62v) in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parochus vel Popus vel Protopopus ibi nuncupatus viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: «Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» vel aliis utatur verbis iuxta receptum eorum ritum; quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praeescent denuntiationes, tunc vel una trium denuntiatio fiat, vel saltem Parocho seu Popo vel Protopopo, et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia, ut si aliqua subsint impedimenta facilis detegantur, nisi Ordinarius loci expedire iudicaverit, ut predictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio relinquimus.

Qui aliter quam praesente Parocho, vel Popo, vel Protopopo aut alio sacerdote de ipsis Parochi, vel Popi, vel Protopopi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddimus et huiusmodi contractus irritos, et nullos esse decernimus, prout in praesenti Decreto irritos facimus et annulamus. Et insuper Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore (f. 63) testium numero, et testes qui sine Parocho, Popo, vel Protopopo seu sacerdote huiusmodi contractui inserviunt, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri etiam preecepimus, statuimusque, ut quilibet Parochus, Popus, vel Protopopus librum habeat, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

Quocirca omnibus et singulis Ordinariis locorum dictorum Ruthenorum unitorum in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut cum primum potuerint praesentes literas in singulis locorum praedictorum parochialibus ecclesias, popis seu protopopis nuncupatis publicari et explicari et ab eisdem Ruthenis unitis inviolabiliter observari carent, decernentes easdem praesentes in unaquaque parochia huiusmodi suum robur post triginta dies a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos habere, sicque et non aliter per quoscumque etc. Auditores iudic. etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac legibus et quibusvis etiam etc. roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis etc. innovatis. Quibus etc. derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, die 12 Decembris 1629, Anno 7.

409.

Romae, 14 . XII . 1629

Urbanus VIII mandat, ut Decretum Concilii Tridentini, matrimonia clandestina irritans, per omnes paroecias doceſium ruthenarum unitarum in provincia Metropoliae Kiovensis constitutarum promulgetur.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 757, fol. 58.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 118-120, nr 48.

URBANUS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

Licet¹²³ universorum christifidelium curae nostrae divina providentia commissorum saluti iuxta creditum nobis desuper Apostolicae servitutis officium, iugiter invigilemus, iis tamen peculiarem sollicitudinem impendimus, qui longioribus ab hac S. Sede terrarum spatiis distantes, propensiorem eiusdem Sedis opem atque operam implorare dignoscuntur.

Cum itaque sacrosanta Tridentina Synodus clandestinis matrimoniis, inconvenientibusque et peccatis inde provenientibus obviam ire volens, sacri Lateranensis Concilii, sub fel. rec. Innocentio PP. III, Praedecessore nostro, celebrati, vestigiis inhaerendo, inter alia Decretum tulerit tenoris subsequentis: « Tamensi dubitandum est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdui ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis

¹²³ Etiamsi de eadem re agitur, tamen ex parte formalis de alia agitur re. Inde et hoc novum documentum publici facere iuris utile fore duximus.

ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relecta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeat, idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continua diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur; ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes tunc vel una tantum denunciatio fiat: vel saltem parocho et duobus vel tribus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae, et iudicio Sancta Synodus relinquit. Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos praesenti Decreto irritos facit, et annullat. Insuper Parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. Praeterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent: statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem feciendam alii sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendant, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum, et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo Sancta Synodus coniuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimoni consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum pie accedant. Si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et ceremoniis hac in re utuntur, eas omnio retineri Sancta Synodus vehementer optat. Ne vero haec tam salubria paecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit, ut, cum primum potuerint, curent hoc Decretum

populo publicari, ac explicari in singulis suarum diocesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut huiusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis, in eadem parochia fatae, numerandos » (De Reform. matrimonii, Sess. XXIV. c. I.). Nos Decretum huiusmodi a Ruthenis unitis inviolabiliter observari volentes, de Venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium eiusdem Concilii interpretum et negotio propagandae in universo mundo fidei praepositorum consilio, omnibus et singulis Ordinariis locorum Ruthenorū unitorum huiusmodi in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus Decretum ipsum cum primum potuerint in singulis locorum praedictorum parochialibus ecclesiis ibi a Popis, Protopopis nuncupatis publicari et explicari ac ab eisdem Ruthenis unitis inviolabiliter observari curent et faciant realiter et cum effectu, decernentes, irritum et inane quidquid deinde secus ab eisdem Ruthenis unitis contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac legibus et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulxit et litteris Apostolicis, Superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriā dero-gatoriis et aliis Decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, aprobatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse dero-gamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamē alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibetur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Decembris MDCXXIX, Pontificatus Nostri Anno VII.

410.

Romae, 9 . III . 1631

Bulla provisionis coadiutoriae Metropolitae Kiovensis in persona Raphae-lis Korsak, Episcopi Haliciensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 964, fol. 375-378r.

Pro Raphaele Episcopo Alicien. coadiutoria Ecclesiae Chioviensis.¹²⁴ URBANUS etc. Venerabili fratri Raphaeli, Episcopo Alicien. salutem etc.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a celesti Pastore constitutus

¹²⁴ Agitur de Raphaele Korsak, Episcopo Haliciensi ab an. 1627. Metropolita Rutskyj iam inde ab anno 1624 de Coadiutore sibi concedendo instabat. Initio Metropolita de Hadriano Podbereskyj cogitabat, sed post eiusdem iuvenis obitum praematurum, Raphaelem sibi elegit. Etiamsi Coadiutoria iam anno 1628 quasi absoluta fuit, tamen Bulla ipsa tantummodo anno 1631 expediri potuit.

de statu Ecclesiarum quarumlibet, praesertim vero Metropolitanarum, ne aliquibus praegraventur incommodis more pii Patris prospicit diligenter, et ut Ecclesiae ipsae in spiritualibus, et temporalibus valeant salubriter gubernari, iuxta datam sibi a Domino intelligentiam de congruae provisionis auxilio providet opportune, prout temporum qualitas exigit, et Ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet ad hoc quoque exactae diligentiae studium exhibit, ut eisdem Ecclesiis illarumque occurrente vacatione pastores praeficiantur idonei, qui populum sua curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico, et tranquillo velint, et valeant auctore Domino, salubriter regere, et feliciter gubernare. Hinc est, quod nos statui, et indemnitati Ecclesiae Kiovien. consulere, et Ven. fratri nostro Josepho Archiepiscopo Kiovieni, Ritus Graeci, et totius Russiae Metropolitano de Coadiutore idoneo providere cupientes, ac sperantes, quod tu, qui Ecclesiae Alicien. hactenus laudabiliter praefuisti, et eidemque Josepho pro Suffraganeo deservisti, considerantes grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum Largitor altissimus insignivit eisdem Alicien, et Kiovien. Ecclesiis esse poteris plurimum fructuosus, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, te pro quo clarissimus in Christo filius noster Sigismundus, Poloniae Rex Illustris, nobis ad hoc per suas litteras supplicavit eidem Josepho Archiepiscopo quoad vixerit, et dictae Ecclesiae Kiovien. praefuerit in Coadiutorem perpetuum, et irrevocabilem in regimine, et administratione dictae Ecclesiae Kiovien. in eisdem spiritualibus, et temporalibus cum plena, libera, et omnimoda facultate, potestate, et auctoritate faciendi, gerendi, et exercendi omnia et singula, quae ad huiusmodi Coadiutoriae officium de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet spectant et pertinent, etiam in his quae sunt ordinis, vel officii pontificalis. Ita tamen quod nihil in officio huiusmodi exercere, nec etiam de fructibus, redditibus, et proventibus mensae Archiepiscopalis Kiovien. praedicto Josepho Archiepiscopo in humanis agente aliquid percipere valeas nisi de expresso eiusdem Josephi Archiepiscopi consensu, et voluntate, de fratum eorundem consilio Apostolica auctoritate tenore praesentium constituius, et deputamus, et nihilominus Josepho Archiepiscopo cedente, vel deceidente seu praedictae Ecclesiae Kiovien. quomodolibet praeesse desinente atque illa quovis modo vacante ex nume prout ex tunc, et ea die, et e contra de persona tua etiamsi tempore vacationis dictum Coadiutoris officium non inceperis, aut per te steterit quominus illud exercueris, eidem Ecclesiae Kiovien. de simili consilio dicta auctoritate providemus, teque illi in Archiepiscopum, et pastorem praefectum esse decernimus, curam, regimen, et administrationem eiusdem Ecclesiae Kiovien. tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos dicta Ecclesiae Kiovien. per tuae circumspectionis industriam, et studium fructuosum regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa.

Impositum igitur tibi a Domino onus regiminis, et administrationis huiusmodi sic sollicite geras, et fideliter prosequeris quod exinde sperati fructus adveniant, ac tuae bona famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur ipsaque Ecclesia Kiovien. gubernatori provido, ac fructuoso

administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram, et Sedis Apostolicae benedictionem, et gratiam exinde uberiorius consequi merearis.

Quocirca Ven. Capitulo dictae Ecclesiae Kiovien., Clero, et populo civitatis, et dioecesis Kiovien. per Apostolica scripta mandamus, quatenus Suffraganei tibi in his, quae ad huiusmodi Coadiutoris officium pertinent illo durante, et deinde tamquam membra capiti obsequentes et Capitulum tamquam Patri, et animarum suarum Pastori humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam, et reverentiam congruentes, ita quod mutua inter te et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; ac Clerus te pro nostra, et dictae Sedis reverentia benigne recipientes, et honorifice pertractantes tua salubria monita, et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere studeant; populus vero te tamquam Patrem, et Pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita ut tu in eis devotionis filios, et ipsint per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis; Vasalli autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam, et consueta servitia ac iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Rogamus quoque charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem Illustrem quatenus te praedictamque Ecclesiam Kiovien. habens pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis, et conservandis iuribus vestris, sic vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu eius celsitudinis fultus praesidio in commisso tibi curae pastoralis officio possis Deo propitio prosperari, et eidem Sigismundo Regi exinde a Deo perennis vitae praemium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Nos enim tecum, ut etsi graduatus non sis, nihilominus quia ad alios docendum idoneus existis, et super eo quod natus sis ex parentibus haereticis, ac quod nulla praevia super praemissis dispensatione promotus fueris ad Episcopatum Alicien. revalidantes omnia acta inde sequuta et per te facta et gesta etiam coadiuvando, et deserviendo pro Suffraganeo eidem Josepho Archiepiscopo, ut ex nunc dictae Alicien. Ecclesiae Praesul et Pastor existere, et dictum Coadiutoris officium exercere, illo vero cessante Kiovien. Ecclesiae huiusmodi in Archiepiscopum praefici illique praeesse; ita tamen ut cum primum in viam provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis, et administrationis dictae Ecclesiae Kiovien. illiusque bonorum, seu maioris partis eorum assecutus fueris dicta Ecclesia Alicien. vacare censeatur, eo ipso libere et licite possis, et valeas defectu gradus, et originis huiusmodi, aliisque praemissis ac generalibus conciliis nec non quibusvis aliis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis et Ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate, et tenore praemissis de specialis dono gratiae dispensamus. Volumus autem quod officio Coadiutoris huiusmodi durante ab alienatione

qualibet bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium praedictae mensae Archiepiscopalis Kiovien. te penitus abstineas, et de iis quae ratione officii Coadiutoris huiusmodi administraveris non solum in districto examine, sed etiam eidem Josepho Archiepiscopo iuxta tenorem Constitutionis fe.re. Bonifatii PP. VIII. Praedecessoris nostri, quae incipit «*Pastoralis*» rationem reddere tenearis etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae MDCXXXI, sexto Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

GENTILIS MONTANUS

411.

Romae, 20 . VIII . 1631

Breve Urbani VIII confirmans Decretum S. Congregationis de Propaganda fide super redigendis in unam Congregationem Monachis ruthenis, et eligendo ab iisdem Protoarchimandrita ac celebrandis Capitulis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 777, fol. 47rv.

Bullae et Brevia..., I Poczajowiae 1767, p. 49-51.

DE MARTINIS R., op. cit., I, p. 130.

URBANUS PP. VIII. Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit Venerabilis frater Josephus, totius Russiae Metropolita, quod alias a Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotio propagandae in universum mundum fidei praepositis emanavit Decretum tenoris subsequentis: Decretum Sacrae Congregationis de propaganda fidei, habitae die Octobris MDCXXIV, coram Sanctissimo. Sacra Congregatio convenientissimum esse censuit, ut Monachi rutheni uniti in Congregationem redigantur, quod si fecerint, eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem, seu Proto-Archimandritam totius Russiae, et singulis quadrienniis Capitula generalia congregandi, in eisque Constitutiones, rationabiles tamen, et sacris Canonibus, Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum Constitutionibus non repugnantes conficiendi, a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quae interim tamen, ne disciplina regularis patiatur detrimentum a praefatis Monachis observanda erunt, donec aliter per Sedem Apostolicam fuerit definitum. Cum autem, sicut eadem dispositio subiungebat, praedictus Josephus plurimum cupiat Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, Nos eundem Josephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendarum, harum serie absolventes et absolutum fore centes supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium consilio Decretum praeinsertum huiusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac

omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, nec non Decretum huiusmodi, ac praesentes literas, valida, firma, et efficacia existere et fore, dictisque Monachis in omnibus, et super omnia plenissime suffragari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et causarum palati Apostolici auditores iudicari et definiri debere, et irritum ac inane, si quid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariais quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XX Aug. Anno MDCXXXI, Pontificatus Nostri Anno nono.

A. M. MARALDUS

412.

Roame, 5 . VI . 1631

Provisio Ecclesiae Hierapolitane sub Patriarchatu Antiocheno in partibus infidelium in persona Meletii Smotryckyj.

ASV, *Aschivio dei Brevi Apostolici*, vol. 775, fol. 45-48.

Dilecto filio Meletio Smotriski, Electo Hierapolin.¹²⁶

URBAUS PP. VIII. Dilecte etc.

Romanus Pontifex etc. providet opportune. Sane Ecclesia Hierapolitana, quae in partibus infidelium sub Patriarchatu Antiocheno consistit, ad praesens certo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, modo, Pastoris solatio destituta, Nos vocatione huiusmodi etc. (*ut supra sub data 9 . III . 1631*) diligentem, demum ad te ex legitimo matrimonio, ex catholicis honestisque parentibus natum, et in sacro Praesbyteratus Ordine constitutum, qui vitae integritate etc. quique fidem catholicam iuxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es, cuique apud Nos de vitae munditia etc. mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis atque ad hoc ut melius animatus, maiorique auctoritate suffultus unionem Schismaticorum tanto magis promovere valeas, te quibusvis etc. censentes, Ecclesiae praedictae de persona tua nobis et fratribus eisdem ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providemus teque illi in Archiepiscopum praeficimus et Pastorem, curam etc. incrementa.

Jugum igitur Domini etc. merearis. Quocirca dilectis filiis nostris (f. 48) universis Suffraganeis etc., observari.

Non obstantibus generalis Concilii nec non quibusvis constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 5 Junii 1631, Anno 8.

A. M. MARALDUS

413.

Romae, 10 . III . 1632

Concordia Archiepiscopi Kioviensis cum Archimandrita Zydycynensi quoad Episcopatum Volodimirensem ab Urbano VIII confirmatur.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 795, fol. 58rv, 64.

URBANUS PP. VIII. Ad futuram etc.

Exponi nobis nuper fecerunt Venerabilis frater Josephus, Archiepiscopus Chioviensis, Metropolita Russiae, et dilectus filius Josephus Mokosiciey¹²⁵, Monachus expresse professus Ordinis Sancti Basilii, Archimandrita Zidiciensis, quod ipse Josephus Archiepiscopus ac Ecclesiae Volodomiriensis Administrator Apostolica auctoritate deputatus cum praedicto Josepho Archimandrita ad ipsam Ecclesiam Vlodimirensem, ad quam, dum pro tempore vacat, nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae et Sueciae Regem Illustrem, ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare dignoscitur, per obitum bo.me Joachimi¹²⁶ illius ultimi Episcopi iam defuncti vacantem, per ipsum Sigismundum Regem nobis ad hoc per suas litteras praesentatas, ad certam sub nostro, et Sedis Apostolicae beneplacito devenit concordiam, et transactionem, per quam inter alia venerunt, quod administratio dictae Ecclesiae Vlodimirensis apud ipsum Josephum Archiepiscopum iuxta consensum dicti Sigismundi Regis, ut etiam asseritur, praestitum, maneat ad triennium, quo elapsa ipse Josephus Archimandrita, in vim provisionis, et praefectionis de eius persona in Episcopum Vlodimirensem per nos facienda, possessionem ipsius Ecclesiae Vlodimirensis caperet, et munus (f. 58v) consecrationis susciperet, et insuper Venerabili etiam fratri Raphaeli, Episcopo Haliciensi, dicti Josephi Archiepiscopi Coadiutori cum futura successione Apostolica auctoritate deputato, pensionem annuam sexcentorum florenorum monetae Regni Poloniae, eius vita durante, persolveret, et alias prout in publico desuper confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, Josephus Archiepiscopus et Josephus Archimandrita praedicti plurimum cupiant concordiam et transactionem huiusmodi pro earum validitate et inviolabili observantia Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, Nos illos specialibus etc. censes, supplicationibus illorum nomine etc. inclinati, concordiam et transactionem praedictas, et prout illas concernit desuper confectum instrumentum huiusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes easdem concordiam et transactionem, ac praesentes literas validas, firmas et efficaces existentes et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter obsenser-

¹²⁵ Josephus Mokosij Bakoveckyj, nominatus Episcopus Volodimirensis an. 1632. Obiit anno 1650.

¹²⁶ Joachimus Morochovskyj (1613-1631).

vari et adimpleri, sicque per quoscumque Iudices etc. Auditores etc. iudicari etc. attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac, quatenus opus sit, dictarum Ecclesiarum et quibusvis aliis etc. consuetudinibus (f. 64), privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris certeisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 10 Martii 1632, Anno 9.

A. M. MARALDUS

414.

Romae, 21 . IV . 1632

Urbanus VIII inducit auctoritate Apostolica apud Ruthenos unitos Russiae et Poloniae impedimentum clandestinitatis, quod vim habeat post dies triginta a promulgatione huius Decreti in unaquaque parochia.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 786, fol. 9rv.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 139-140, nr. 58.

URBANUS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

Licet universorum christifidelium curae nostrae divina providentia commissorum saluti, iuxta creditum nobis desuper Apostolicae servitutis officium, iugiter invigilemus etc.

Hinc est, quod nos matrimoniis clandestinis Ruthenorum unitorum quantum nobis ex alto conceditur obviare volentes¹²⁷...

Qui aliter, quam praesente Parocho, Popo vel Protohopopo, vel alio sacerdote de ipsis Parochi, Popi vel Prothopopi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attendabunt, eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddimus, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernimus, prout in praesenti Decreto irritos facimus et annullamus; et insuper Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes qui sine Parocho, Popo vel Prothopopo seu sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos Contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri etiam praecipimus, statuimusque ut quilibet Parochus, Popus vel Prothopopus librum habeat, in quo et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describet, quem apud se custodiat.

Decernentes easdem praesentes in unaquaque parochia huiusmodi suum robur post triginta dies a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos habere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios etiam causarum palatii nostri Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac legibus et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quo-

¹²⁷ Prout sub data 12-XII-1629. Cfr. supra.

que, indultis et litteris Apostolicis superioribus vel personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodo libet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus certeisque contra-riis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXI Aprilis MDCXXXII, Pontificatus Nostri Anno IX.

415.

Romae, 29 . IV . 1632

Urbanus VIII Episcopo Vilnensi Abrahamo Wojna Ecclesiam Unitam recom-mendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 46, fol. 102.
BIBL. VATICANA, *Barb. lat.*, vol 2202, fol. 61v-62.

Venerabili Fratri Abrahamo Episcopo Vilnensi¹²⁸.
Ei commendantur Rutheni uniti.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Episcopalis sacerdotii autoritatem haberi decet patrocinium fidelium, et praesidium religionis. Eam vero si quis odio, aut gratiae gratificaretur, cupiditatibus saeculi serviens in regno caelorum, videretur dedecorare ministerium Christi, et Pontificis sempiterni ultiōnem commereri. Ab huiusmodi culpa speramus fore ut semper absit Fraternitas Tua, quae Vilnenses in sacra fronte infulas gerens, creditur coronata esse scuto bonae voluntatis et dignitatem Ecclesiae propriis rationibus anteferre; quinimmo a propriis rationibus nunquam existimare seiunctam. Quare speramus fore, ut laudibus potius, quam admotionibus locum pro tua prudentia relinquas.

Nunc autem faventes tui nominis gloriae, voluimus tibi commendare Ruthenos unitos, qui tam praeclara Praedecessori tuo Eustachio beneficia se debere (102v) profitentur. Experiantur mortuam non esse in Fraternitate Tua beneficam tam praeclari Antistitis virtutem. Nos enim qui Ruthenae Unionis negotia semper curabimus et Russiae Metropolitam, eiusque Praesules ac Monachos pontificali patrocinio carere nunquam patiemur, non vulgare tuae pie-

¹²⁸ Abrahamus Wojna (1630-1649). Hic iam inde ab an. 1618 cum Metropolita Kiovensi de praecedentia contendebat, et Ecclesiae Unitae non tam favebat ac eius Praecessor, Eustachius Wollowicz (1615-1630). Inde in hoc Brevi Urbanus VIII ei Ecclesiam Unitam modo speciali commendat.

tatis solatium acceptum referemus, et tutelam coeli, populorum plausum, et benedictiones Ecclesiae gratulari poterimus Fraternitati Tuae, cui peramanter benedicimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Aprilis MDCXXXII, Anno Pontificatus Nostri nono.

416.

Romae, 31 . VII . 1632

Archiepiscopo Gnesnensi Rutheni uniti commendantur.

ASV, *Ep ad Principes*, vol. 46, fol. 148.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2202, fol. 174.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi¹²⁹.

Commendantur Ruthenorum unitorum rationes.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Spectaculum gloriae in polonis provinciis offertur christiano orbi. Iste enim praeter Regum potentiam, et nobilitatem Procerum, trophya fortitudinis, et sapientiae studia perinde, ac beneficia coeli suspiciuntur. Plane nisi in religione dissidiis istarum nationum charitas distraherentur, dicere gaudentes possemus: Dominus istic regnavit, decorem scientiae, et fortitudinem praelii indutus.

Nunc si vulnera diabolico veneno tabescentia possent pontificii sanguinis medicamento curari, iucundum nobis esset Pastorem bonum imitantibus, animam nostram ponere pro oibis nostris. Quae tamen ab authoritate pontificatus, et sollicitudine pietatis expectari possunt auxilia, ea nunquam frustra desiderari patiemur. Quinimo etiam ad preces, et hortationes Apostolicus zelus descendet, ut animas Christo, et B. Petro lucretur. Vix dici potest, Venerabilis frater, quibus curis cor nostrum obsideant (f. 148) in praesentia Ruthenae Unionis pericula. Cupimus eam catholici gregis partem, quam aeternus Pater familias secrevisse videtur haereditatem sibi perfri benevolentia, et amari patrocinio polonae Nobilitatis. Speramus fore, ut tam pii voti compotes eximiis laudibus semper ornaturi simus salutaria istius Senatus consulta.

Quia tamen debemus in mandatis Domini velle nimis, decrevimus in praesenti poloni Conventus opportunitate alloqui Fraternitatem Tuam. Audiantur ex ore tuo verba vitae, quae oracula salutis habeantur, distinge gladium

¹²⁹ Joannes XII Weżyk (1626-1638).

¹³⁰ Agitur de s.d. « pacificatione religionis Graecae ». Post mortem nempe Sigismundi III non Uniti in Comitis electionis novi Regis multa obtinuerunt sibi promissa, et modo speciali, ut eorum Hierarchia an. 1620 restabilita agnosceretur. Praeterea quasdam obtinuerunt Eparchias, monasteria, ecclesias, quae hucusque de iure ad Unidos pertinebant. Tota haec concordia diversis constabat « punctis pacificationis ». Princeps Vladislau instabat, Uniti protestabant et ad Sedem Apostolicam recursum fecerunt. Sedes Apostolica « punctis » his sese opposuit. Revera non obstantibus instantiis Regis Poloniae negotium hoc fere usque ad an. 1643 protrahebatur. Cfr. hac de re opus ZACHARIAE AB HAARLEM, *Unio Rethenorum a morte Sigismundi III usque ad coronationem Ladislai IV: 1632-1633*, Tartu 1936.

ancipitem, quod est verbum Domini, argue, obsecra, in omni patientia, et doctrina, ut Ecclesia Catholica in gravissimo hoc Ruthenorum unitorum negotio¹⁵⁰ illustria solatia accepta referre possit piis Senatoribus, et Fraternitati Tuae. Nuntium Apostolicum nostrae interpretem sollicitudinis eadem qua Nos ipsos fide audiri a te volumus, in cuius magistratu cupimus religionis praesidia, et gaudia fidelium augeri.

Datum ut supra (Romae apud S. Petrum, etc.. die 31 Julii 1632).

417.

Romae, 21 . XII . 1632

Causa Ruthenorum commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 42-43, nr. 33.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 17.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.
Gratulatur de electione Vladislai Regis Poloniae, et commendat illi causam Ruthenorum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Laetitia quae ex optimi Regis electione ad omnes manavit, pluribus nominibus nobis peculiaris est, qui mirifice auctam in charissimo filio, ac fortissimo catholicae fidei defensore potentiam, et cumulatam dignitatem maximo Christianae Reipublicae commodo videmus. Eius magnam partem ad Fraternitatem Tuam pertinere norunt iii, quibus perspectum est adhibitum a te studium in Comitiis, quo ipse regii honoris amplitudinem consequeretur. Qua in re de catholica religione te optime meritum fuisse cum omnes boni fatentur, tum Nos pro paterna erga Polonię charitate, plurimum gaudemus. Tu quidem in omnibus, quae ad tuendam Ecclesiae auctoritatem spectant tallem te adhuc (f. 43) praestitisti, ut pietas tua ultro Nos incitat ad ea tibi commendanda, quae illi non mediocrem allatura utilitatem intelligimus.

Ruthenorum res, qui se ad Apostolicam unitatem aggregarunt, a Schismatis (quod te non fugit) in disceptationem vocantur. Cuius causae ratio eo deducta est, ut magnopere indigeat patrocinio tuo. Plures enim habet oppugnatores atque una cum ipsa de catholicae fidei dignitate agitur. Horum hominum defensionem libentius (ut arbitramur) suscipes, erga tam piam causam optimè animatum certo scias.

Patrem misericordiarum rogabimus, ut egenos de manu persecutorum liberet, et consilia dissipet, quae adversarii malignaverunt super populum suum. Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXI Decembris MDCXXXII, Anno Pontificatus Nostri decimo.

418.

Romae, 21 . XII . 1632

Cardinali Poloniae Rutheni catholici defendendi commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 43rv, nr.32.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 16v.

Dilecto filio nostro Joanni Alberto,
S.R.E. Diacono Cardinali Poloniae nuncuptato¹³¹.

Commendat illi patrocinium Ruthenorum, qui Sedis Apostolicae primatum agnoscunt.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc.

Rutheni, qui iam pridem Romani Pontificis potestatem agnoverunt, maximam sibi eo nomine apud Catholicos conciliarunt benevolentiam, dignique sunt a quibus omnes Schismaticorum iniuriae, et conatus propulsentur. Eorum ut patrocinium suscipias et res tua auctoritate tuearis, pro paterna nostra erga illos charitate, studiose a te petimus. Habebit benignitas tua ad hanc causam plurimum in Regis voluntate adiumenti, qui ut aequum ac rectum quadam animi inductione communiter fovet, ita in huiusmodi hominum pietatem peculiariter est propensus. Ad hanc laudem non est quod te pluribus hortemur, quem insita iam a pueritia religio satis excitat, maiorum urgent exempla, episcopalnis denique muneric ratio impellit.

Dominus qui errantes filios in unum ovile cogit, et dispersiones Israelis congregat, suo tibi praesidio adsit, ut eos qui in Apostolicae Ecclesiae asylum se receperunt (f. 43v) ab adversariorum iniuriis salvos, atque incolumes praestare possis, dilecte fili noster, cui Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die XXI Decembris 1632, Anno Pontificatus decimo.

419.

Romae, 1 . I . 1633

Regi Poloniae Rutheni uniti protegendi commendantur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 47, fol. 46.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 2203, fol. 18.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 402, nr. 339.

Charissimo in Christo filio nostro Vladislao Sigismundo,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri¹³².

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Non potuimus non permoleste ferre, quae contra Ruthenos Romanae Ecclesiae obtemperantes a Varsaviensi Conventu per Schismaticos extorta esse narrantur. Molestia vero vehementer est aucta, cum nuntiatum est nefarios homines omni ope contendere, ut ea rescindantur, quae tanto labore tantoque cum fructu Clementis Octavi decessoris nostri auctoritate in Brestensi Concilio pro Catholicae Religionis conservatione constituta ac stabilita sunt. Accedit, quod quae adversarii inducere conantur, tolerari, salvis sacrorum Canonum ac

¹³¹ Agitur de fratre Vladislai IV, filie Sigismundi III, Episcopo Cracoviensi (1631-1634). Hic ab anno 1629 (19-XI) in « pectore tacite reservatus », publicatus est Cardinalis S.R.E. die 20-XII-1632, cum tit. S. Mariae in Aquiro. Obiit an. 1634, die 29 Decembris. Cfr. P. GAUCHAT, *Hierarchia Catholica...*, vol. IV, p. 23.

¹³² Novus Rex Poloniae et Suetiae, electus an. 1632, coronatus an. 1633 (mense februario). Obiit anno 1648.

generalium Conciliorum sanctionibus, nequaquam possunt; quo fit, ut pro certo habeamus Maiestatem Tuam, cum primum intellexerit, quanto Religio-
nis detimento publicae quietis inimici haec aggregantur, in eo maxime evi-
gilanturam, ut quae illi temere machinati sunt, ad nihilum recedant. Tua certe
pietas tanta est, tamque omnibus nota constantia, ut maxime confidamus te ultro
daturum operam, ut huiusmodi capita ex Comitiorum actis deleantur, aut
saltem effecturum, ut omni vi ac pondere careant, ac si plane irrita atque
inania essent. Caetera in hanc rem ex Nuntio nostro audies. Maiestati Tuae
Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, etc., die prima Iannuarii MDCXXXIII, Anno decimo.

420.

Romae, I . I . 1633

*Metropolita Kiovensis hortatur, ut invigilaret ne quid contra S. Unionem
attentetur.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 47.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 19.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 403, nr. 340.

Venerabili fratri Metropolitano Ruthenorum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Audivimus, quae Schismatici adversus vos in proximis Comitiis petierint,
ac non sine ingenti molestia cognovimus, ea non obscure ad vestrae unionis
exitium ac perniciem spectare. Haec in Brestensi Concilio de Clementis Octavi
summi Pontificis consensu a Fraternitatis Tuae decessore optime constituta est,
ita a nobis atque a te, qui eorum muneric successores sumus, omni studio ac
diligentia servari et custodiri debet. Nos quidem, ut communis Parentis par-
tes impleremus, Archiepiscopo Larisseno, Nuntio nostro, mandavimus, ut nullum
industriæ nullumque officii genus omittat, quo Regem ad tam iniqua
petitionum capita ex Comitiorum tabulis expungenda, vel certe ad eorum exe-
quutionem impediendam induci posse viderit. Id autem a summa ipsius pie-
tate, atque erga rem catholicam observantia facile impetratum iri confidimus.
Tu vero vigila, in omnibus labora, ac muneric tibi demandati memor, una
cum aliis tuis Episcopis impiorum conatibus, quantum divina gratia dederit,
obsiste. Gratum nobis erit, si Nuncio Apostolico omnia suggeras quaecumque e
re fore existimaveris, ita enim fiet, ut ille te et tu vicissim illum in iis, quae ad
Dei causam pertinent, adiutorem habeas. Fraternitati Tuae Apostolicam be-
nedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die I Ianuarii
MDCXXXIII, Pontificatus Nostri Anno decimo.

421.

Romae, I . I . 1633

Iterum negotium Ruthenorum Cardinali Poloniae commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 45v-46.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 18v.

Dilecto filio nostro Joanni Alberto,
 S.R.E. Praesbitero Cardinali Poloniae nuncupato.
 Commendat illi causam Ruthenorum catholicorum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, salutem etc.

Venerabiles fratres Archiepiscopus Larissenus, Nuntius noster, et Gnesnensis, ac Russiae Metropolitanus cum Rege, fratre tuo, de Haereticorum, et Schismaticorum postulatis agent, quae proximis Interregni Comitiis adversus Ruthenos cum Romana Ecclesia sentientes exhibita sunt. Eos quod optimam tueantur causam, quodque ab isto Regno haeresis perniciem, ac publicae tranquillitatis perturbationem depellere studeant, tuo praesidio atque adiumento summopere dignos existimamus.

Erit pietatis tuae quaecumque in Ruthenorum cum Sede Apostolica reconciliatione Clementis VIII, Summi Pontificis auctoritate sancita sunt, custodire; erit prudentiae atque industriae perniciosissimas de religione dissensiones, quae his maxime conatibus aluntur, atque in dies propagantur, de medio tollere. Pro comperto habemus in huiusmodi causae patrocinio, Nos neque diligentiam tuam ulla ex parte desideraturos.

Optamus vehementer atque a te magnopere (f. 46) contendimus, ut quae a Schismaticis tanto cum Catholicorum damno, ac dedecore tentata sunt, te pro vera religione propugnante inania plane, atque irrita fiant. Id et tuo nomini erit gloriosum, et Deo, cuius causa omnia velle debemus, cum primis gratum. Tibi Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae etc., die prima Januarii 1633, Anno Pontificatus decimo.

422.

Romae, I . I . 1633

Idem Archiepiscopo Gnesnensi commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 46.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 18v.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi
 Simile argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Graviter admodum, ac moleste tulimus quae de Haereticorum ac Schismaticorum postulatis adversus Ruthenos Romanae Ecclesiae consentientes, in Varsaviensi Conventu agitata sunt; quippe qui animo providemus, quan-

tum Catholicae Religioni, quantum iis, qui Sedis Apostolicae auctoritatem sequuntur, detrimenti sint allatura. Res est non minus ecclesiasticis decretis, et generalibus Conciliis, quam divinis legibus aperte repugnans; id quod et Cardinales, qui propagandae christiana fidei negotiis praesunt et alii permulti Theologiae, et Sacrorum Canonum scientia (f. 64v) insignes, quos ea de re consulimus, palam professi sunt.

Maiorem in modum a Tua Fraternitate petimus, ut in iis, quae Schismaticis permissa dicuntur, antiquandis, abrogandisque omne studium, omnemque diligentiam adhibeas, aut si id minus fieri possit, des operam, ut effectu plane carent. Regemque doceas quam ea sint christiana rei perniciosa, quamque ab eius erga Catholicam Religionem observantia aliena; neque dubitamus quin ille ubi perspexerit quantum periculi universo Poloniae Imperio creare possint a Ruthenis, de quibus agimus, iniurias omni ope avertat.

Tu vero tibi persuadeas plurimum ad hanc causam praesidii atque adiumenti in tua prudentia, atque auctoritate (quae constans est omnium opinio) collocatum esse. Si Regem consilio atquehortatione confirmaveris, si ab innocentibus imminentia damna prohibueris, et maximam apud Deum mercedem promereberis, et singularem apud Sedem Apostolicam inibis gratiam, patriamque tuam ab ingenti quam catholici nominis hostes moliuntur calamitate eximes. Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die prima Januarii 1633, Anno Pontificatus Nostri decimo.

423.

Romae, 1 . I . 1633

Idem negotium commendatur tribus Episcopos polonis. a Nuntio Apostolico determinandis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 48rv.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 19v.

Eiusdem argumenti tribus Episcopis.
Simile argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Quae ab Haereticis, atque Schismaticis ad Ruthenos, qui se Romanae Ecclesiae adiunxerunt oppugnandos, in Varsaviensibus Comitiis postulata sunt, ea ad fidei catholicae perniciem, atque ad perturbandam totius Regni tranquillitatem excogitata esse noveris. Non enim obscure, sed palam, atque in publico Ordinum conventu velle se ex illorum ruina crescere professi sunt. Id si perfecerint, praeterquam quod maximi labores pro Ruthenis Sedi Apostolicae conciliandis suscepti, suo fructu carebunt, miserabilis erit, ac plane luctuosa eorum calamitas, qui immanni adversariorum (f. 48v) insectatione deterriti, vel oppressi ad ipsorum impietatem deficient.

Fraternitas Tua, quae (ut par est) imminentibus patriae periculis maxime movetur, omni ope ac studio curare debet, ut nefarii homines sua frustati spe, de tam iniquo conatu gloriari non possint. Ea est in Rege pietas, ea erga religionem observantia, ut omnia ab illo pro Dei causa propitia tibi polliceri possis. Confidimus te, qui alias in rebus Ecclesiae propagandis, promovendisque diligens ac strenuus fuisti, hoc tempore tui similem futurum. Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die prima Januarii 1633, Anno Pontificatus Nostri decimo.

424.

Romae, 1 . I . 1633

Eadem causa Ruthenorum tribus Nobilibus polonis ab Urbano VIII commendatur, designatis secundum opinionem Nuntii Apostolici.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 48rv, nr. 40.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 20.

Eiusdem argumenti tribus nobilibus viris.
Simile argumentum.

URBANUS PP. VIII. Nobilis vir, salutem etc.

Eo erga patriam pietatis vinculo cives obstricti sunt, ut illius detrimentis, atque incommodis multo quam suis vehementius affici debeant, quod causae est cur te, qui non modo veteri familiae tuae institutione, sed etiam exercitatione virtutum, cui a puero asuevisti erga illam mirabiliter es propensus (f. 48v) maxime commoveri necesse sit, cum vides in Ruthenis, qui Apostolicae Sedis auctoritatem agnoverunt, oppugnari ab Haereticis, et Schismaticis catholicam fidem, sanctiones optime constitutas violari, Sacrorum Canonum, et Conciliorum Decreta contemni, totius denique Reipublicae tranquillitatem, quae in populorum concordia, et consensione praecipue sita est, plane subverti.

Nos qui tantis filiorum detrimentis obviam ire summopere cupimus, Nobilitatem Tuam, quam et publici boni amantem, et catholicae religionis obsequio addictam novimus impense hortamur, ut in tam pia causa ostendat quanti christiana fidei defensionem et Romanae Ecclesiae dignitatem semper fecerit. Uttere ad miserorum sublevationem auctoritate qua plurimum vales, utere potentia quam tuae tibi virtutes, ac generis nobilitas merito compararunt. Habebunt haec (quod optamus) non exiguum pondus ad inimicos in officio continendos. Ingens habebunt momentum ad eos qui timidi, ac nataentes sunt confirmandos. His ubi accesserit Regis voluntas, quae sua sponte erga Catholicos maxime propensa est, non dubitamus, quin omnia ex sententia brevi confiantur. Nobilitati Tuae Apostolicam bendictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die prima Januarii 1633, Anno decimo.

425.

Romae, 1 . I . 1633

Duci Olicae Pontifex congratulatur de eius opera in electione Regis et defensione catholicae religionis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 49r, n. 41.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 20v.

Dilecto filio, nobili viro, Duci Olicae.
Laudat illum quod in Vladislai Poloniae Regis electione suam operam posuerit.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc..

Plurimum tibi se debere Polonia omnium suorum vocibus semper fatebitur, quod illi Regem praeficiendum summopere curaveris, in quo et catholica fides patrocinium, et miseri perfugium, et boni adversus improbos auxilium nanciscantur. Nec parum universa Christiana Respublica tibi obstricta est, quae te adiuvante fortissimum ducem adversus Turcas, aliasque barbaras nationes velut in praesidio pro communi salute excubantem habet.

Haec autem eo sunt ad tui nominis famam magis illustria, magisque ad posteritatis memoriam gloria, quo ad plurimos tanti beneficii utilitas manavit. Nos qui egregie facti aequam aestimationem habemus, Nobilitatem Tuam paterna charitate benevole complectimur, tibique eximiam laudem vehementer gratulamur, atque a Deo amplissimum laboris tui premium optamus.

Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die prima Ianuarii 1633, Anno Pontificatus Nostri decimo.

426.

Romae, 29 . I . 1633

Iterum causam Ruthenorum catholicorum Archiepiscopo Gnesnensi defendendam Pontifex Romanus inculcat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 47, fol. 80rv, nr. 98.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2203, fol. 39v.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae de Vladislai Regis electione aliorum litteris allata sunt gratissima illa quidem nobis fuerunt, tum quod summam hominus nobis chari (f. 80v) dignitatem nuntiarunt, tum quod maximam publicae utilitatis spem attulerunt; ea tamen abs te commemorari accidit iucundissimum, de cuius in illa adiu-

vanda labore ac diligentia non solum Polonia, ad quam totum fere commodum ex eo pertinet, sed etiam externi, ac longe terrarum spatio remotissimi gratulati sunt.

Doluum tamen vehementer non leves in Comitiis turbas ab Haereticis ac Schismaticis adversus Ruthenos Catholicae Ecclesiae cohaerentes excitatas fuisse; nec exigua Nos affecit molestia, quod equester Ordo legem ferri postulaverit, qua Religiosorum familiis interdicatur ne deinceps sive successione, sive emptione, aut alio quovis iure haereditaria ipsius bona acquirere possint. De priori controversia ad Fraternitatem Tuam nuper litteras dedimus; de posteriori vero quid statuendum sit Archiepiscopo Lariseno, Nuntio nostro¹³³, perscrivimus, de quo plura in eam rem audies.

Tantum porro tuum et in catholica fide, rebusque Ecclesiae propugnans studium, tanta constantia, ut tecum omnis hortationis genere abstineamus, tantum quae opus sunt indicasse contenti.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 29 Ianuarii 1633, Anno Pontificatus Nostri decimo.

427.

Romae, 21 . II . 1633

Urbanus VIII applicat villam Torokaniae, spectantem ad Archimandritam Zydycynensem, Ordinis S. Basillii Ruthenorum, Collegio per Archiepiscopum Kiovensem, Metropolitam Russiae, erigendo pro instruendis Ruthenis et Moscovitis adolescentibus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 795, fol. 65-66.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 142-143, nr. 61.

URBANUS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit Venerabilis frater Iosephus, Archiepiscopus Chioviensis totius Russiae Metropolita, quod ipse ad Dei laudem et gloriam ac iuventutis in bonis artibus et ecclesiastica disciplina instructionem unum collegium in illis partibus pro Ruthenis et Moscovitis adolescentibus instruendis erigere intendit.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Archiepiscopus villam Torakani de iuribus et pertinentiis Archimandritae Zydycinensis existentem (quae, ut asserit, ante triginta annos a bonae memoriae Hippatio Archiepiscopo Chioviensi ipsius Iosephi Archiepiscopi antecessore prodote Collegii Ruthenorum unitorum erigendi, duobus postremis Archimandritis scripto consentientibus, destinata, eiusque redditus interim monasterio monachorum Ordinis Sancti Basillii eorundem Ruthenorum, civitatis Vilnensis, in quo, ut etiam asserit, iuvenes tam inferioribus quam altioribus studiis

¹³³ Nuntius Varsaviensis erat Honoratus Visconti (1630-1635).

instruebantur, applicati fuerant) Collegio per ipsum Iosephum Archiepiscopum erigendo, ut praefertur, per nos Apostolica auctoritate applicari sum-mopere desideret.

Nos, qui piorum operum incrementum sinceris desideramus affectibus, piis ipsius Iosephi Archiepiscopi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon villae huiusmodi fructuum, reddituum et proveni-tuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, villam praedictam, cum omnibus iuribus, membris et pertinentiis suis, Collegio per dictum Iosephum Archiepiscopum, ut praefertur, erigendo, si et postquam canonice erectum fuerit, pro illius dote et manutentione, eiusque Rectoris et Collegialium pro tempore existentium congrua sustentatione, ita quod liceat Rectori et Collegialibus ipsis corporalem, realem, actuellem possessionem dictae villae, eiusque iurium, membrorum et pertinentiarum quorumcumque apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, arrendare, ac in omnes ipsius collegii usus et necessitates convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita Apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus.

Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtainere, ac iis, quos illae concernunt, in omnibus et omnia plenissime suffragari, sique per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignorantiter, contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque praemissis, ac archimandritatus et monasterii praedictorum et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinis, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXI Febr. MDCXXXIII, Pontificatus Nostri Anno X.

428.

Romae, 5 . I . 1634

Causae criminales in Regno Poloniae cognoscuntur in prima instantia ab Ordinariis locorum, in secunda a Metropolitanu, in tertia a Nuntio Apostolico.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 808, fol. 40rv.

URBANUS PP. VIII. Ad futuram rei memoriam etc.

Singularia atque eximia charissimi in Christo filii nostri Vladislai, Poloniae et Suetiae Regis Illustris, in Nos, et hanc Sanctam Sedem fidei et devotionis merita, ac praecipuus, quo eandem Vladislaum Regem complectimur paternae charitatis affectus promerentur, ut quae ad prosperum, felicemque Christifidelium in Regno Poloniae existentium statum et quietem pertinere dignoscitur, quantum cum Domino possumus, favorabiliter concedamus. Supplicationibus itaque dilecti filii, nobilis viri, Georgii Ossolinski, Comitis de Tenczin, eiusdem Vladislai Regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero in praefato Regno Poloniae causae criminales in prima instantia cognoscantur ab Ordinariis locorum, in secunda a Metropolitanu, in tertia a dilecto filio moderno, et pro tempore existente in dicto Regno Poloniae Nuntio¹³⁶, in reliquis instantiis etiam restitutionis in integrum et in secunda, quando Metropolitanus, uti Ordinarius in prima instantia cognoscit, commitantur causae appellationum (f. 40) nullitatum per Signaturam Iustitiae infra certum tempus, et in partibus alicui ex Episcopis vel Suffraganeis in eodem Regno pro tempore existentibus, quos omnes pro huiusmodi causis criminalibus cognoscendis et terminandis habilitamus, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari etc. attentari. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quarumcumque Ecclesiarum, etiam iuramento etc. consuetudinibus. privilegiis etc. innovatis. Quibuscumque omnibus etc. derogamus, certisque contrariais quibuscumque.

Datum apud S. Petrum, V Januarii 1634, Anno X.

A. M. MARALDUS

429.

Romae,... VI . 1634

Ab Urbano VIII inhibetur ne in Zyroveci, inconsulta Sede Apostolica, erigantur novae domus religiosae.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 823, fol. 40.

Dilecto filio nostro Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Vladislaum Poloniae et Suetiae Regem Illustrum Nuntio.

¹³⁶ Haec decisio applicabatur etiam ad Metropoliam Kiovensem.

Iugentiam tuum dignis in dno laudib. commendemus. **D**icit lugd. v. sion. anno tri. idem.
Gomfsum tibi in Russie partib; legationis officium literius exequitio. pte. t. aucte concedim.
ut in eisdem partib; pte expedite uideris tanquam legat. se. ap. epes latnos de ordine predicat.
u. minor ac diuers religiosoy et de clericis seclarib; etiam instituere ac ordinare uileas. eis con-
firmationis et consecrationis munus aucte ap. impensis. Contradictores. t. **D**icit lugd.

v. sion. anno tri. Regis Russie Illustris.

Omnis te ac Regnum tuum utpote plantationem nouellam ppniamus psequi speciali prerogati-
ua gte ac famosu. uotis tuis libenter amittimus. et petitiones tuas quantum cum deo prosum
favorabiliter exaudimus. Tuis itaq; supp inclinati psonam tuam et Regnum predem sub bea-
ti petri ria, ptectione suscipimus. **T**o. p. s. pa. co. null g. t. m. ptectione. **D**icit vt sup.

Ospientes tue uotis amittere ac uolentes in omnibus quantum cum deo possumus. **C**idem.
me lassacere uoluntati dil. fil. frs dilectum. **T**o. Secum cuius qui cum ipso fuit in Boemia.
odis pred. tibi ad mortandiam tecum duximus concedendos. comitatu et aucte pre. exinde
uictem quam habent hi qui fuit ad tartaros destituti. **D**icit vt s. fr. alexis 7. secu et q. fuit cu ip-

Ospientes Lm. in v. fil. n. Regis Russie Illustris uotio amittere. ac uolentes in omnibus. secundum
eo libi penitentia "miserere relaxam". **D**icit laceria u. il. Januarii anno Tio. **V**enit agn. festa n. u.

Tu alia que nec et inuenio spilita inuenit mecum dñm nōis et amorem
etiam nō nos dñmne papie iniuglare salutem ut eas Regum Regi qui nos illas licet invenient uolent pelle-
regrum lucifer sua uotis cooperante fui ualeam. **T**u q. nō est deo accepti obseq. q. sine fide pte. nō que-
re opem dñm de salutem q. supra firmitate fide no coniungit ad ppagantem et corroborandam et meam
eniam. Speciale Regum et pnapum intentione tota omnia sollicitudine ac uoti et operis officia labo-
rare debem. ut ipsa religione lacus dissi per oram patris etiam filius multiplicans funtibus pleaus hono-
ret. Sane tu dñm auxilias de infidelitis tenetis quo polq; etiam renatus fusti fons tabularius oculos
tue menas inuolacere ad lumen catholice fidei sine qua nemo salvus et ad obedientiam eccl. Romanae nō fac-
diuina inspiratione ridet inuenito pte. pmissi eccl. pte. t. q. fideli o filius obediens ac fidem catholicam
sive alia credidem. nōd fapts obtinare. pp. q. eccl. idem uolens te illa deuotione congrua firmare sanonib;
et condignas gratias obouere. gloriam cuius ad regule dignitatis apicem sublimauit. faciendo te iuuagi faci-
eniam dñm tuus q. pte. Capita regna duxera. **S**ed tu te ad audienciam nostra nō sine cordis turbacione que-
rebas res ipsa quā regalum beneficium pte. et inuenior eantem. **G**est pte. nigris pte. uirum re-
ligione occupant q. etiam obedientiam eccl. eccl. pte. et pte. oblationes fidei pmissae dñs locis obuerter postmodu-
lo ambi. **T**uo que pte. pte. inuenit fide et pte. et compempsit et obpnuerit ihu. **S**ed quo tam uo-
benienti obstante quaeque feruentur sup de cordis nō desiderabili capite ut altius edere dñm p. othen longus
lecula distantes. **T**u autem dñ filopiac necessitatem. Solentis q. aprias ap. te sup de milles monies
et ad uenient que ipse est patens te pte. pte. renocare ac speciales q. te grantit coram deo et c. et deq. de-
sidereas condigas peccato et corona tua coragere fidem pte. te q. magnitudine tua moneta digna et
tua et honoranda. q. ad tuam memoriam renocas quanto bistro quanto sollicitum et tua qualitatem
tua lede q. labores tibi deuotissima etiam q. ad eccl. id te ipsa deuotas tuam in hac parte pte. pte. deponas
huc nō suad pte. deuotio mea que gradus non differt ibi uite. id q. de ipse oblationes tua pte.
eccl. et credentia uirum pte.
p. pte.
p. pte.
p. pte.
p. pte.
Gloria dñs. Gloriatur et translatum est.

URBANUS PP. VIII Dilecte fili, etc.

Certis de causis animum nostrum moventibus de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio¹³⁷, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut si id expedire, et non subesse periculum alicuius scandali et inconvenientis subsecuturi cognosceris, Venerabili fratri Metropolitae Russiae literas inhibitoriales auctoritate nostra concedas, ne inconsulta Sede Apostolica in pago Zyrovicae¹³⁸, eiusque districtu novas domos sive conventus aut hospitia per Religiosos cuiusvis Instituti vel Ordinis erigantur, construantur, aut aedificantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum...

430.

Romae, 24 . XI . 1634

Nuntio Poloniae, ut moneat Episcopos, quatenus vocati veniant ad Synodum et Comitia Regni.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 816, fol. 109v.

Venerabili fratri Honorato, Archiepiscopo Larisseno,
Nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

De iuribus Ecclesiarum quorumlibet, praesertim Cathedralium et Metropolitanarum, iuxta creditum nobis Apostolicae servitutis officium, iugiter solliciti Fraternitati Tuae per praesentes committimus et mandamus, ut Regni Poloniae Episcopos horteris et auctoritate nostra moneas, quatenus ad Synodum Provincialem et ad Comitia Regni pronti, quoties vocati fuerint, accendant; alias si vocati ad Synodum et Comitia huiusmodi non venerint, tunc, ne propter eorum absentiam iura Ecclesiarum praedictarum aliquod detrimentum patientur, liceat Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi, Metropolitanu et Primi dicti Regni, uti potestate super negligentes, sibi a Concilio Tridentino et Sacris Canonibus tradita, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 24 Novembris 1634, Anno 12.

M. A. Maraldus

431.

Romae, 4 . VIII . 1635

Breve Urbani VIII concedens gratiam altaris privilegiati ecclesiae Metropolitane Kiovieni ac caeteris cathedralibus ecclesiis Ruthenorum unitorum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*.

Bullae et Brevia..., I, Poczajowiae 1767, p. 55-56.

¹³⁷ Decretum S. Congregationis de Prop. Fide, editum in Congregatione generali de data 5-XII-1632. Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, I, p. 106, nr. 191, ed. Romae 1953.

¹³⁸ Ibi et famosum monasterium Basilianorum existebat cum imagine miraculosa B. V. Mariae.

URBANUS PP. VIII. Ad futuram rei memoriam.

Omnium paterne intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Jesu Christi, eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae, ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perdinci valeant. Volentes igitur ecclesiam Metropolitanam Kiovensem, ac caeteras cathedrales ecclesias Ruthenorum unitorum simili ad praesens privilegio, ut accepimus, minime decoratas, dummodo in qualibet ex dictis ecclesiis tres saltem sacerdotes existant, et in qualibet ex dictis ecclesiis, unum dumtaxat Altare, per Venerabilem fratrem Metropolitanam Russiae, semel tantum eligendum, designetur, ita ut variari nequeat, et data huiusmodi electione publicum instrumentum fiat, hoc speciali dono illustrare, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocunque sacerdos aliquis dictarum ecclesiarum dumtaxat Missam Defunctorum in die commemorationis Defunctorum, et singulis diebus infra illius octavam, ac etiam in uno die cuiuslibet hebdomadae, per eundem Metropolitanam in electione Altaris, ut supra facienda, designando, si eodem die, vel in Octava Defunctorum, et singulis infra eam Missa huiusmodi pro Defuncto, vel Defunctis, applicari possit pro anima cuiuscumque fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migravit, ad praedictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eidem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque Praesentibus ad decennium tantum valituris.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 4 Augusti MDCXXXV, Pontificatus Nostri Anno 13.

Gratis pro Deo, etiam scriptura.

M. A. Maraldus

432.

Romae, 20 . VIII . 1635

Urbanus VIII Tabellionibus a Metropolita Kiovensi, nec non ab eius Suffraganeis Episcopis creatis vel creandis eamdem concedit facultatem pro usu illarum Ecclesiarum, quam habent Tabelliones auctoritate Apostolica creati.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 835, fol. 86.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 166, nr. 74.

URBANUS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

Ut penuriae Tabellionum Apostolica auctoritate creatorum in partibus Russiae facilius subveniri valeat, supplicationibus Vener. fr. moderni Metro-

¹³⁹ Cfr. Congregationem generalem S.C. de Prop. Fide de data 28-VIII-1634. — In Acta S. C. de Prop. Fide, vol. I, ed. Romae 1953, p. 146.

politae Rusiae, suo et suorum Episcoporum Suffraganeorum nominibus, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotio propagandae fidei catholicae per universum orbem praepositorum consilio¹³⁹, omnibus et singulis Tabellionibus a dicto Metropolitanano eiusque Suffraganeis Episcopis creatis et in futurum creandis, quod ipsi eamdem quam Tabelliones auctoritate Apostolica creati, pro necessitate tamen et usu Metropolitanae et cathedralium ecclesiarum dictae Metropoliae subiectarum tantum, facultatem habeant, ita ut in authenticandis instrumentis et scripturis per eos conficiendis sese uti Tabelliones Apostolica auctoritate facti subscribere libere et liceat possint et valeant, Apostolica auctoritate concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, sub Annulo Piscat., die XX Aug. MDCXXXV, Pontific. Nostri Anno XIII.

433.

Romae, 12 . IX . 1635

Confirmatio erectionis monasterii monialium in oppido Novogrodecensi in Russia.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 826, fol. 53rv.

URBANUS PP. VIII. Ad perpetuam rei...

Exponi nobis fecit Venerabilis frater Josephus Archiepiscopus Chiovensis, et totius Russiae, quod ipse nonnullarum piarum virginum illarum partium supplicationibus adductus in oppido Novogrodecensi dicto, Chiovensis diocesis, in loco decenti iuxta Collegiatam ecclesiam eiusdemque oppidi in colle ad duos puteos nuncupato, et alias suos notissimos fines, unum monasterium Monialium Ordinis S. Basilii, cum conditione, ut Moniales ipsae obedientiam ipsi Josepho moderno, et pro tempore existenti Archiepiscopo Chiovensi praefato praestent, ac in Unione cum S.R.E. permaneant et post mortem modernae dicti monasterii Priorissae, dicti monasterii Moniales Priorissam sibi eligant cum approbatione eorundem Praelatorum, reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, erexit et instituit, prout in patentibus dicti Josephi Archiepiscopi literis plenius dicitur contineri¹⁴⁰.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Josephus Archiepiscopus plurimum cupiat erectionem et institutionem praefatas Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicare fecit, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum Josephum Archiepiscopum specialibus etc. prosequi volentes, et a quibusvis, etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de

¹⁴⁰ Agitur de monasterio Monialium Basiliyanarum in civitate Novhorodok, a quo magnus ille Metropolita similem restorationem vitae monasticae monialium, ac primum monachorum (1617) incipere intendebat.

Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotio propagationis fidei in universum mundum praepositorum consilio, erectionem et institutionem dicti monasterii Monialium per eundem Josephum Archiepiscopum, ut praefertur, factas, Apostolica auctoritate confirmamus et approbamus (f. 53v) illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illas nec non praefatas litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere sique non aliter per quoscumque etc. Auditores iudicari etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicti Monasterii et illius Ordinis etc. consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem, die 12 Septembris 1635, An. 13.

434.

Romae, 15 . IX . 1635

Regi Poloniae commendatur Episcopus Pinsensis in patriam rediens ad novum Processum Beatificationis S. Josaphat conficiendum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 47rv, nr. 56.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 22v.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 311, nr. 356.

Charissimo in Christo filio nostro Vladislao, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Quod pietatis laudibus et reliquarum virtutum ornamento eximie instruc-
tus sit Venerabilis frater Raphael Episcopus Pinsensis, tum publicam, tum
pontificatus benevolentiam facile quaesivit. Quare absque honorifica paternae
nostrae charitatis significatione eum istic reverti noluimus; dignum enim aesti-
mamus, ut a nobis commendetur, et a Maiestate Tua benevole recipiatur. Aliis
illius promeritis si adieceris, quod in procuranda servi Dei Iosaphat, Archie-
piscopi Polocensis, apud Sedem Apostolicam beatificatione diu accurate se-
gessit, non dubitamus hoc etiam nomine initurum apud te gratiam, qui non
semel eidem Iosaphat honores decerni tanto studio flagitasti. Caeterum Nos
postulatis tuis satisfacere plurimum cupientes, huic piae causae propensa vo-
luntate favemus, et praecipuae nobis curae esse non levibus documentis hucus-
que testati sumus. Quia autem in illis, quae Dei sunt, omnem debet collocare
diligentiam pastoralis nostra sollicitudo, nuper ex Decreto Congregationis, quae
Sacris Ritibus praeest, quaedam prorsus necessaria prius peragi mandavimus,
quibus peractis decerni possit, quod Ecclesiae consentaneum sit, idque iucun-
dum fore speramus Maiestati Tuae, cui Apostolicam benedictionem amantis-
sime imparsum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etc., die XV Septembris
MDCXXXV, Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

435.

Romae, 15 . IX . 1635

Archiepiscopo Gnesnensi commendatur Raphael Korsak in patriam rediens.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 48rv, nr. 57.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 23.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eam integritatis ac prudentiae laudem in hoc nationum omnium theatro sibi camparavit Venerabilis frater Raphael, Episcopus Pinscensis, ut Romae commorantem paterna charitate complexi simus, et nunc discedere illum non patimur absque benevolentiae nostrae commeatu, et Apostolicarum litterarum testimonio. Petimus igitur a Fraternitate Tua, ut humaniter illum excipias, eiusque res magna qua praestas auctoritate foveas, quod nobis pollicemur; nam pro exima tua in ecclesiasticos viros pietate ultiro praestare soles.

Facere etiam pro pastoralis nostri muneris sollicitudine non possumus, quin tibi non solum illum, sed Ruthenos omnes, qui se Romanae Ecclesiae adiunixerunt, summopere commendemus. Tu si in eorum causa assidue tuenda id efficies, quod tua in Sedem Apostolicam observantia sponte semper exhibuit, tibi similis eris, et tua in Nos officia in dies magis elucescent (f. 48v). Fraternitati Tuae amanter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Septembris MDCXXXV, Anno Pontificatus Nostri tertiodecimo.

436.

Romae, 15 . IX . 1635

Idem Episcopo Luceoriensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 48v-49, nr. 58.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 23v.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi¹⁴¹.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Insignibus adeo laudibus efferuntur Venerabilis Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, virtutes, et promerita in catholicam fidem, pro qua certavisse usque ad mortem, et a verbis impiorum, et saevitia non timuisse dicitur, ut non solum Luceoriensis dioecesis, quae tantum Praesulem nascentem aluit, sed universum Poloniae Regnum, quod tot virtutum genera in optimo Antistite

¹⁴¹ Boguslaus Radoszewski (1633-1638), antea Kioviensis (1618-1633).

propius suspexit, iure habeat, cur in posterum non minus illius nomine, quam amplissimi Regni opibus, et potentia glorientur. Nobis certe iucunda iampridem accedit multorum petitio, qui perfecti decoris diadema ab Apostolica Sede eius meritis imponi cupientes, summo (f. 19) studio publicas illi aras decerni flagitarunt. Unde plerisque et non levibus documentis propensam in hanc causam voluntatem nostram testati sumus. Verum quia testium examen non rite peractum est, illud iterum confici mandavimus, quo pacto dignitati Ecclesiae, et eiusdem Famuli Dei gloriae consuluiimus.

Singula fusius cognosces ex Venerabili fratre Raphaele, Episcopo Pinsensi, qui ut nullam in hac re diligentiam intermisit, ita paternae nostrae erga nationem vestram charitatis, et valde propensi in huiusmodi causa animi testis ubique locuples esse poterit.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ut supra.

437.

Romae, 15 . IX . 1635

De eodem negotio etiam Episcopo Vilnensi scribitur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 49rv, nr. 59.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 23v.

Venerabili fratri Episcopo Vilnensi.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Conspicuus est zelus Fraternitatis Tuae erga Catholicam Religionem, neque lucerna tua absconditur sub modio, sed virtutum claritate palam fulget, dum Ecclesiae auctoritatem, et iura omnibus humanis rebus anteferre (f. 49v) constanter profiteris. Quare occasionem libenter amplectimur literas ad te dandi non minus indices paternae in te nostrae charitatis, quam testes pietatis tuae.

Ex Venerabili fratre Raphaele Episcopo Pinsensi, qui in procurandis Servo Dei Josaphat Archiepiscopo Polocensi Beatorum Martyrum honoribus apud Sedem Apostolicam operam navavit, facile cognosces, Nos piis Poloniae votis in hac causa peculiariter favere, quod pluribus documentis hucusque patuit. Proinde cum plane constet, in testium examine ea servata non esse, quae adhiberi opportebat, Nos hac in re propensam voluntatem luculentius declareremus, iterum testes iuxta praescriptum ritum examinari mandavimus, ut id tandem constituetur, quod Ecclesiae consentaneum, et isti Regno acceptum esse possit.

Te, qui intelligis, nullam unquam nimiam esse diligentiam in iis rebus, quae ad Dei gloriam praecipue dirigantur, maximo studio omnia, quae ad iteratum examen conficiendum Capitulo tuo demandantur, curaturum esse pro certo habemus.

Datum ut supra.

438.

Romae, 15 . IX . 1635

Raphaelis Korsak causa Episcopo Posnaniensi commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 50, nr. 60.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 24.

Venerabili fratri Episcopo Posnaniensi¹⁴².
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Paternae nostrae charitatis officia et desiderare non patimur, cuius pietatem, atque in re catholica tuenda constantiam semper novimus, et peculiari benevolentia complexi sumus.

Quare in Poloniam revertente Venerabili fratre Raphaele, Episcopo Pinsensi, Apostolicam benedictionem impertimus Fraternitati Tuae, quam ad istius Regni beneficium dici incolumem optamus. Gratum nobis erit, si Raphaelem ob eius religionem cum peculiari morum suavitate coniunctam plurimum commendatum benevole excipias, ac pro certo habemus, te, quae erga Nos, et hanc Sanctam Sedem obsequiosae humanitatis partes sunt, operam daturum, ut intelligat Fraternitatem Tuam praecipuam commendationis nostrae rationem habuisse.

Datum ut supra.

439.

Romae, 15 . IX . 1635

De eodem arguento tractatur etiam cum Metropolita Kioviensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 50v, nr. 61.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 24v.

Venerabili fratri Metropolitae Russiae.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pontificiae sollicitudinis oculos non latet Fraternitas Tua, cuius constantiam, et Catholicae Religionis tum propugnandae tum custodiendae studium semper magnifecimus. Siquidem tamquam bonus Christi miles galeam salutis induitus, et gladio spiritus accintus cum Ecclesiae hostibus ad haeresis excidium in religiosa ista statione assidue dimicas, et muneris tibi demandati memor, quae illi temere machinantur, divina adiuvante potentia, iugiter evertis; simulque

¹⁴² Henricus Firlej (1634-1635). Obiit mense Decembri an. 1635.

nullum intermittis laborem ut ex populis tibi creditis, tamquam ex lapidibus viventibus, et Deo acceptis aedificantur muri Hierusalem. Piis hisce conatibus strenuos illos Nehaemiae milites imitaris, qui altera quidem manu telum gerebant, altera muros Urbis construebant.

Quamobrem peculiari te charitate complectimur, et a Deo assiduis precibus flagitamus, ut laudabilem tuam in ipsius, et Ecclesiae cultum vigilantiam suo caelesti praesidio tueri velit. Propensam in te voluntatem nostram tibi renuntiabit Venerabilis frater (f. 51) Raphael, Episcopus Pinscensis, ex quo etiam cognosces, quanto studio causae Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, suffragemur.

Quia vero in re tanti ponderis nihil plane praetermittendum est, quod prudentia explorare, et pietas adhibere valeat, aliqua iterum peragi mandavimus, quibus rite peractis Apostolica decernet auctoritas, quod Ecclesiae consonum, et Poloniae iucundum esse possit. Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

440.

Romae, 15 . IX . 1635

Eodem modo de eadem re etiam Episcopo Vratislaviensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 51rv, nr. 62.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 25.

Venerabili fratri Carolo Ferdinando, Episcopo Vratislaviensi¹⁴³.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non sine eximio meritorum commeatu Polonię repetet Venerabilis frater Raphael, Episcopus Pinscensis, qui ex sacri magistratus dignitate, et virtutum magnitudine non vulgariter commendatur. Nos tamen, qui illum Romae commorantem paterna charitate dileximus, descendere non passi sumus absque praecipua benevolentiae nostrae significatione (f. 51v). Evidem praeclare secum agi arbitrabitur, si Fraternitatem Tuam, cuius se studiosissimum haberi cupit, aliquo officii genere promovere poterit.

Quare certiorem te reddimus, nobis periucundam fore omnem amoris tui testificationem, qua illum duxeris excipendum. Praesulem certe tibi magnopere addictum consolaberis, et opinioni, quam de tua humanitate iamdudum excitasti, egregie respondebis.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.
Datum ut supra.

¹⁴³ Carolus Ferdinandus Waza, filius Regis Sigismundi III. Episcopus Vratislaviensis ab an. 1625, dein ab an. 1640 etiam Plocensis. Obiit 20-V-1655 in Vyškiv. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 3, p. 715.

441.

Romae, 15 . IX . 1635

Idem Pontifex de eodem argumento Episcopo Samogitiensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 51v-52, nr. 63.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 25.

Venerabili fratri Episcopo Samogitiensi¹⁴⁴.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eorum virtutes paterna charitate complectimur, qui pubblico rei christianae bono peculiariter addicti sunt. Inter quos Fraternitatem Tuam locum obtinere non ambigimus, dum in ista pastorali statione summopere studies vitae innocentia aliis praelucere, Ecclesiae auctoritatem, et iura omnibus humannis rebus anteferre, et in Catholica Religione tum custodienda, tum propaganda (f. 52) ceteris exemplar esse.

Quare in Poloniam revertente Venerabili fratre Raphaele, Episcopo Pinsensi, nequaquam passi sumus opportunam benevolentiae erga te nostrae declarandae occasionem elabi. Ex eodem cognosces quam propense foveamus causae Venerabilis Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, qui sanguine in fidei testimonium effuso, hostiam viventem et immaculatam Deo obtulisse dicitur.

Quia tamen aliqua adimpta in primo testium examini non fuerunt, quae iuxta Sacrorum Canonum sanctiones omnino adhibenda sunt, ut ea, qua par est, diligentia et dignitati Ecclesiae et eiusdem Servi Dei gloriae consultatur, iterum dicta testium recipi, et in publicum redigi documentum mandavimus; quibus rite peractis, id tandem, Deo adiuvante, constituetur, quod iucunditatem isti Regno parere possit.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impartimur.

Datum ut supra.

442.

Romae, 15 . IX . 1635

Urbanus VIII Poloniae Regis fratri, Casimiro, Episcopum Pinsensem recom mendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 52rv, nr. 64.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 25v.

Dilectissimo in Christo filio nostro Kasimiro, Poloni Regis fratri¹⁴⁵.

Idem argumentum.

¹⁴⁴ Georgius Tyszkiewycz (1633-1649), dein translatus ad Sedem Vilnensem (1649-1656).

¹⁴⁵ Princeps Casimirus, filius Sigismundi III, postea post obitum fratris Vladislai IV, electus Rex Poloniae (1648-1668), cui dignitati resignavit (16-IX), et in Galliam se contulit. Obiit in Nevers die 16-XII-1672. — Cfr. *Enc. Pow.*, vol. XII, p. 942-949.

URBANUS PP. VIII. Dilectissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Perspecta religio et praestantes animi dotes, quibus eximie (f. 52v) instruc-tus est Venerabilis frater Raphael, Episcopus Pinscensis, qui in Poloni-am regreditur, facile tuam benevolentiam conciliabunt, cum tuae pietati solleme-nit singulorum meritis praeciquo studio suffragari.

Nos tamen, qui de tua in Nos, et Sedem Apostolicam observantia plurimum nobis pollicemur, ad eum tibi commendandum libenter inducimur, testatum-que esse volumus, non modice nobis gratum futurum, si uberes experietur tuae humanitatis fructus, quos ecclesiastica dignitas et virtutum magnitudo suo velut iure postulare videntur.

Incrementum divinae gratiae tibi precamur, dilectissime in Christo fili noster, cui Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum ut supra.

443.

Romae, 15 . IX . 1635

In eadem causa Georgio Ossolinski Breve mittitur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 52v-53, nr. 65.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 26.

Dilecto filio, nobili viro, Georgio Ossolinschio¹⁴⁶,
Poloniae Thesaurario.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedic-tionem.

Quae de tua singulari pietate nobis iamdudum polliciti sumus, ea quo-tidiano comprobari experimento summopere gaudemus. Nempe gratissimum nobis (f. 53) accedit, quod nuper nunciatum est Nobilitatem Tuam in praeteritis Comitiis non solum summa animi alacritate locutam esse testimonia Domini, sed plura etiam suscepisse in Ruthenorum favorem, qui Romanae Ecclesiae auctoritatem agnoscunt. Hoc insigni religionis documento aliis exem-pto esse potes, quonam zelo ea curanda sint, quae ad Dei gloriam pertinent, et animarum salutem.

Eadem Tua erga ecclesiasticos viros peculiaris propensio sat nobis suadet, te Venerabili fratri Raphaeli, Episcopo Pinsensi, si qua in re opera tua indi-guerit, praesto futurum esse. Testatum tamen tibi esse volumus, nobis incunda

¹⁴⁶ Georgius Ossolinski. Nat. 1595. Studuit apud exterios, claruit eloquentia. Post mortem Sigismundi III et electionem Vladislai IV missus est Romanum ad obedientiam regio nomine praestandam, nec non ut Pontifici necessitatem concessionum in damnum Ecclesiae Unitae persuaderet. Pompa externa sui in Urbem ingressus totum fere mundum obstupuit; nihil tamen in re « pacificationis religionis graecae » obtinuit. Nam Sedes Apostolica de vero rerum statu iam ab Episcopo Pinsensi, Raphaele Korsak, instructa erat, qui Ossolinski in Urbem properantem praevenit. Dein varia obitat munera: Pa-latini Sandomiriae (1637), Marescalci, Cancellarii (1640) et demum Magni Cancellarii Re-gni Poloniae (1643). Obiit die 9-VIII-1650. Cfr. Enc. Pow., vol. 20, p. 131-133.

fore omnia benevolentiae officia, quibus hominem quolibet virtutum genere commendatum duxeris excipendum.

Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ut supra.

444.

Romae, 15 . IX . 1635

Ducissae Ostrogiensi idem Episcopus Raphael commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 53rv, nr. 66.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 26v.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri,
Ducissae Ostrogiensi, Palatinae Vilnensi¹⁴⁷.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem et Apostolicam benedictionem (f. 53v).

Pluribus antehac et adeo eximiis documentis pietatem tuam et singularem in Apostolicam Sedem observantiam testata es, ut pro comperto habeamus, res Ecclesiae apud Nobilitatem Tuam commendatione non indigere. Quare in Domino laetamur, tecum laudes potius, quam cohortationes adhibendas esse.

Pro pastorali tamen nostra sollicitudine, et animarum zelo facere non possumus, quin ubicumque datur occasio, Ruthenorum rebus consulamus, qui Romanae Ecclesiae auctoritatem agnoscent. Unde in Poloniam redeunte Venerabili fratre Rephaele, Episcopo Pincensi, enixe a te petimus, Praesulem praecipuis meritis insignitum, peculiari studio prosequaris, et quaecumque ad Unitorum comodum pertinere arbitraberis, sedulo ac diligenter cures. Si hoc perfecti decoris diadema tibi imposueris, rem profecto praestabis religioni tuae congruentem, et nobis gratissimam, qui Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ut supra.

445.

Romae, 15 . IX . 1635

Korsak commendatur etiam Principi Radziwill.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 54, nr. 67.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 26v.

Dilecto filio, nobili viro, Principi Radivilio¹⁴⁸,
Magni Ducatus Lithuaniae Supremo Cancellario.
Idem argumentum.

¹⁴⁷ Agitur de Anna Aloysia Ostrožska, filia Alexandri, Ostrožskyj. Uxor Joannis Caroli Chodkiewicz, Palatini Vilnensis, qui anno 1621 apud Chotyn obiit. Inde nominatur Palatina Vilnensis. Cfr. Ic. STEBELSKI, *Chronologia. Dodatek: Genealogia xiażat Ostrogskich*.

¹⁴⁸ Stanislaus Albertus Radziwill (1623-1656).

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ambigendum non est, Nobilitatem Tuam, quae magnum suae gloriae ornamentum arbitratur singulorum meritis suffragari, praecipua humanitatis significatione excepturam esse Venerabilem fratrem Raphaelem, Episcopum Pinsensem, qui non sine amplio laudum commeatu in Poloniam regreditur.

Nos quidem illum paterna charitate prosequentes descendere non patimur absque honorifico nostrarum litterarum testimonio. Gratissimum nobis erit, si in Virum eximiis animi dotibus instructum ea contuleris officia, quibus pateat, quanti apud pietatem, et observantiam tuam sit episcopalis dignitas, quae nostrae commendationis auctoritate decoratur.

Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum ut supra.

446.

Romae, 15 . IX . 1635

Tomae Zamoyski commendatur Korsak Roma rediens.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 54v, nr. 68.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 27.

Dilecto filio, nobili viro, Thomae Zamoiscio¹⁴⁹,
Poloniae Cancellario.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nihil nobis tanti est, quam eos praecipua charitate complecti, qui publico rei christianaे bono peculiari studio addicti sunt. In quorum numero cum Nobilitatem Tuam in primis recenseamus, nullam elabi sinimus occasionem, qua paternam in te nostram voluntatem testatam habeas. Nos enim non latet tantam in te enitusse pietatem, eamque in Ecclesiae iuribus propugnandis constantiam, ut aliis exemplo fueris, qua animi alacritate et fortitudine cœlestia terrenis, aeterna caducis præferenda sint; et cum pro certo habeamus, te in posterum tibi similem futurum esse, quanti virtutem tuam faciamus, tibi renuntiare poterit venerabilis frater Raphael, Episcopus Pinsensis, qui non sine benevolentiae nostrae commeatu in Poloniam regreditur. Eum si benigne exceperis, rem tua humanitate dignam præstabis, Praesulem egregiis decoratum virtutibus plurimum demerebis, nostraque facies satis commendationi.

Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum ut supra.

¹⁴⁹ Thomas Zamoyski (1635-1638).

447.

Romae, 15 . IX . 1635

Palatino Trocensi eadem res enixe commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 55, nr. 69.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 27v.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Tischiewicz¹⁵⁰,
 Palatino Trocensi.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qua animi celsitudine rem catholicam propugnare satagit Nobilitas Tua, omnia religioni posthabendo, satis iamdudum novimus. Nobis tamen pergratum accidit, pietatem, et religionem tuam a Venerabili fratre Raphaele, Episcopo Pinscensi, recenter commemorari.

Quapropter visum est nobis has tibi literas dare, quibus virtutem tuam a nobis magnificeri testatum habeas. Simul etiam licet nobis suadeamus, Ruthe-nos Romanae Ecclesiae consentientes apud te commendatione non indigere, qui murus ancus esse diceris, quo impiorum iniuriae ab illis arceantur, pro nostra tamen erga filios benevolentia, et animarum zelo enixe a te petimus, ut quaecumque ad illorum utilitatem facere existimaveris sedulo cures. Sic enim nostram charitatem tibi magis in dies demerebis et mercedem ab eo poteris praestolari, qui multipliciter, et in aeternum mansura retribuet Nobilitati Tuae, cui amanter benedicimus.

Datum ut supra.

448.

Romae, 26 . IX . 1635

Commendatur Episcopus Pinscensis Episcopo Cracoviensi in negotio Pro-cessus Beatificationis Josaphat denuo conficiendi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 62v-63, nr. 78.
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 32.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi¹⁵¹.

Commendatur Episcopus Pinscensis in Poloniam ad novum conficiendum Processum in causa Servi Dei, Archiepiscopi Plocensis, regrediens.

¹⁵⁰ Joannes Janusius Tyszkiewycz. Primum Capitaneus Bracławiensis, ab an. 1621 Palatinus Mstislaviensis, ab anno vero 1626 Palatinus Trocensis, et denique ab anno 1640 Palatinus Vilnensis. Obiit die 27-V-1642.

¹⁵¹ Jacobus Zadzik (1634-1642), translatus a Sede Culmensi (1624-1634). Erat etiam Cancellarius Regni Poloniae (1629-1635), sed post suam translationem ad Sedem Cracoviensem dignitati huic civili renuntiavit. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 13, p. 889.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Revertentem in Poloniam Venerabilem fratrem Raphaelem, Episcopum Pinsensem (f. 63), ita Fraternitati Tuae commendamus, ut ad te plurimum pertinere arbitremur, si quae istic aggredietur, pro tua auctoritate sedulo promovere. Cum enim solummodo iis rebus daturus sit operam, quae ad Dei gloriam, animarum salutem, et Ecclesiae utilitatem dignitatemque spectabunt, profecto illarum curatio ingenio, pietati, ac religioni tuae maxime consentanea erit.

Hoc sane ille de tuo incenso in commune bonum studio sibi pollicetur, et Nos de praecipua, qua praeditus es in singolorum merita propensione, omnino confidimus.

Caeterum paternam nostram charitatem testari poterit Fraternitati Tuae, cui Nos prospera omnia precantes Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maorem, sub Annulo Piscatoris, die XXVI Septembris MDCXXXV, Anno Pontificatus Nostri tertiodecimo.

449.

Romae, 10 . VII . 1636

Laudatur studium Palatini Volhiniensis convertendi ad Unionem Petrum Mohyla et Episcopum Luceoriensem.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 185-186 v. nr. 289.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, 2206, fol. 100v.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 412, nr. 357.

Dilecto filio, nobili viro N. Palatino Wolhiniiae¹⁵².

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quod Nobilitas Tua simul cum dilectis fratribus Petro Mohilla¹⁵³, Me-

¹⁵² Agitur, ut videtur, de principe Adamo Aleksandru Sanguszko, palatino Volhyniae. Cfr. M. ANDRUSIAK, *Sprawa patriarchatu Kiowskiego za Wladyslawa IV*, in «Prace historyczne w 30-lecie dzialalnosci profesorskiej Stanislawa Zakrzewskiego», Leopoli 1934, p. 271 sq.; D. TANCUK, *Patriarchatus Kioviensis seu de tentaminibus creandi patriarchatum Kioviensem cum Ecclesia catholica unitum in primo dimidio saec. XVII*, Romae 1938 (*Dissert.*).

¹⁵³ Petrus Mohyla, filius Simeonis, hospodari id est principis Moldaviae; natus 1597 Primam instructionem scholasticam accepit Leopoli, in schola Confraternitatis Leopolensis; studia superiora absolvit in scholis et universitatibus Europae occidentalis; probabiliter fuit discipulus PP. Soc. Jesu. Laycus adhuc anno 1627 electus est Archimandrita Laureae Petarensis Kioviensis. Dein an. 1633 Metropolita Kioviensis factus multum adlaboravit in restaurazione Ecclesiae Ucrainae non unitae, qui labor etiam in toto Oriente christiano influxum habuit. Initium dedit s.d. Academiae Ecclesiasticae Kioviensi, quae etiam Mohylana vocabatur. Plura reliquit scripta liturgica et iuridica. Composuit s.d. *Professionem fidei orthodoxae*. Cfr. MALVY-VILLER, *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila, métropolite de Kiev 1633-1647, approuvée par les patriarches grecs du XVII siècle*. Texte latin inédit publié avec introduction et notes critiques, in *Orientalia Christiana*, vol. X, nr. 39, Romae 1927. Obiit anno 1647.

tropolyta Ruthenorum nuncupato, atque Athanasio¹⁵⁴, Episcopo Luceoriensi pariter nuncupato, Ruthenos universos ad Apostolicae Sedis unitatem iuxta sacri Concilii Florentini praescriptum perducere meditetur, rem praestat sua pietate dignissimam, atque insigne exhibet religionis exemplum. Nos equidem optatissimus praecipari huius consilii nuncius laetitia cumulavit; etenim pontificia in specula, meritis licet imparibus, collocati praecipuas nostri munieris partes arbitramur, homines ab aeternae salutis via longe aberrantes ad veritatis semitam revocare, eosdemque catholicae consensionis vinculo colligatos in Sanctae Matris Ecclesiae sinum constituere. Neque sane aliquid est quod inter sollicitudines, in quibus assidue versamur, aequo nobis solatio sit, quam insignis filiorum virtus et religionis incrementum.

Quare charitatem nostram summopere te demeruisse testantes impense optamus, ut totis viribus in hanc curam et cogitationem incumbas, et facinus, quod divino afflante spiritu aggressus es, omni conatu perficias.

Verum quia gravissimum hoc negotium difficultatibus non carebit, ubi opportunum fuerit, Venerabilis frater Marius¹⁵⁵, Archiepiscopus Avenionensis, Nuncius noster, hominem spectatae fidei ad te mittet, a quo omnia tibi suggerentur quaecumque e re fore existimamus, ut cuncta, Deo adiuvante, quamprimum e voto cedant. Caeterum qua ratione postulatis tuis suffragari decreverimus, ex dilecto filio Ioanne Damasceno, Ordinis Praedicatorum¹⁵⁶, qui istuc revertitur, fusius cognoscet. Ex eodem discere etiam poteris, quam peculiari affectu prosequamur Nobilitatem Tuam, cui Apostolicam benedictionem ex animo impartimur.

Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die X Iulii MDCXXXVI,
Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

¹⁵⁴ Athanasius Puzyna (1632-1650), qui Unioni cum Ecclesia Romana multum fabebat, et, ut dicebatur, etiam professionem fidei emississet.

¹⁵⁵ Marius Filonardi (1635-1643), Archiepiscopus Avenionensis.

¹⁵⁶ Joannes Damascenus, Ordinis Praedicatorum, Prior Conventus Leopoliensis eiusdem Ordinis, Provincialis Provinciae Russiae, quae Moldaviam, Transylvaniam, Tartariam, Albam Russiam et Moscoviam, non vere terras Ucrainae comprehendebat. Erat etiam Praefectus Missionum. Per longum tempus' Unioni ecclesiasticae adlaborabat. Obiit anno 1640, prope Smolensem. De ipso talis habetur relatio in Archivo S.C. de Prop. Fide, vol. 338 «Em.mis DD. Cardinalibus haec essent denuntianda, si dubitarent de Damasceno. Quia Damascenus 29 annis pro Unione continuo laboravit et non cessat; conventa 9 fundavit, a fundamentis erexit, iura, ecclesias ab Haereticis, iure mediante, maximis cum laboribus liberavit. Archiepiscopum Leopoliensem Armenum per suum discipulum convertit, nomine Gabrielem. Haec omnia attestatur Rex Poloniae, attestatur Nuntius Apostolicus, attestatur Capitulum Leopoliense, Senatores Regni. Provincialis Russiae fuit. Circa res gravissimas occupatus semper extitit» - Cfr. APF, Scritt. rif. nelle Congregazioni generali, vol. 338, fol. 207; A. TANCKE, op. cit., p. 100; E. ŠMURLO, *Le Saint-Siège et l'Orient orthodoxe* (1609-1654), Prague 1928; G. PETROWICZ, *L'unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede* (1626-1686), Roma 1950, etc.

450.

Romae 17 . VII . 1638

Commendatio Ecclesiae Unitae eiusque negotium.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 51, fol. 90v-91.

Charissimo in Christo filio nostro Vladislao,
 Poloniae et Suetiae Regi Illustri.
 Eius pietas laudatur.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tuendae religionis studium, quo Maiestas Tua plurimum se incensam esse ostendit, inter regias, quibus (f. 91) eximie instructus es dotes adeo praelucet, ut Nos qui te pro paternae nostrae charitatis magnitudine omni laudum genere quam ornatissimum cupimus, incredibilem inde laetitiam percipiamus. Sane ex catholicae fidei propugnandae cupidate, quam praesertim in promovenda Ruthenorum cum Romana Ecclesia Unione variis hactenus documentis ostendisti, facile coniicimus, quanta ea sint futura quae de tua pietate polliceri nobis possumus. Quemadmodum enim praecipuo animi ardore gravissimum hoc opus aggressus es, ita praecipuo animi ardore gravissimum hoc opus aggressus es, ita etiam pro comperto habemus in posterum quoque neque diligentiam neque auctoritatem tuam aliqua ex parte desideratum iri.

Cuius quidem negotii exitus cum in plurimorum salutem et istius Regni tranquillitatem cum magna divini cultus gloria rudundet, tui nominis laudes perenni posterorum memoria commendabit. Venerabilis frater Archiepiscopus Avenionensis, Nuntius Apostolicus, in hanc sententiam mentem nostram fusius significabit Maiestati Tuae, cui pontificiam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die XVII Julii MDCXXXVIII, Pontificatus Nostri Anno quintodecimo.

451.

Romae, 8 . VI . 1639

Urbanus PP. VIII cum Principe Zaslawskyj congratulatur de eius zelo Unionis deque protectione Ruthenorum gratias agit.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 51, fol. 257v-258.
BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 2207, fol. 141v.

Dilecto filio, nobili viro, Dominico Vladislao Zaslawski, Principi Saslaviae.
 Eius pietas laudatur.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.



Fructus legationis Jaropolci et Irene an. 1075.
A Christo coronis dononatur, adstantibus B. Petro et S. Irene.
Ex "Codice Gertrudiano," saec. XI, fol. 10v.

Caelestem regnandi artem, ac scientiam salutis adocti videntur ii Principes, quibus nihil potius est, quam Divini nominis gloriam promovere, et catholicam religionem adversus improborum conatus assidue propugnare. In eorum numero esse Nobilitatem Tuam vehementer gavisi sumus, cum ex Venerabili fratre Raphaele, Unitorum Metropolita¹⁵⁸, cognoverimus, quanto animi ardore Schismaticos extra tui dominatus fines eieceris, et Ruthenis, qui hanc Sanctam Sedem venerantur, ecclesias religiose concesseris. Dignum sane tua pietate consilium, quo insignis tuo nomini laus comparatur et plurimorum incolumenti consultur. Perge Dei causam constanter agere, nobilis vir, et enitere, ut iidem Rutheni maiora in dies beneficia (f. 258) accepta referre possint auctoritati tuae, in qua maximam rei benegerendae fiduciam constituerunt.

Nos interim complectimur te brachiis pontificiae charitatis, Deumque precantes, ut stet a dextris tui, teque potenti suo praesidio tuatur.

Nobilitati Tuae paternam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctam Maria Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VIII Junii MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno XVI.

452.

Romae, 8 . VI . 1639

Eodem argumento etiam Catharinae Zamovska ab Ostrog.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 51, fol. 258rv.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2207, fol. 142.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri,
Catharinae Ostrogii Zamoyskiae¹⁵⁹.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem et Apostolicam benedictionem.

Praecipuae pietatis armis adversus impiorum conatus coelestis imperii ditionum propugnare accepimus esse votum Nobilitatis Tuae, cuius zelus

¹⁵⁷ Dominicus Vladislau Zaslavskyj. Eandem genealogiam habuit haec familia ac illa de Ostrog, proveniebat nempe ex principibus Turoviensibus. Filius Alexandri, Palatini Volhyniensis, haeres etiam familiae principum Ostrožskij. Ab anno 1645 Palatinus Sandomiriensis. Temporibus bellorum cosaticorum unus campiductorum exercitus polonici; prope Pylavci devictus, dein partem habuit in aliis proeliis. Obiit anno 1655. - Cfr. Enc. *Powszechna*, vol. 28, p. 346-349.

¹⁵⁸ Rapahel Korsak, Episcopus Haliciensis (1627-1632) et Coadiutor Metropoliae Kioviensis, dein Ep. Pinscensis (1632-1637), et demum Metropolita Kioviensis, iure Coadiutoriae cum futura successione (1637-1640). Hoc anno 1639 Metropolita Raphael Roman venit ad solitam obedientiam Summo Pontifici praestandam. - Cfr. A. G. WELYKIJ OBSM, *Annus et dies mortis Metropolitae Rapaelis Korsak*, in « *Analecta OBSM* » Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. I, p. 145-160.

¹⁵⁹ Catharina Ostrozkska, filia Alexandri I Ostrožskij (filii magni illius principis Constantini), uxor Thomae Zamoyski, Cancellarii Regni Poloniae. - Cfr. Ic. STEBELEK, *Chronologia... Przydatek: Genealogia xiażat Ostrogskich*, p. 84-87.

(f. 258v) non modo est propriae amplitudinis, sed etiam praesidium publicae incolumitatis. Huiusmodi laudes quonam Catholicae Religionis propagandae studio quaesiveris, nuper significavit Venerabilis frater, Metropolita Ruthenorum, qui se ad Apostolicam Unitatem aggregarunt.

Ea sane illustrum tuorum facinorum commemoratio cum animum nostrum maximo solatio cumulaverit, nolumus tibi deesse honorificum virtutis tuae, et pontificiae charitatis testimonium. Tu vero eam, quam dudum progrederis viam constanter prosequere, et quantum in te est, enixe contendere, ut recta in Deum religio una cum Sacrorum cultu in tua ditione custodiatur, ac floreat.

Ille, qui dives est in misericordia susceptos pro sui nominis veneratione labores ampla carere mercede non sinet, tantique operis praemia liberaliter rependet Nobilitati Tuae, cui Nos pontificiam benedictionem paterne impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die VIII Junii MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno XVI.

453.

Romae, 8 . VI . 1639

Idem argumentum in litteris ad Annam Ostrogiensem.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 51, fol. 259rv.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2207, fol. 142v.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri,
Annae Principissae Ostrogi, Palatinae Vilnensi¹⁶⁰.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem et Apostolicam benedictionem.

In tot tantisque dissidiis, quibus Christianus Orbis misere agitur, nullum maius sollicitudini nostrae levamentum praebetur, quam ex insigni Christi fidelium virtute, et catholicae fidei incremento. Quo nomine non exigua Nos affecit consolatione Nobilitas Tua, cuius auctoritatem constans verae religionis propugnaculum esse audivimus.

Quanto enim pietatis zelo extra tuam dictionem Schismaticos eieceris, et ecclesiarum cultum Ruthenis Apostolicae Sedi obtemperantibus commiseris, eorum Metropolita literis suis non ita pridem nobis significavit, Quae

¹⁶⁰ Anna Ostrožska, filia item Alexandri, dein uxor Joannis Caroli Chodkiewicz (1620), Palatini Vilnensis, et ducis exercituum Magni Ducatus Lithuaniae, qui iam anno 1621 obiit. - Cfr. Ic STEBELSKI, *op. et loco cit.*, p. 87sp.

illum piorum conatum testem habuisti, habes nunc Pontificem praeclari huiusmodi operis laudatorem.

Cum autem Dei causam tanto studio curaveris, alienis hortationibus (f. 259v) locum non relinquis, ut in posterum quoque praedictis Ruthenis suffragari non praetermittas. Idecirco solum id postulamus, ut tui similis sis, pariterque pollicemur fore ut iisdem officiis paternam nostram demerearis benevolentiam, quibus illorum rebus praesto fuerit.

Ab altissimo misericordiarum Patre enixe petimus, ut religiosis tuis conatibus adiungat felicitatem, et honorum omnium affluentia cumulatam velit Nobilitatem Tuam, cui Nos benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VIII Junii MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno XVI.

454.

Romae, 3 . XII . 1639

Pontifex Regi Metropolitam Kioviensem in patriam redeuntem commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 52, fol. 80v.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2208, fol. 33v.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 416, nr. 365.

Charissimo in Christo filio nostro Vladislao, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Venerabilis frater Metropolita Kyoviensis cum iam pridem in hac nationum omnium patria insignes animi dotes prae se tulerit, earumque praesidio publicum sibi amorem comparaverit, nostrum etiam affectum haud difficulter quaesivit. Cum deinde non semel ad Nos allatum fuerit, quonam animi ardore Ruthenos ab Apostolica auctoritate dissidentes ad salutarem Unionem, quam alii amplexi fuerant, revocare sategerit, et quam sedulo Catholicam Religionem tum latius proferre, tum propugnare conatus fuerit, pontificiam charitatem arctius demeruit. His omnibus cum honorifica Maiestatis Tuae commendatio accesserit, impensius etiam optamus, ut paesul, qui regio patrocinio instructus est, paternae nostrae benevolentiae fructibus perfruatur. Coeterum laudamus summopere pietatem tuam, quod servo Dei Iosaphato coelestes honores obnixe flagitaverit. Precibus autem tuis gratificari posse cupientes, causam hanc primo quoque tempore discuti iussimus in ea Cardinalium Congregatione, quae Sacris Ritibus praeest. Interim Patrem luminum continenter rogabimus, ut in gravissimo negotio id Nos statuere doceat, quod Ecclesiae ornamentum et consolationem afferre possit Maiestati Tuae, cui Nos amantissime benedicimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., die III Decembris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

455.

Romae, 3 . XII . 1639

Eundem Metropolitam et eandem causam etiam Reginae Poloniae Pontifex commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 52, fol. 81rv.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2208, fol. 34.

Charissimae in Christo filiae nostrae,
Renatae Caeciliae, Poloniae, et Sueciae Reginae Illustri.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VII. Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Paternae benevolentiae significaciones iis libertissime exhibemus, qui Maiestatis Tuae patrocinio decorantur et honorificum corum a te deferunt testimonium. Dabimus operam in praesentia, ut id re ipsa intellegit Venerabilis frater Raphael, Metropolita Kyoviensis, quem huc proficiscentem accurata literarum suffragatione prosequi voluisti (f. 81v). Licet enim eius pietas, et praecipuum in divino cultu propagando studium, aliaeque virtutes nobis iam pridem perspectae non vulgaria pontificiae charitatis documenta suo iure exigant, plurimum tamen praesidii nactae sunt, quibus tantae Reginae contigit commendatio.

Itaque illum humaniter complexi sumus, et cum acta nostro iussu confecta Romam detulerit, Servo Dei Josaphat gloriosum Martyris cognomentum, et sacr. . . . sedulo quesiturus, Nos ut hac etiam opportunitate quantum in Domino possumus Maiestatis Tuae desiderio satisfaciamus, huiusmodi causam praecipuae nobis curae fore pollicemur. Mandavimus propterea, ut maximi ponderis negotium in Congregatione, quae Sacros Ritus tuerit, mature cognoscatur.

Interim Altissimum, qui Sanctorum principatum tenet, enixe precabimur, ut (bona) et iucunda Maiestati Tuae, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die III Decembris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno XVII.

456.

Romae, 25 . VIII . 1640

Pontifex Regi Poloniae Unionem Ruthenorum iterum commendat, et ut Nunzio Apostolico hoc in gravissimo negotio fidem adhibeat et praesto sit rogat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 52, fol. 162rv.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2208, fol. 80.
THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 417, nr. 367.

Charissimo in Christo filio nostro Vladislao, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc..

Quantum Maiestati Tuae cordi sint, quae ad promovendam Ruthenorum Unionem conferre possunt, assiduis documentis magna cum tuae virtutis laude ostendere consuevisti. Proinde non veremur, ne in maximi momenti rebus, quas nostro nomine tibi significabit Venerabilis frater Archiepiscopus Avenionensis, Nuncius Apostolicus, id facile praestiturus sis, quod eximia tua pietas abunde pollicetur. Integrum eius verbis fidem habere cupimus, ac summopere petimus, ut in gravissimo negotio¹⁶¹ tua auctoritate nihil eorum desiderari patiaris, quae ad Catholicae Religionis propagationem maxime profutura existimamus. Rem sane facies tuo nomini valde gloriosam, et Deo, ad cuius gloriam omnia dirigenda sunt, in primis gratam. Maiestati Tuae felicitatem precamur, et Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die XXV Augusti MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno decimoctavo.

457.

Romae, 8 . II . 1641

Auctoritate Apostolica confirmatur concessio ecclesiae SS. Sergii et Bacchi, Ruthenis unitis facta.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 893, fol. 5-6v.

Bullarium diplom. et privileg. SS. Rom. Pontif., vol. XV, p. 91-92, nr. 706, Augustae Taurinorum.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 202-203, nr. 94.

URBANUS PP. VIII. Ad futuram etc..

Alias a Congregatione Visitationis Apostolicae emanuit Decretum tenoris subsequentis, videlicet:

(f. 6) Cum in Sacra Congregatione Visitationis Apostolicae fuerit pluries propositum, an permittendum sit Fratres Religiosos Ordinis Minorum S. Francisci de Paula exercere curam animarum in ecclesia et Parochia Sanctorum Sergii et Bacchi per unum seu duos Religiosos degentes extra claustra et conventum regularem, contra formam et ordinationem Bullae concessioonis, applicationis, et incorporationis Parochiae, factam per fel. rec. Gregorium XV, sub datam Nonis Januarii anno 1622, in qua dicta ecclesia et Parochia cum aedibus parochialibus ac situ adiacente conceditur pro dicto Ordo et Fratribus ad effectum inibi extrui faciendi unum conventum, seu domum regularem pro usu et habitatione competentis numeri administrus duo-

¹⁶¹ Ut videtur, agitur de provisione Ecclesiae Metropolitanae Kiovensis, Metropolita Raphaeli Romae in extremis iam agente. - Cfr. *Annus et dies mortis...*, in « *Analecta OBCM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 154-160.

¹⁶² Ecclesia haec et Hospitium SS. Sergii et Bacchi, dein etiam Madonna del Pascovo vocatum, ad hodierna usque tempora penes Nationem praedictam permansit, primum, ut sedes Procuratorum Generalium in Urbe (1827), dein vero ab anno 1897 ut sedes Pontifici « Collegii Rutheni » (usque ad an. 1932). Ab anno 1932, post translationem Pontifici Collegii S. Josaphat in aliam sedem, devenit domus generalis Ordinis Basiliani S. Josaphat. Ab anno 1718 claret imagine miraculosa B. V. Mariae.

decim Fratrum eiusdem Ordinis, quorum opera eadem ecclesia cultu et devotione celebrior redderetur, et in ea cura animarum aliaque officia parochialia etiam melius et fructosius quam antea exercerentur, et re mature discussa decretum fuerit, nullo modo permittendum esse dictam curam exerceri a Fratribus existentibus extra domum et conventum regularem, sed stante quod iidem Fratres, contra praedictae Bullae dispositionem, domum et conventum regularem, quem fundare et construere debebant in situ adiacenti parochiali ecclesiae, exerint et fundaverint in loco valde distanti, licet intra fines eiusdem Parochiae, videlicet prope ecclesiam S. Petri ad vincula, facta impensa multorum millium aureorum, praefata Parochia, cum praesertim ad id teneantur ex onere imposito a quodam D. Joanne Pizzullo Calabro, fundatore dicti conventus in suo ultimo testamento in quo omnia sua bona, ascendentia ad valorem fere 40 millium, scutorum ea conditione ac lege inter alias reliquit, ut ibidem construere deberent unam novam ecclesiam, prout eadem Sacra Congregatio authoritate sibi a Sanctissimo D. N. concessa ut omni meliori modo (f. 6v), facto etiam prius verbo cum eodem Sanctissimo, ac de eius ordine et mandato statuit, decrevit, et ordinavit applicando etiam praedictam ecclesiam parochialem Sanctorum Sergii et Bacchi, cum situ adiacenti, Collegio Nationis Ruthenorum, ibidem erigendo.

Cum etiam plures iidem Fratres de ordine eiusdem Sacrae Congregationis ac in eademmet Congregatione, ubi eorum Superiores non semel personaliter comparuerunt, fuerint moniti, ut quamprimum ad exitum perducerent aedificium novae ecclesiae inceptum, et se excusaverint, non posse ob graves expensas, nisi paulatim ex annuis redditibus conventus, aedem iam excitatam complere ac perficere, ideo eadem Saera Gongregatio, ne alia mora interponatur, facto verbo cum Sanctissimo, mandavit iterum, donec nova ecclesia sub invocatione Sancti Francisci de Paula, contigua monasterio praedicto, ubi modo divina officia ab iisdem persolvuntur, et omnino statim liberam et expeditam relinquere ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi, eamque cum aedibus parochialibus et situ adiacenti consignari pro erectione Collegii Ruthenorum, cum facultate etiam, quod sepelienda corpora mortuorum Parochiae, quod interim donec sepulchra in nova ecclesia construantur, vel aliter provideatur, possint sepeliri in praefata ecclesia Sanctorum Sergii et Bacchi, et ita servari mandavit, statuit, et ordinavit hac die 12 Maii 1639.

Cum autem firmiora sint ea, quae Sedis Apostolicae patrocinio muniuntur, idecirco Nos de Venerabilium fratrum nostrorum S. R.E Cardinalium negotio propaganda fidei praepositorum consilio, Decretum praeinsertum Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae confirmationis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenient, supplemus.

Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt inviolabiliter observari, sicque per quoscumque etc. Auditores iudicari etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus etc. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Februarii 1641, Anno 18.

M. A. MARALDUS

458.

Romae, 18 . III . 1641

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Archiepiscopi Polocensis, Antonii Sielava.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 973, fol. 470-72v.

Provisio Ecclesiarum Chiovien. et halicien. invicem perpetuo canonice unitarum. Pro Antonio Sielaua¹⁶³.

URBANUS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri nostro Antonio Sielava Archiepiscopo Polocen. in Archiepiscopum Chiovien., et Halicien. electo, salutem et quamlibet benedictionem.

Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa Apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus constituti ad universas orbis Ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, ac pro earum statu feliciter dirigendo Apostolici favoris auxilium adhibeamus, sed de illis propensius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Pastoribus intuemur, ut eis viri iuxta cor nostrum in Pastorem praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam, et providentiam circumspectam salubriter dirigant, et informent, ac bona ipsarum Ecclesiarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem provisionem Ecclesiarum omnium et Archiepiscopatum apud Sedem Apostolicam tunc vacantium, et in posterrum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum, et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Postmodum vero Chiovien. Metropolitana Russiae, Ritus Graeci Sanctae Romanae Ecclesiae unita, et Halicien. Ecclesiis invicem perpetuo canonice unitis, quibus bo.me. Raphael Corsach olim Archiepiscopus Chiovien., et Halicien. dum viveret praesidebat, per obitum dicti Raphaelis Archiepiscopi. qui apud Sedem eandem diem clausit extremum, Pastoris solatio destitutis. Nos vacatione huiusmodi fide dignis relatis intellecta ad provisionem earundem Ecclesiarum celerem et felicem in qua nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione, et decreto obstantibus supradictis, ne illae longae vacationis exponantur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem, et etiam fructuosam cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Polocen. pro quo charissimus in Christo filius noster Vladislaus Poloniae, et Suetiae Rex Illustris nobis per suas literas humiliter supplicavit, spe rantes quod tu, qui Ecclesiae Polocen. hactenus laudabiliter praefuisti, easdem Ecclesias Chiovien. et Halicien. scias, voles et poteris, auctore Domino. salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis te a quibusvis excommunicationis suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis

¹⁶³ Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis (1624-1655), ab an. 1641 Metropolita Kioviensis.

a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibuscumlibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum etc. absolventes et absolutum fore censentes, Ecclesiis Chiovien., et Halicien. predictis de persona tua nobis et nostris fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio, Apostolica auctoritate providemus, teque illis in Archiepiscopus praefecimus, et Pastorem, curam, et regimen, et administrationem ipsarum Ecclesiarum Chiovien., et Halicien tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in Illo qui dat gratias, et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos predictae Ecclesiae Chiovien., et Halicien. sub tuo felici regimine regentur utiliter, et prospere dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa.

Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipliens, curam et administrationem predictas ita exercere studeas solcite, fideliter, et prudenter, quod Ecclesia ipsa Chiovien., et Halicien. gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram, dictaeque Sedis benedictionem et gratiam exinde uberiori consequi merearis.

Quocirca Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis ac dilectis filiis Capitulis, et Vassalibus dictarum Ecclesiarum Chiovien., et Halicien., ac Cleris et populis civitatis et dioecesis Chiovien., et Halicien. per Apostolica scripta mandamus, quatenus Suffraganei tibi tamquam membra Capiti obsequentes, ac Capitulum tamquam Patri et Pastori animarum suarum humiliter intendentis exhibeant tibi obedientiam et reverentiam condignas, debitas, et devotas, ita ut mutua inter te et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, ut Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, et Clerici te pro nostra dictaeque Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice tractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populi vero tamquam Patrem, et Pastorem animarum suarum devote suscipientes, ac debita honorificentia prosequentes tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant, ita ut tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem predicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam, nec non consueta servitia, et iura tibi alias debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Rogamus quoque, et hortamur attente eundem Vladislauum Regem quantum te et predictas Ecclesias Chiovien.. et Halicien. tuae curae commissas habens pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatas in ampliandis, et conservandis iuribus earum sic vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu eius fultus praesidio in commisso tibi curae pastoralis officio possis Deo proprio prosperari, ac eidem Vladislao Regi exinde perennis vitae premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Nos enim ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas motu proprio non ad tuam vel alterius nobis pro te super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra mera liberalitate tecum ut et postquam in vim provisionis et praefectionis predictarum pacificam possessionem,

seu quasi regiminis et administrationis praedictarum Ecclesiarum Chiovien., et Halicien. seu illarum honorum aut maioris partis eorum assecutus fueris, una cum dictis Ecclesiis Chiovien., et Halicien. unitis, quoad illis praefueris, dictam Ecclesiam Polocen. cum praedictis ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum in administrationem tamen retinere illasque in spirituallibus et temporalibus regere, et gubernare ac debitibus et consuetis mensae Archiepiscopalnis Polocen supportatis oneribus de residuis illius fructibus redditibus, et proventibus sicuti Archiepiscopi Polocenses qui pro tempore fuerunt de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quacumque honorum immobilia et pretiosorum mobilium dictae Ecclesiae Polocensis interim et penitus interdicta, disponere et ordinare libere et licite valeas, generalis Concilii ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac unitarum et Polocen. Ecclesiarum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate praedicta earundem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus.

Volumus autem quod tu apud dictas Ecclesias Chiovien., et Halicien. Seminarium ad praescriptum Concilii Tridentini erigas, et Montem pietatis facere cures, domorumque archiepiscopalium reparationibus pro viribus incumbas, super quo conscientiam tuam oneramus. Quodque antequam possessionem dictarum Ecclesiarum Chiovien., et Halicien. adipiscaris iuramentum fidelitatis ac professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos in manibus alicuius Archiepiscopi seu Episcopi catholici iuxta formas quas sub Bulla nostra mittimus introclusas expresse emittere illudque atque illam in publicam et authenticam formam cum tua et dicti Archiepiscopi seu Episcopi subscriptione redacta ad dictam Sedem infra sex menses a capta praedictae Ecclesiarum Chiovien., et Halicien, humili possessione transmittere omnino tenearis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, quintodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

Pro Em.mo D.no Cardinali Barberino summatore P. Gentilis. Visa P.
Gentilis.
P. CIAMPINUS

459.

Romae, 16 . V . 1643

Breve Beatificationis Servi Dei Josaphat.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 921, fol. 104-105v, 111v.

Bullarium diplomatum et privilegiorum S. Rom. Pontificum. Taurinensis editio, XV,
Augustae Taurinorum 1868, p. 262-263.

URBANUS VIII. Ad pereptuam rei memoriam.

In Sede Principis Apostolorum nullis licet nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, ad ea per qua Servorum Christi, qui pro eius

Ecclesia sanguinem suum fuderunt, veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis, pastoralis munera nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia Christi fidelium, et praesertim Catholicorum Regum, et Principum vota exposcunt, Nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sane nomine dilectorum filiorum Monachorum Ordinis S.ti Basilii nobis nuper expositum fuit, quod commissa dudum a nobis Congregationi Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum ad instantiam clarae memoriae Sigismundi dum viveret Poloniae et Suetiae Regis Illustris, nec non ad supplicationem Venerabilium fratrum Metropolitarum, Archiepiscoporum et Episcoporum, ac dilectorum filiorum, nobilium virorum, Palatinorum, Principum ac universi Cleri et populi catholici Regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, ac totius Russiae, nec non Ordinis praedicti, causa Servi Dei Josaphati, Archiepiscopi Polocen, eiusque Ordinis S.ti Basilii pro Christi nomine, et fide catholica, et pro S.ta potissimum Unione cum Ecclesia Romana Vitescii in Russia Alba, die duodecima Novembris 1623 a Scismaticis trucidati, illaque deinde per plures annos per eandem Congregationem servatis servandis discussa et examinata, auditis etiam desuper Theologis, Consultoribus, et sanctae fidei promotore, post obtentam prius a nobis sub die 27 Januarii 1629 derogationem Decreti nostri de non procedendo in causa Servorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut declarantionis martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum, et praevia sub die secunda Martii 1641 nostra licentia ad ulteriora in huismodi causa in congregationibus ordinariis procedendi, referente dilecto filio nostro Joanne Baptista, tit. S. Eusebii et S. R. E. Presbytero Cardinali Pamphilio¹⁶⁴ nuncupato, proposita, eadem Congregatio dicta die secunda Martii 1641 censuit, constare de validitate Processuum, die vero XIII septembribus 1642, constare de martyrio, et causa martyrii, die demum 22 Novembris eiusdem anni 1642, constare etiam de miraculis; ideoque eidem Congregationi videri, si nobis placaret, posse dictum Servum Dei Josaphatum Beatorum martyrum cathalogo adscibi, et ad solemnem ipsius canonizationem quandocumque deveniri.

Quare pro parte non solum praedictorum, verum etiam Venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotio Propaganda Fidei praepositorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem canonizationem dicti Servi Dei Josaphati (procedatur), Beatus nuncupari, atque officium, et Missa de eo ut infra celebrari possit.

Nos itaque piis Vladislai Regis, Cardinalium, Metropolitarum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum, Principum, Cleri, Monachorum et populi praefatorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorundem Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum consilio, ut ipse Dei Servus Josaphatus in posterum beatus nuncupari, atque ab omnibus Monachis dicti Ordinis S.ti Basilii ubique terrarum existentibus necnon in omnibus ecclesiis Dioecesis et Provinciae Polocensis, ac totius Metropolis Russiae a quibuscumque sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus die natalis ipsius duo-

¹⁶⁴ Postea Papa Innocentius X (1644-1655), successor Urbani VIII.

decima mensis Novembris officium, et Missa de communi unius martyris Pontificis recitari, respective ac celebrari iuxta rubricas Breviarii, et Missalis romani, nec non graeci seu rutheni ab Apostolica Sede approbati valeat, Apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis et alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeat, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S.Petrum, sub die 16 Maii 1643, Anno 20.

460.

Romae, 3 . XI . 1643

Hierarchiae ruthenae Pontifex gratulatur de studio Unionis eosque hortatur, ut disciplinae monasticae conservandae curent.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 356-357v.

TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 209-210, nr. 113.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 424, nr. 373.

Venerabili fratri Metropolitano, Episcopis et Praelatis ruthenis unitis.

URBANUS PP. VIII. Venerabiles fratres, salutem etc.

Minime Nos latet, Fraternitates vestras episcopalis muneris haud immores nihil ardentius contendere, quam ut honorificetis ministerium vescrum, et cuncta assidue promoveatis, quibus divino cultui simulque animarum saluti prospectum sit, quas aeternus Pater familias zelo et vigilantiae vestrae commendavit. Ex egregiis certe conatibus a vobis hucusque summa cum laude adhibitis certam capientes conjecturam speramus fore, ut nullo unquam tempore desiderari aliquid patiamini, quod a praecipuo studio in catholicae fidei propagationem, aut spiritualem populorum profectum conferri possit; paterna tamen benevolentia, qua Ruthenorum nationem in Christi visceribus complectimur, Nos impellit, ut illud ipsum a vobis postulemus, quod vel solo innatae virtutis incitamento diligenter curaturos confidimus. Quamobrem Nos proximae Synodi¹⁶⁵ opportunatatem nacti, dum in Concilium et Congregationem iustorum convenietis, loquentes testimonia Domini, maiorem in modum hortamur Fraternitates vestras, ut peculiari sollicitudine Unionem tueri satagatis, quae cum hac Sancta Sede sub Clemente VIII, Decessore nostro, in Brestensi Concilio constituta fuit, eamque in universa Russia late propagare sedulo studeatis.

Ad hoc vero e sententia perficiendum mirifice sane proderit, si officiis atque auctoritate vestra Monachi uniti ad regularis disciplinae observantiam iuxta sancti Basilii praescriptum inducantur. Dum enim non minus exemplo, quam verbis ubique semina effundent catholicae praedicationis, Deo incre-

¹⁶⁵ Revera Synodus haec locum habere non potuit.

mentum dante, uberes expectari poterunt cum bonorum omnium consolatione proventus. Quam genti istae felicitatem anxiis orationibus ab Altissimo flagitamus, cupientes eam coelo atque orbi commendari divinae beneficentiae documentis.

Nunc vero licet Venerabilis frater Antonius, Ruthenorum Metropolita, ad debitam nobis, et Sanctae Sedis obedientiam praestandam personaliter accedere debuisse, senii tamen ac aegritudinis, quibus conflictatur, habita ratione ex speciali indulto ad huiusmodi munus eius nomine peragendum admisimus Venerabilem fratrem Methodium¹⁶⁶, Episcopum Chelmensem unitum, qui eximiis dotibus et vestra etiam causa plurimum commendatus per humaniter a nobis exceptus ac libentissime auditus fuit. Ex eodem cognoscere poteritis, quam sollicito Apostolicae charitatis affectu suffragemur Fraternitatibus vestris, quas Regnum Dei in terris propagantes diu incolumes optamus, et pontificiam benedictionem intimo cordis sensu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die III Novembris MDCXLIII, Pontificatus Nostri Anno XXI.

461.

Romae, 3 . XI . 1643

Regi Poloniae aliisque Proceribus Poloniae negotia Unionis commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 357v-358.

TURGENEV J., *op. cit.*, p. 210, nr. 113b.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 425, nr. 375.

Charissimo in Christo filio nostro Wladislao, Poloniae et Sueciae Regi Illustri¹⁶⁷.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Perspicuum nobis est, Ruthenos unitos commendatione apud Maiest. Tuam haud indigere, cum illos eximia sua pietate suadente humanissimo patrocinio semper complexus fueris, atque ad universalem Ruthenorum Unionem promovendam nulla regiae auctoritatis officia desiderari patiaris. Pro pontificia tamen erga illos sollicitudine maiorem in modum a te postulamus, ut eorum, imo Dei causam sedulo tuearis, atque in hoc maximi ponderis negotio consuetam divinae gloriae et communis salutis curandae zelum indesinenter ostendas. Quod sane in tui etiam nominis laudem, et amplissimi Re-

¹⁶⁶ Methodius Terleckyj, Episcopus Chelmensis (1629-1649). Alumnus olim Collegii Viennensis, postea Missionarius S.C. in Croatia et Serbia, dein nominatus Episcopus Chelmensis a Josepho Velamin Rutskyi, Metropolita Kiovensi. Qua in Sede multum adlaboravit in promovenda eruditione populi et Cleri, in defensione immunitatum et iuriuum sueae Ecclesiae. Cfr. PLOSCANSKYJ V. M., *Prošloje Cholmskoj Rusi po archivnych dokumentach XV-XVII v.*, Vilna 1899-1901.

¹⁶⁷ Epistula haec et sequentes missae fuerunt occasione redditus Methodii Terleckyj Roma, ubi propter diversa negotia Ecclesiae Unitae venit, simulque obedientiam nomine Metropolitae Kiovensis praestavit.

gni felicitatem cedet; quibus enim praesidiis religioni consultitur, iisdem stabiliuntur munimenta publicae tranquillitatis. Amplissimam quoque mercedem praestolari poteris ab Altissimo, qui cum dives sit in misericordia, praeclara virtutis opera carere non permittit uberi caelestium beneficiorum foenore. Ipsum nos enixe precamur, ut diurna incolumitate et prosperis rerum omnium eventibus florere velit Maiestatem tuam, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die III Novembris MDCXLIII, Pontificatus Nostri Anno XXI.

462.

Romae, 3 . XI . 1643

De eodem argumento tractat cum Cancellario Regni Poloniae, Georgio Ossolinski.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 358v-359.

TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 210-211, nr. 113c.

THEINER, *op. cit.*, III, p. 425 (adnotatio nominum).

Dilecto filio, nobili viro, Duci Georgio Ossolinschi,
Supremo Regni Poloniae Cancellario.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qui catholicae fidei incrementum praecipuum pontificiae sollicitudinis materiam esse arbitramur, in illud promovendum, quantum in Domino possumus, diligenter incumbimus. Neque sane aliquid est, quod inter gravissimas, quibus conflictamur, molestias aequa nobis solatio sit, ac religiosus illorum conatus, qui populos sedentes in tenebris, et umbra mortis ad aeternae vitae lumen revocare contendunt. Quo nomine ingentem plane laudem promereri scimus Nobilitatem Tuam quam omni auctoritate ac studio Ruthenis huic Sanctae Sedi obtemperantibus praesto esse, reliquis ad salutem Unionem adiutum sedulo aperire non semel audivimus.

Non minus certe (f. 359) publicae felicitati, quam illius Nationis commodo a te consulatur, dum ipsam ad verae fidei integritatem perducere assidue satagis. Nos, qui virtutes tuas paterna prosequimur benevolentia, Altissimum indesinenter precamur, ut tuis in hanc rem officiis obsecundantem se praebeat, et caelestium gratiarum ubertate diu florere velit Nobilitatem Tuam, cui Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum ut supra.

463.

Rome, 3 . XI . 1643

*Eodem argumento Archiepiscopo Gnesnensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 359rv.
THEINER A., *op. cit.*, III, fol. 425 (nomen).Venerabili fratri Mattheiae, Archiepiscopo Gnesnensi¹⁶⁸.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Mirifice animum nostrum recreant accurata illa officia, quibus Fraternitas Tua Ruthenos cum Romana Ecclesia sentientes patrocinio tueri, eorumque rationibus diligentissime (f. 539v) suffragari solet. Neque enim Nos latet, ubique proponi aliquid contingat, quod in eorum perniciem cedere quoquo modo valeat, nihil tibi maius cordi esse quam, ascendere ex adverso et opponere murum pro domo Israel. Illustri hoc pietatis documento omnibus exemplo es, quam efficacitate divinus cultus, et animarum profectus curandus sit, eodemque ingentem apud veros Ecclesiae filios religiosissimae voluntatis laudem promereris. Tantum nomini tuo decus impense gratulamur, qui spe rantes fore ut praeclarum de catholica re benemerendi institutum sedulo custodias, et Universalem Ruthenorum Unionem indesinenter promoveas. Omnipotentis clementiam precabimur propitiam Fraternitati Tuae, cui pontificiam benedictionem peramanter impertimus.

Datum ut supra.

464.

Rome, 3 . XI . 1643

*Eodem modo Episcopo Peremysliensi latino.*ASV., *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 360rv.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 212, nr. 113f.Venerabili fratri Alexandro, Episcopo Praemisliensi¹⁶⁹.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Neque religioni tutela, neque virtuti patrocinium deest in Poloniae Comitiis, ubi Fraternitas Tua, ubique complures nihil potius habent, quam divinae gloriae incrementum, ac bonorum utilitatem promovere. Id experti non raro sunt Rutheni Apostolicae Sedi obsequentes, cum auctoritatem quam meitorum praestantia tibi comparavit, in ipsorum praesidium impedere consueveris. Nec vulgarem eximius iste zelus tuo nomini laudem quaesivit, quam Ecclesiae rationes communire, et animos Christo lucri facere. Ad hoc assidue praestandum et Universalem Ruthenorum Unionem sedulo curandam scimus

¹⁶⁸ Matthias Lubienski (1641-1652).¹⁶⁹ Alexander Trzebinski (1642-1644).

te nullius hortatibus indigere, qui solis in mandatis Domini velle nimis. Proinde ipsum Patrem misericordiarum (f. 360) potius praecabimur, ut benigne faveat conatibus Fraternitatis Tuae, cui Nos Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum ut supra.

465.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem Palatino Russiae, Jacobo Sobieski.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 360v-361.
TURGENEV J., *op. cit.* II, p. 211-212, nr. 113c.

Dilecto filio, nobili viro, Jacobo Subieschi, Palatino Russiae.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Caeleste patrocinium promerentur Nobilitati Tuae illa humanitatis officia, quibus Ruthenos ad Romanae Ecclesiae unitatem aggregatos protegere nunquam desistis. Quantum inde utilitatis promanare queat facile est perspicere. Eo enim propensius cum Apostolica Sede caeteri cohaerebunt, cum aperte intelligent, minime sibi illorum defore praesidium, quorum ope atque auctoritate felicitas publica (f. 361) et catholica religio communitur. Nos qui in eam Nationem non raro pontificiae sollicitudinis oculos convertimus, uberem colligimus fructum consolationis, pro certo habentes, nihil a te unquam praetermissum iri, ut in gravissimo negotio, quod non nisi ad Dei gloriam, et animarum in columitatem dirigitur, optatissimi voti compotes efficiamur. Perge dilecte fili, eam qua dudum progrederis viam, constanter insiste, et eximum catholicae fidei propagandae studium, quo te maxime incensum hactenus ostendisti, assiduis pietatis tuae documentis indesinenter declara. Ita sane paternam charitatem nostram arctius demereris, et ingentem a Deo mercedem iure praestolari poterit Nobilitas Tua, cui Nos paternam benedictionem amanter impertimur.

Datum ut supra.

466.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem Episcopo Cracoviensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 361v-362.
TURGENEV J., *op. cit.* II, p. 212-213, nr. 113g.

Venerabili fratri Petro, Episcopo Cracoviensi¹⁷⁰.

Idem argumentum.

¹⁷⁰ Petrus Gembicki (1642-1657), antea Cancellarius Regni.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Celebrant non sine praecipua gratissimi animi significatione Rutheni uniti ea beneficia, quae Fraternitatis Tuae pietas, atque auctoritas sive Comitiorum occasione, sive quavis alia opportunitate in illos conferre solet. Consolatur sollicitudinem nostras tuarum laudum commemoratio, et gratias agimus Altissimo, quod te scuto bonae voluntatis communium ad suarum rerum tutelam paratissimum semper inveniat illa Natio, quam Nos ad pontificiae charitatis curas pertinere, ubicumque usus ferat, libentissime declarabimus. Proinde testamur, iucundissima nobis accidere officia, quae a te in ipsius commodum tam humaniter exhibitentur. Neque ulla ratione benevolentiam nostram arctius demereris poteris, quam si in posterum quoque (f. 362) illius rebus praesto esse minime praetermisseris. Pollicetur id eximia virtus, cui uberem etiam inter mortales ab Altissimo mercedem postulamus, et Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae intimo cordis sensu impertimur.

Datum ut supra.

467.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem Duci Zaslavskyj.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 362rv.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 213, nr. 113h.

Dilecto filio, nobili viro, Dominico Duci Zaslaviae¹⁷¹.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Qui Nobilitatis Tuae zelum iampridem novimus, ea a te non dubie exspectamus pietatis documenta, quibus fides catholica propagetur, et plurimorum saluti consultum sit. Id summa cum tuae virtutis laude perficies, si diligenter curaveris, ut Rutheni omnes, qui intra tuae ditionis fines commorantur, Romanae Ecclesiae sese adiungant, et dum ruthenos sacerdotes (f. 362v) in suis erroribus contumaciter persistere animadvertas, operam atque auctortitatem impenderis, ut spiritualis populorum gubernatio sacerdotibus unitis commendetur. Hoc idem a te enixe flagitamus, testantes nostra solatia fore cuncta officia, quibus in maximi ponderis negotio Dei causam propugnare conatus fueris. Neque enim ardenter quidquam exoptamus, quam ut necessitatibus animarum, quas Christus Dominus ipsius sanguinis pretio redemit, opportune prospiciatur. Annuit votibus nostris omnipotens misericordia atque immortalis praesidio tueatur Nobilitatem Tuam, cui Apostolicam benedictionem paterne impertimur.

Datum ut supra.

¹⁷¹ Cfr. supra nota 157.

468.

Romae, 3 . XI . 1643

*Idem Stanislae Radziwill, Magno Cancellario Ducatus Lithuaniae.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 363rv.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 213-214, nr. 113i.Dilecto filio, nobili viro, Stanislae Radzivil, Duc
in Olica, Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quae pro vera religione qua tuenda qua propaganda hactenus perfectit Nobilitas Tua, abunde nobis persuadent aliaenae hortationis impulsu tibi haud opus esse, ut nihil a tua auctoritate desiderari patiaris, quod Ruthenis hanc Sanctam Sedem venerantibus qualibet ratione proficuum fore duxeris. Tuum enim zelum ac prudentiam nequaquam praeterit, iisdem quae in illos conferuntur officiis, non solum ipsorum rationes communiri, sed reliquos etiam ad Unitatem amplectendam efficaciter invitari. Hoc tamen maximi momenti opus nobis adeo cordi est, ut illud a te in praesentia sollicite exigamus, quod (f. 363v) propria virtute suadente te praestitum confidimus. Coniicere saltem inde poteris, quam iucunda animo nostro futura sint quaecumque beneficia accepta illi referent Nobilitati Tuae, cui caelestium donorum incrementum ab Altissimo postulamus, et pontificiam benedictionem intimo affectu impertimur.

Datum ut supra.

469.

Romae, 3 . XI . 1643

*Idem argumentum.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 363v-364.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 214, nr. 113j.Dilecto filio, nobili viro, Lucae Opalinski,
Supremo Marescalco Regni Poloniae.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Minime Nos latet supervacaneum omnio fore, si a Nobilitate Tua flagitemus, ut Ruthenis Apostolicae Sedis auctoritatem agnoscentibus, ubicumque usus ferat, sedulo praesto sis, ceterosque (f. 364) ad Unionem amplectendam, qua patrocinii ope, qua officiorum efficacitate indesinenter allicias. Quaecumque enim ad catholicae fidei praesidium, aut propagationem pertinent pro egregio, quo polles, zelo accuratae apud te suffragationis locum obtinere solent. Facere tamen non possumus, quin praedictam Nationem tibi maiorem in modum commendemus, quippe qui intelligimus amplissimum in ea patefieri campum, ubi divinae gloriae cultus, et animarum salus non sine maximo incremento proferri queant. Nihil est in quo tuam erga publicum bonum sollicitudi-

nem luculentius valeas ostendere, quam si cuncta paratissime adhibeas, quae tanti ponderis negotio proficua fore existimaveris. Rem sane praestabis nobis vehementer optatam, qui Nobilitati Tuae ab immortali bonorum Largitore felicitatem precamur, et paternam benedictionem ex animo impertimus.

Datum ut supra.

470.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem commendatur Castellano Cracoviensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 364v-365.

TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 214-215, nr. 113k.

Dilecto filio, nobili viro, Castellano Cracoviensi.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quae ad Ruthenorum huic Sanctae Sedi pie obtemperantium tutelam atque utilitatem summo cum studio hactenus curavit Nobilitas Tua, facile ostendunt nullumhortationis genus opus esse, ut in posterum quoque tui similem te exhibeas. Sed quoniam illi accurata potentium suffragatione assidue egent, cum praecipue non desint, qui animo in Ecclesiam infenso eorumdem perniciem continuo moliuntur. Nos pro ea, qua erga dilectos filios gerimus sollicitudine, enixe a te petimus, ut ipsorum rationibus iugiter praesto sis, ac operam sedulo impendas, quo Rutheni omnes ad Romanae Ecclesiae Unitatem amplectendam benebole invitentur, atque in viis Domini ambulent cum consensu. Religiosi isti conatus mirifice respondebunt (f. 365) praelclare, quam de te suscepimus, opinioni de cuius virtute et pietate cuncta in catholicae fidei et publici boni praesidium nobis pollicentes, Nobilitati Tuae felicitatem ab Altissimo postulamus, et pontificiam benedictionem paterne impertimus.

Datum ut supra.

471.

Romae, 3 . XI . 1643

Invitat Palatinum Kiovensem ad amplectendam Unionem cum Ecclesia Romana.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 365rv.

TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 215, nr. 113l.

THEINER A., *op. cit.*, p. 425-5 nr. 374.

Dilecto filio, nobili viro, Adamo Kiseliu, Castellano Cernichoviensi¹⁷².

¹⁷² Adamus Kysil, filius Georgii; subcamerarius Cernyhoiensis, dein Castellanus Bracoviensis. Postea vero Castellanus Kiovensis et Palatinus Kiovensis an. 1648. In bello polono-cosatico methodum suadebat mitem et conciliantem; ipse utrique parti pro mediatore inserviebat. Religione erat non Unitus, tamen Unioni Universalis favebat, et simul cum Metropolita Kiovensi, non unito, Petro Mohyla, ei adlaborabat. Obiit anno 1653. - Cfr. Pow. vol. 14, p. 709.

URBANUS PP. VIII. Nobilis vir, salutem et lumen divinae gratiae.

Extra beati Petri naviculam, cuius cursus ad immortalis beatitatis portum dirigitur, inter caecos errorum scopulos et opinionum syrtes hominum salutem misere naufragari, cum perspicuum nobis atque exploratum sit, ad illam per fideles divini verbi propagatores omnium animos ubique vocare satagit pontificia sollicitudo. Eodem nunc zelo ducimur, ut Nobilitatem Tuam, quam auctoritate, doctrina ac prudentia plurimum pollere audivimus, ad Rom. Ecclesiae unitatem invitemus, ac salutaribus hisce monitis a te petamus, ut laudem, quam adhuc eximiis dotibus non vulgarem tuo nomini comparasti, optima verae fidei accessione cumulare velis. Utinam affulgeret dies, dies felicitatis et laetitiae, qua cum Angelorum gaudiis et Ecclesiae benedictionibus complecti Apostolicae charitatis brachiis te possemus vocatum in adoptionem filiorum Dei. Nihil sane nobis iucundius accideret, quam si Adamum Kiselium id existimationis virum ad Romanae Ecclesiae obtemperandum nostra officia traducerent. Proinde tantum a divina clementia beneficium tibi suppliciter exposcentes, iustitiae solem orientem ex alto frequentibus atque acuratissimis precibus postulabimus, ut coelesti suo lumine dirigat pedes tuos in viam pacis et beatitudinis sempiternae.

Datum Romae etc., die III Novembris MDCXXXIII, Pontificatus Nostri Anno XXI.

472.

Romae, 3 . XI . 1643

Metropolita Kioviensis, Petrus Mohyla, ad unionem cum Ecclesia Romana invitatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 366rv-367.

TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 215-216, nr. 113m.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 425, nr. 374b.

Venerabili fratri Petro Mohillae, Metropolitae nuncupato¹⁷³.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et lumen divinae gratiae.

Licet non minus religionis diversitate, quam locorum intervallo a nobis dissitam esse sciamus Fraternitatem Tuam, oculos tamen ad te convertit Apostolica sollicitudo, cupiens te deducere ad sanctuarium catholicae fidei, ubi elegit Dominus habitationem sibi, atque ad tutissimum illud iter advocare, in quo pontificiae claves patefaciunt fores aeterni regni populis credentibus. Audi, Venerabilis frater, salutaria consilia, quae non tam ab Urbe nationum patria et veritatis magistra, quam a Coelo ipso tibi suggerentur. Consule tuae et aliorum saluti, qui tuis vestigiis insistunt, et quam viam exemplo comonstrabis, facile subsequentur. Gravissima hac de re fusius ad te literas dabit sacra Cardinalium Congregatio, qui catholicae fidei propagandae pre-

¹⁷³ Cfr. supra nota 153.

sunt; si autem aliquid distinctius explicandum supererit, sive uberiorem animadversionem postulare visum fuerit, duos ex peritioribus tuis Monachis mittere ad Nos poteris, qui comiter ac benevole excipientur, ac procul dubio dignoscent, quam sincera, quam sibi constans, quam cum omni virtutum genere coniuncta sit illa doctrina, quam veneranda beati Petri Cathedra profitetur. Tum ut speramus, scientiam salutis edocti ad vos revertentur, loquentes testimonia Domini, quibus tuorum popularium animae ab infernali luporum fauicibus ereptae ad verum ovile Christi perducantur. Confidimus fore, ut pontificiis votis optatum largiatur exitum Omnipotens, cui accuratissimis orationibus universam Ruthenorum nationem assidue commendamus. Ille enim dispersiones Israelis ubique congregare potens est, et in tuo corde possunt, Spiritus Sancti aura afflante, germinare fructus aeternae salutis, irrigati imbre pretiosi sanguinis e vulneribus Crucifixi Domini profluente. Hanc animo nostro consolationem, et Fraternitati Tuae felicitatem cupimus, cui a Patre luminum coelestes suae gratiae radios indesinenter precabimur.

Datum ut supra.

473.

Romae, 3 . XI . 1643

Palatino Kioviensi eadem res commendatur protegenda et promovenda.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 367r.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 217, nr. 1130.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Palatino Chioviensi.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

In tot, quibus difficillimo hoc tempore premimur molestiis oblivisci haud quaquam valemus eius benevolentiae, quam erga Ruthenos cum Romana Ecclesia sentientes paratissimam profitemur. Propterea cum exploratum nobis sit, quanam animi propensione illis suffragari et reliquorum in amplio isto Regno Unitatem promovere soleat Nobilitas Tua, has ad te dare decrevimus, in quibus tuas potius laudes, quam pontificias (367v) hortationes poteris agnoscere. Tanto enim studio in isto Regno solemne tibi est Regnum Caeli propugnare, ut solum optandum sit, te in posterum quoque tui similem esse. Speramus sane fore, ut nova semper beneficia populi illi accepta referant Nobilitati Tuae, cui fausta cuncta precamur, et Apostolicam benedictionem in Domino impertimur.

Datum ut supra.

474.

*Romae, 3 . XI . 1643**De eodem negotio ad Nicolaum Ostrorog.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 367v-368.
 TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 216, nr. 113n.

Dilecto filio Nicolao Ostrorogue.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc.

Cupimus vehementer, ut pietas tua, qua in rebus ad catholicae fidei propagationem spectantibus egregium hic specimen dedisti, nihil a se desiderari permittat, quod ad Ruthenos, qui intra tui dominatus limites Romanae Ecclesiae non consentiunt, ad Unionem (f. 368) deducendos proficuum esse valeat. Illud autem in primis proderit, si sacerdotibus schismaticis, ubi a sua contumacia avelli nequeant, sacerdotes uniti subrogentur, ne eorum culpa, qui doctrinae integritatem alios docere debent, perniciose contagionis labes contrahatur. Ita certae eximiae tuae institutioni satisfacies, et rem Dei gratissimam praestabis a quo tibi felicitatem precamur, et Apostolicam benedictionem intimo affectu impertimur.

Datum ut supra.

475.

*Romae, 3 . XI . 1643**Idem scribitur et commendatur etiam Joanni Zamoyski.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 368rv.
 TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 217, nr. 113p.

Dilecto filio Joanni Zamosco.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc.

Solemne tibi est Caelestis Regni ditionem in amplissimo isto Regno propugnare quotiescumque catholicae religionis tuendae aliqua praebeatur opportunitas. Nos (f. 368v) tuis laudibus paterne suffragantes rem tibi in praesentia proponimus, in qua propriae pietati, et pontificio desiderio valeas morem gerere. Petimus vero, ut quemadmodum tibi hactenus in votis fuit Ruthenos omnes, qui in locis ad te pertinentibus commorantur, catholicam unitatem amplecti cures. Si autem salutaria consilia sacerdotes schismatici detrectaverint, in ipsorum locum unitos subrogari contendas, qui verbo et exemplo ad aeternae Patriae semitam populos perducant. Id eximia, qua polles, virtute expectantes, divinae gratiae opem tuis officiis postulamus, tibique Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum ut supra.

476.

*Romae, 3 . XI . 1643**Duci Koreckyj idem negotium promotedum commendatur.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 369rv.
 TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 218, nr. 113r.

Dilecto filio, nobili viro, Duci in Korec Korecki.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Patet Nobilitati Tuae amplissimus de Ecclesia optime merendi campus, si nimirum sategeris, ut Rutheni, qui intra tuae ditionis fines commorantur, Apostolicae Sedi haudquaquam obtemperantes, semotis opinionum ambagiibus ad tutam divinae legis semitam sese conferant. Illud autem in primis curandum est, ut si sacerdotes schismatici suis in erroribus obstinate permanerint iisdem populis sacerdotes uniti praeficiantur, qui salutaris doctrinae pabulum subministrent. Prodeant igitur, dilecte fili, ex tua virtute consilia atque officia, quae delata videantur e caelo, et filios tenebrarum exterreant. Ut id nobis de te polliceamur facit omnino pietas illa, quam in tua prudentia nunquam disiungi voluisti. Quamobrem Altissimum oremus, ut praeclaris tuis votis et conatibus praesto sit, Nobilitati Tuae paternam benedictionem ex animo impertimur.

Datum ut supra.

477.

*Romae, 3 . XI . 1643**Subcamerario Vitebsensi eodem arguento Breve datur.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 369v-370.
 TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 217-2182.

Dilecto filio, nobili viro, Friderico Sapieha,
 Succamerario Vitebsensi.
 Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Praecipua catholicae fidei propaganda sollicitudo, qua Nobilitas Tua incensa esse ostendit, aperte docet divinam gloriam et animorum profectum tibi p[re]caeteris rebus unice cordi esse. Nobis sane gratissima acciderunt, quae de tuo zelo et filiali erga hanc Sanctam Sedem observantia retulit Venerabilis frater Methodius, Episcopus Culmensis (f. 370). Nihil enim inter tot quibus assidue premimur sollicitudines aequae Nos consolatur ac filiorum virtus, qui insignia religionis exhibit documenta, et impiis eorum conatus obsistunt, qui adversus Sanctuarium, quod firmaverunt manus Domini, insurgere non verentur. Perge igitur novis in dies praeclare gestis eximiam hanc laudem promereri, ac illud pro certo habe, amplissimum tibi praemium non defuturum ab eo, qui dives est in misericordia. Idem ad felicem perducat

exitum labores pro eius cultu susceptos a Nobilitate Tua, cui Nos pontificiam benedictionem paterno affectu impertimur.

Datum ut supra.

478.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem Palatino Berestensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 370rv.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 218-219, nr. 113s.

Dilecto filio, nobili viro, Teophilo Tryznae,
Palatino Brestensi.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Recreavit non parum animum nostrum Venerabilis frater Methodius, Episcopus Chelmensis, earum laudum commemoratione quas eximium catholicae religionis studium Nobilitati Tuae apud omnes Ecclesiae filios mirifice comparavit. Audivimus enim te pro insigni pietatis zelo ea assidue aggredi, quae cum plurimorum salute, et praecipuo divinae gloriae incremento coniuncta sunt. Intimis Apostolicae charitatis visceribus te amplectimur, atque impense hortamur, ut in posterum quoque tui similem te exhibeas, caeterisque exemplo sis, nullum laborem ac diligentiam alacrius impendendam esse, quam ut in tenebris aberrantes ad vias Domini revocentur, eiusdemque opera agnoscant, quae sunt veritatis et iudicium. Annuat ipsius clementia votis nostris, et caelestibus muneribus affatim cumulet Nobilitatem Tuam, cui paternam benedictionem amanter impertimur.

Datum ut supra.

479.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem Thesaurario Regni Poloniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 371rv.
TURGENEV J., *op. cit.*, II, p. 219-220, nr. 113u.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Nicolao Danilowicz,
Thesaurario supremo Regni Poloniae.
Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Plura sunt, quibus perficiendis opinioni, quae de tuo zelo iampridem apud omnes invaluit, abunde satisfecisti; nihil tamen est in quo Nobilitas Tua maiorem sibi laudem consequatur quam dum Ruthenis orthodoxis perhumaniter favet atque ad reliquorum Unionem procurandam nullum praetermittit officium. Id quemadmodum pietatis tuae instituto optime respondet, ita nobis, qui Nationem illam pontificia complectimur charitate, ingentem plane

affert materiam consolationis. Nemo enim non videt quanto iis populis ad verae fidei semitas incitamento esse possit, si re ipsa perspexerint Regni Proceres erga eorundem rationes et commoda propensissime ferri. Quamobrem illos sic auctoritati tuae (f. 371v), commendamus, ut nihil maiori studio commendari queat. Pro certo autem tibi persuadeas, insigne hoc opus uberm relaturum mercedem ab Altissimo misericordiarum Patre, quem enixe rogamus, ut te diutissime servet in colum, et Nobilitati Tuae paterno affectu benedicimus.

Datum ut supra.

480.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem commendatur Marescalco Magni Ducatus Lithuaniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 371v-372.

Dilecto filio, nobili viro, Casimiro Sapieha,
Marescalco Magni Ducatus Lithuaniae.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Perspectum atque exploratum re ipsa cupimur Ruthenorum Nationem ad praecipuas Apostolicae charitatis sollicitudines pertinere. Idcirco facere non possumus, quin quandocumque se dat occasio iis, qui virtute, atque auctoritate praestant illam iteratis officiis (f. 372) summo animi affectu commendemus. Nunc proinde a Nobilitate Tua enixe petimus, ut quibus in rebus Ruthenos Ecclesiae obtemperantes iuvare, caeteros vero ad Unionem pertrahere quoquo modo valeas, opem tuam illorum utilitati impendere ne praetermittas. Id si, quemadmodum de tua pietate nobis pollicemur, accurate perficeris, eximum antiquis laudibus decus superaddes, et pontificiam benevolentiam arctius demereberis. Nos vero divinam precabimur bonitatem, ut piis tuis conatibus obsecundantem se praebeat et fausta cuncta largiatur Nobilitati Tuae, cui benedictionem nostram intimo cordis sensu impertimur.

Datum ut supra.

481.

Romae, 3 . XI . 1643

Idem argumentum tractatur cum Michaeli Korybut, Duce.

ASV, *Ep., ad Principes*, vol. 53, fol. 372-373.
TURGENEV J., *op. cit.*, vol. II, p. 220, nr. 113w.

Dilecto filio, nobili viro, Michaeli Duci Koributh.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Ingenti plane afficimur moerore, dum animadvertisimus, in agro quem aeternus Paterfamilias sollicitudini nostrae commendavit, aliquando deesse

operarios, ubi spectari posset messium proventus. Suadet proinde muneris nostri ratio, ut nihil praetermittamus, quod ad impigros ubique vocandos administratos opportunum videri queat. Nunc igitur cum audiverimus intra Nobilitatis Tuae dominium non paucos Ruthenos degere, qui huius Sanctae Sedis auctoritatem minime agnoscant, summopere a te petimus, ut illos ad catholicam unitatem traducere eisdemque sacerdotes unitos praeficere omnino cures. Confidimus te in huiusmodi opportunitate talia editurum verae pietatis documenta, ut omnes desumere inde valeant exempla auctoritatis, religioni famulantis. Neque deerit praeclaris hisce conatibus Altissimi patrocinium, a quo diuturnam precamur felicitatem Nobilitati Tuae, et paternam benedictionem ex animo impertimur.

Datum ut supra.

482.

Romae, 3 . XI . 1643

Magistris Academiae Cracoviensis Episcopus Chelmensis, in patriam rediens, commendatur, et ut eum in scholis erigendis iuvent, hortantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 53, fol. 373rv.
THEINER J., *op. cit.*, II, p. 220-221v, nr. 113v.

Dilectis filiis Academiae Cracoviensis.

URBANUS PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc.

Venerabilis fratri Methodii, Episcopi Chelmensis rutheni uniti pietas et prudentia mirifice eluxit, dum ad excolenda iuvenum ingenia magno Reipublicae commodo scholas non ita pridem erexit. Optime enim instituta gymnasia cum bonarum artium officina sint, arma quotidie eudunt, quibus coercentur impietas, Dei gloria propugnatur et communis felicitas custoditur. Adeo proficuum opus cum diu florere et maioribus in dies incrementis emulari exoptemus, patrocinio vestro illud summopere commendamus, ac praecipue petimus, ut quaecumque a vobis proficiisci possunt privilegia, eisdem scholis humaniter concedatis. Omnia sane benevoli erga illas animi documenta consuetam vestram in Nos observantiam in publicum bonum propensionem luculenter testatam facient. Caeterum existimantes in negotio, ubi plurimorum utilitas agitur, longioribus hortationibus locum ab istius Academiae zelo non relinqui, hoc a vobis solatium haud dubie expectamus, quibus Apostolicam benedictionem paterne impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die III Novembris MDCXXXIII, Pontificatus Nostri Anno vigesimoprimo.

483.

Romae, 16 . II. 1644

Confirmatio erectionis scholarum humaniorum, et aliarum pro Methodio, Episcopo Chelmensi et Belzensi, in sua civitate seu Dioecesi, pro instructione gentis Roxolanae, cum introductione monachorum Ordinis Sancti Basillii in easdem scholas (ex originali superscriptione).

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 929, fol. 33rv, 40.

URBANUS PP. VIII. Ad perpetuam etc.

Romanus Pontifex in supremo militantis Ecclesiae solio, divina dispositione, constitutus, catholicorum Antistitum ex pastoralis officii sui debito gestu, rectam praesertim iuventutis in liberalibus artibus et disciplinis instructionem, ut illis exculta uberes in Ecclesia Dei fructus suo tempore providere valeat, concernetia, quo firmius subsistant, libenter Apostolicae confirmationis praesidio corroborat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Exponi siquidem nobis nuper fecit Venerabilis frater Methodius, Episcopus Chelmensi et Belzensis, cum Sancta Romana Ecclesia unitus, quod alias ipse pro gentis Roxolanae¹⁷⁴ in sacris et humanioribus literis instructione de consensu Venerabilis fratris Raphaelis, Archiepiscopi Chioviensis, Metropolitae totius Russiae, cum eadem Sancta Romana Ecclesia uniti, scholas latino-rum humaniorum, et his superiorum literarum in civitate et sua Dioecesi Chelmensi erexit, et fundavit, ac dotavit, et pro dictae gentis institutione aliquot personas Ordinis Sancti Basillii, doctrina ac vitae, et morum honestate conspicuas cum earum Superiorum licentia, et permissu in easdem scholas introduxit, nec non aedificia illarum usui et commodaे mansioni, ac alia aedificia pro scholis et studiis apta penes ecclesiam B.M. Virginis (f. 33x) assignavit, certis ad id per eundem Methodium Episcopum attributis redditibus suae mensae episcopalibus, et alias, prout in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, demptis redditibus ad praemissa ex praefata mensa episcopali applicatis remaneant ad minus mille scuta monetae romanae annua praefato Episcopo libera, et propterea idem Methodius Episcopus praemissa quo firmius subsistant Apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderat.

Idcirco nos eundem Methodium Episcopum specialibus etc. volentes et a quibusvis etc. censemtes, supplicationibus illius nomine etc. inclinati, erec-

¹⁷⁴ His temporibus in usu etiam erat loco Ruthenorum vel Ruthenorum gentem Ucrainae denominare Roxolana. Nomen provenit ex saec. II-III post Christum natum, a gentibus iraniane provenientiae. Temporibus Cosacorum duces Ucrainae nomine hoc utebantur in suis pertractionibus cum aliis populis, ut ex. gr Bohdan Chmelnyckyj et Ivan Vyhovskyj cum Legato Svetiae Welling sese nominabant duces totius Ucrainae Antiquae vel Roxoloniae, ut differentiam sublinearent inter Russiam — Ucrainam et Russiam — Moscoviam. Ita iam in orbe terrarum Minsterii (Basileae 1552) subscriptum est: «Ruthenia quae et Podolia olim vero Roxolania». - Cfr. *Encyclopedie Ucrainae*, Monachii 1949, p. 13.

tionem, et fundationem scholarum huiusmodi, ac introductionem monachorum dicti Ordinis in easdem scholas, nec non reddituum et aedificiorum assignationem, ut praefertur, retrospective per eundem Methodium Episcopum factas, ac desuper confectas scripturas, quatenus praemissa concernunt, Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes praesentes litteras firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri (f.40), et obtainere, et ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, sique per quoscumque etc. Auditores iudicari etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dictae Ecclesiae Chelmensis et Belzensis etiam etc. consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 16 Januarii 1644. Anno 21.

M. A. Maraldus





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

INNOCENTIUS PP. X

(15.X.4.IX.1644 — 7.I.1655)

r o m a n u s

(Joannes Bapt. Pamphili)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. X

484

Romae, 15 . X . 1649

Regem et Ordines Poloniae Pontifex hortatur ne Cosacis in rebus fidei nimis conniveant in iniuriam Unitorum.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 188rv.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 460, nr. 435.

Charissimo in Christo filio nostro Io. Casimiro,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

INNOCENTIUS PP. X. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Grave bellum, quod Tartari et Cosacchi Poloniae ultiro intulerant¹⁷⁵, a Maiestate Tua summa magnitudine animi cum Corona simul exceptum, et incomparabili virtute ac invicti roboris fortitudine gestum, etiam glorioso et plane te digno fine absolvit omnino par est. Et profecto paulo ante quam haec scriberemus, increbuerat rebus isthic pace compositis, pericula omnia depulsa esse, Tartaros Regno egressos patrias regiones repetere, Cosacchos ad obsequia rediisse. Cum Nos ob eam prosperitatem summas Deo grates omnibus laetitiis perfusi redderemus, inopinato allatum est, eosdem Cosacchos ex eius pacis conditionibus concessiones quasdam et pacta a te, aut etiam a Generalibus Comitiis expectare, quae sane non magis rationibus ac erroribus suis faverent, quam Religioni Catholicae et publico Poloniae bono prorsus adversarentur. Etsi autem Nos de pietate ac prudentia singulari tua et Comitiorum minime dubitare possumus, tamen pro rei magnitudine et eximia

¹⁷⁵ Mense Maio anno 1648 Bohdan Chmelnycyj cum suis exercitibus contra Polonię progressus est ad debellandam effrenatam libertatem Magnatum, qui in terris Ucraïnae possessiones suas habebant et populum sibi subiectum diversis modis opprimebant. Devictis exercitibus polonis (Zovti Vody, Korsun), Chmelnycyj, post brevem expectationem, sub pressione populi insurgentis ad totam Ucraïnae terram liberandam progressus est. Die 23-IX-1648 iterum exercitum trium campiductorum prope Pylavci devicit, Leopolim obsessione ad tributum solvendum constrinxit, et usque ad Zamostia pervenit, conditiones pacis intimando. Post hos eventus, electo novo Rege Joanne Casimiro, exercitus Cosacorum in Ucrainam centralem regressus est. Sed tempore verno 1649 inimicitiae hinc inde iterum surrexerunt. Tunc tempore obsessionis civitatis Zbaraz Tartari, Cosacorum auxiliarii, Chmelnycyj tradiderunt ita, ut cum Rege Casimiro pacem condere necessum fuit, s.d. Zborovensem. Praeter varias concessiones et privilegia Cosaci, instigantibus Ecclesiae Catholicae adversariis, conditionem de abolitione Unionis in Ucraïna posuerunt. Pax haec in Comitis Regni confirmari debuit. Inde Innocentius X in defensionem Catholicorum ucrainorum surrexit et ad Regem aliosque Seniores et Episcopos Poloniae litteras dedit, ne conditiones fidei iniuriosas confirmarent. Hac de re tractat nostrum Breve et sequentia.

nostra in te ac Nobilissimas Nationes istas charitate non secus ac Nos decet, sane commoti instamus, obsecramus, arguimus, ne adversus Dei legem, adversus praeclarissimae gentis insigne nomen, ac tui ipsius tanti Regis gloriam tam grave nefas admitti patiaris, nec tot eodem bello parta decora, omnibus per te cum summi ducis, tum strenui militis numerum admirabiliter expletis, eo recidere sinas, ut quod immortalium laudum famam nomini ac temporibus tuis aeternum asserere debet, commutato exitu, quod avertat Deus, perpetuam notam inurat, cum praesertim ipse nuper inter praecipuos ecclesiastici Ordinis Proceres adeo spectate ac insigniter Orbi toto praeluxeris. Coeterum in hanc rem totam Ven. frater Archiepiscopus Adrianopolitanus¹⁷⁶ edisseret latius, Nos misericordem ac totius clementiae Dominum enixe precamur, ut sollicitudines has nostras irritas reddere, teque ad irrumpendos impiorum conatus indita ex alto virtute praecingere velit; quod ut feliciter consequare Apostolicam benedictionem Maiestati Tuae paterne impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die XV Octobris MDCXXXVIII, Pontificatus Nostri Anno sexto.

485.

Romae, 15 . X . 1648

Idem Senatoribus Regni Poloniae.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 190rv.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 460-1, nr. 435b.

Dilectis filiis, nobilibus viris, toti Ordini Senatorio Regni Poloniae.

INNOCENTIUS PP. X. Dilecti filii, nobiles viri, salutem etc.

Magna cum animi laetitia plane audiveramus, rebus isthic pace compositis, ac Tartaris in patrios fines, Cosacchis ad obsequia reversis, gravissimos tumultus, qui paternas curas nostras tamdiu sollicitas habuerant, tandem residisse, et profecto ut ingenti gloriae novo Regi et universae Reipublicae vestrae fuerat, saevissimum bellum ab immani hostium multitudinem Poloniae illatum tanta magnitudine animi excepisse, ac invictae virtutis constantia sustinuisse, ita illud honestis aequae pacis conditionibus compонere singularis prudentiae ac felicitatis videri poterat; sed cum Omnipotenti Deo effusa mente in gaudia grates ageremus, repente novo nuncio allato conversa est cithara nostra in luctum, exultatio in gemitus vere ine-narrabiles; nam cognovimus Schismaticos a Rege et Comitiis vestris concessiones quasdam non minus isti Regno noxias et indecoras, quam Religioni Catholicae contrarias expectare, quas etsi pro certo habemus illos a singulari pietate ac prudentia praeclarissimi Regis et Reipublicae Polonae impetraturos numquam fore, tamen ut pavidae sunt amantis Patris cogitationes, timorem etiam in re tuta minime deponimus, sed Nobilitates vestras qua obsecrantes, qua arguentes etiam atque serio monemus, ne tam grave

¹⁷⁶ Jannes de Torres, Nuntius Varsaviensis (1645-1653).

nefas admitti ulla ratione patiamini, neve post tanta in hoc quoque bello decora vestra sinatis perfidos hostes tamquam de subacta isthic religione, Nobilitate et Polonia universa triumphare. Exardescat in tam generosi et zelantis legem Dei Conventus vestri meditationibus ignis, ignis consumens et comburens stipulas et zizanias impiorum. Totius nunc orbis oculos in vos coniectos respicite, et quid eos velitis nedum de pietate ac gloriae, sed etiam de libertate Poloniae iudicare? Verum sollicitudines et consilia hac de re nostra Ven. frater Archiepiscopus Adrianopolitanus, Nuntius noster, latius referet Nobilitatibus vestris, quibus nunc lumen et auxilium de Sancto summis precibus petimus, et Apostolicam benedictionem amantissime imperitumur.

Datum ut supra.

486.

Romae, 15 . X . 1649

Pontifex Reginae Poloniae supplicat, ne iniuriosas conditiones Cosacorum acceptare sinat.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 189rv.

Charissimae in Christo filiae nostrae Ludovicae
Mariae, Poloniae, ac Sueciae Reginae Illustri.

INNOCENTIUS PP. X. Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non magis orthodoxae religionis, quam piissimi Regis gloria sane interest, Haereticos, Schismaticos iniquissimos privilegiis quae ab eis in hoc generali Regni Conventu expectantur neutiquam potiri. Quapropter Maiestatem Tuam in tam gravi divinae legis, et existimationis regiae causa omni ope, atque auctoritate qua longe pollet, eniti deceat, ut impiorum conatibus invocato animi robore constanter obsistatur, neve clam tanta religionis catholicae factura, quod avertat Deus, eximia in hoc bello praeclarissimi Regis gloria, et tot egregii, ac immortalitate digni labores eo tandem recitant, ut impietas in Polonia legibus, et Senatus consultis asseratur.

Porro universa Ecclesia nunc in Regem, ac te, charissima in Christo filia nostra, offusos lachrymis oculos convertit, et gemitibus inenarrabilibus vestram sibi iam pridem debitam, et obnoxiam (f. 189v) fidem repetit, ac implorat. Spectaculum plane in re tam conspicua in publicis Comitiis istis factis qua Deo, qua hominibus, ut hinc prorsus ingens nomen vestrum etiam apud posteros cendum, atque aestimandum perpetuo sit. Sed Vobis profecto, religiosissimis Regibus, gratiam et gloriam dabit Dominus Rex ipse Regum, a quo Maiestati Tuae Nuntius Apostolicus haec omnia coram edisserens benedictionem nostro nomine amantissime largietur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris MDCIL. Pontificatus Nostri Anno sexto.

487.

*Romae, 15 . X . 1649**Idem toto Ordini Equestri Regni Poloniae.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 191rv.

Dilectis filiis, universo Ordini Equestri Regni Poloniae.

INNOCENTIUS X. Dilecti fili, salutem et Apostolica benedictionem.

Magna cum animi Nostri laetitia plane audiveramus... (*idem de verbo ad verbum prout toto Ordini Senatorio, fol. 190rv*).

488.

*Romae, 15 . X . 1649**De eadem re hortatur etiam Archiepiscopus Gnesnensis.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 192rv.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesensi¹⁷⁷.

INNOCENTIUS X. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nunquam profecto clarioribus exemplis perspici potuit quantum vel catholicae religionis, vel etiam ecclesiasticae dignitatis intersit sacros Ecclesiarum Praesides locum, suffragia, auctoritatem in Comitiis Poloniae obtainere. Cum sane Schismaticorum haeresis tanta opum vi submixa ea nunc petere non vereatur, quae non minus fidei orthodoxae gravissima damna, quam episcopali isthic Ordini summum dedecus comminentur. Nos enim ne tali in tempore Apostolicae charitatis officia desiderari queant, Venerabilem fratrem Archiepiscopum, Nuntium nostrum, de omnibus ad eam rem pertinentibus consiliis nostris diligenter admonuimus, cui de omnibus his tecum sedulo acturo, ut fidem omnes habere, et auctoritate tua, consilio, opera, ubi res exigit, adesse velis vehementer cupimus, et quamvis gentium vestrarum antiquam pietatem, gloriam, prudentiam cognitam ac perspectam (f. 192v) habentes, pro certo scimus nunquam futurum, ut Polonia tam ne faciat leges a suis eisdem religionis hostibus tamquam devictae imponi sibi passura sit, nullam tamen huic serio cavendae rei pro ipsius gravitate aut sollicitudinem, aut diligentiam omnino praetermittendam esse existimamus.

Sed haec omnia coram idem Nuntius. Nos eximiae virtuti ac singulari erga religionem catholicam studio Fraternitatis Tuae plurimum tribuimus, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris 1649, Pontificatus Nostri Anno sexto.

Fol. 192v: Archiepiscopo Leopoliensi eodem exemplo .

¹⁷⁷ Matthias Lubienski (1641-1652).

489.

*Romae, 15 . X . 1649**Idem Episcopo Plocensi hac eadem occasione.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 193rv.

Venerabili fratri Carolo Ferdinando, Episcopo Plocensi,
Poloniae Regis Fratri.

INNOCENTIUS X. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nunquam profecto clarioribus exemplis perspici potuit, quantum vel Catholicae Religionis... (*prout Archiepiscopo Gnesnensi, fol. 192rv*) ...et omnium rerum ope adesse velis vehementer optamus. Plane Regii sanguinis fulgor (f. 193v) ut eximiis virtutibus tuis summam iure praestat auctoritatem, ita etiam regiae existimationis, et gloriae ad quam ea res vel maxime pertinet arctissime devincit. Sed Nos ante alia omnia singulari tuo erga religionem catholicam studio plurimum tribuimus, et Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno sexto.

490.

*Romae, 15 . X . 1649**De hac eadem causa Pontifex cum Episcopo Culmensi colloquitur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 194rv.

Venerabili fratri Episcopi Culmensi.

INNOCENTIUS X. etc.

Nunquam profecto clarioribus... (*prout Archiep. Gnesnensi, fol. 192rv*) ... adesse velis vehementer cupimus. Idque vel eo magis etiam speramus te perquam diligenter, ac strenue praestaturum, quod idem Nuntius de tuo zelo, et singulari (f. 194v) virtute luculenter nobis testatus est.

Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae etc. (*ut supra in aliis Brevibus*).

491.

Romae, 15 . X . 1649

*Litterae breves aliis quatuor Episcopis a Nuntio determinandis.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 195.

Quatuor Episcopis eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Maximo sane animi nostri dolore audivimus eo excreuisse Schismaticorum haereticorum audaciam, ut iniquissimas, et non minus istius Regni bono quam Religionis Catholicae prorsus adversas leges efflagitare, aut potius imponere non vereantur de qua quidem re etsi eximia Poloniae pietas, et gloria Nos dubitare minime sinat, tamen hoc tempore ne quid detrimenti religio, et Ordinis ecclesiastici dignitas patiatur, omni studio ac opere serio providendum esse censemus.

Et quoniam Fraternitatis Tuae spectata virtus, et zelus tam salutari causae se dare plane volet Venerabili fratri Archiepiscopo Adrianopolitano, Apostolico Nuntio, demandavimus, ut de tota hac re tecum sedulo agat, quaeque Nos te facere potissimum cupimus. Eum igitur audiet Fraternitas Tua cui etiam nostro nomine Apostolicam benedictionem impertiet.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris MDCXXXXIX, Pontificatus Nostri Anno sexto.

492.

Romae, 15 . X . 1649

*Idem quatuor aliis Episcopis aliis verbis.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 195v.

Quatuor Episcopis eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Si unquam sacerdotalis vocis zelo et constantia ad infringendos impiorum conatus pro Religionis Catholicae incolumentate, et ecclesiastici Ordinis dignitate asserenda in Comitiis Poloniae opus fuit, nunc est profecto quam maxima, cum Schismatici ac Haeretici tam iniquas leges efflagitare, aut potius imponere non verentur. Sed etsi Nos ab hac quidem parte securos eximia Poloniae cum pietas, tum gloria praestat, nullam tamen constantiae et infracti animi diligentiam praetermittendam hoc tempore esse arbitramur, sicut Fraternitas Tua ex Nuntio nostro plenius cognoscet, cui etiam fidem omnem habere, et insignem virtutis, et religionis tuae opem in tam necessaria, et salutari vobis causa adiungere plane voles.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. (*ut in fol. 192v*).

493.

*Romae, 15 . X . 1649**Quatuor Senatoribus Regni Poloniae eodem exemplo et in eodem negotio.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 196v.

Quatuor dilectis filiis, nobilibus viris, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Quid potissimum a Nobilitate Tua insigni tuo in rem catholicam, et commune bonum studio nunc praestari vel maxime cupimus ex Venerabili fratre Archiepiscopo Adrianopolitano, Nuntio nostro, cognoscere poteris. Ei sane fidem omnem habebis, et ubi exiget, operam prompte libenterque praebere voles, memor id te cum Catholicae Religionis incolumitati, tum charitati in Patriam hoc earum tam necessario tempore impendere, quo nihil profecto ad laudem veram pulchrius, nihil ad coelestia lucra salutarius.

Ad quae tanta plane bona, aspirante Deo, obtinenda Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno sexto.

494.

*Romae, 15 . X . 1649**Aliis quatuor Nobilibus polonis de eodem negotio.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 197rv.

Quatuor dilectis filiis, nobilibus viris, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Quin Schismaticorum haereticorum spes tam iniquas leges efflagitare aut potius imponere audentium irritae, ac inanes recasurae sint profecto non est dubitandum, sed valde dolendum tantam ex Catholicorum discordiis, et nimis remissis studiis fiduciam eorum audaciae acrevisse, ut religionem, virtutem, gloriam Reipublicae Polonae non revereri, tantum se de illa triumphum consequi posse speraverint. Hinc plane intelligi potest, quanta in refringendis impiis eorum conatibus, et cum Religione Catholica Poloniae gloria asserenda omnibus Reipublicae amantibus senatoribus constans animi robur, cura, opera impendenda serio sit.

Quod equidem cum aliis ad haec negotia facientibus rebus Nobilitas Tua ex Venerabili fratre Archiepiscopo Adrianopolitano, Nuntio Apostolico, plenius intelliget. Proinde ut ei fidem habere, et ubi res exiget, pro eximia spectata virtute tua studium, et omnium virium opem exhibeas valde cupimus.

Nobilitati Tuae (f. 197v) Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno sexto.

495.

*Romae, 15 . X . 1649.**Aliis quatuor idem negotium commendatur enixe.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 198.

Quatuor dilectis filiis, nobilibus viris, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Cum Religionis Catholicae incolumitati, tum Regni istius bono sollicitis curis consulentes, Venerabilem fratrem Archiepiscopum Adrianopolitanum, Nuntium Apostolicum, de consiliis, ac voluntate nostra in hoc rerum vestrum articulo diligenter admonuimus, cumque Nobilitatis Tuae eximiam religionem, prudentiam, virtutem cognitam, ac perspectam habeamus, et sane, ut tanta praesidiorum ope ad tam pium ac salutare Poloniae negotium fidenter utatur, deditus in mandatis.

Quam ob rem ei causae totum te dabis, et Nuntio, ac si Nos ipsi te alloqueremur plane credes.

Interim Nobilitati Tuae a nobis Apostolicam benedictionem paterne largietur.

Datum Romae etc... die XV Octobris 1649, Pontificatus Nostri Anno sexto.

496.

*Romae, 15 . X . 1649.**Simile quid aliis quatuor Nobilibus.*ASV, *Ep ad Principes*, vol. 56, fol. 198v.

Quatuor dilectis filiis, nobilibus viris, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Omnia quae tam necessario tempore ab optimo Senatore Patriae debentur officia Nobilitatis Tuae, et prudentiam cognoscere, et pietatem velle non dubitamus; tamen quae sollicitudinum pro vobis nostrarum consilia Venerabili fratri Archiepiscopo Adrianopolitano, Nuntio nostro, commisimus, ea tibi grata, et accepta fore nobis est plane persuasum.

Eum igitur audies, et in causam adeo Poloniae vestrae salutarem omnes virtutis et auctoritatis tuae vires plane conferas.

Adsit piis conatibus auxiliator Dominus de Sancto, a quo Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. (*ut in fol. 192v*).

497.

*Romae, 15 . X . 1649**Aliis quatuor.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 199.

Quatuor dilectis filiis, nobilibus viris, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Etsi nobis persuasum sit Nobilitatem Tuam pro eximia erga Religionem Catholicam, et Rempublica vestram charitatem omnia officia, quae tam difficultum temporum ratio postulat sua sponte praestaturam esse, tamen quin cuncta ea admonitu nostro accedente cum alacrius, tum prolixius exhibitus sis plane non dubitamus.

Quare Venerabilem fratrem Archiepiscopum Adrianopolitanum, Apostolicum Nuntium de his omnibus tecum nostro nomine agentem audies, et in causam adeo Poloniae toti necessariam, et salutarem omnia studia, operam, et auctoritatis vires conferes.

Praestabit auxilium de Sancto Dominus, a quo benedictionem Apostolicam Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc. (*ut in fol. 192v*).

498.

*Romae, 15 . X . 1649**Iterum aliis de eadem re anni 1649, tempore bellorum Cosaticorum.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 199v.

Quatuor dilectis filiis, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Quantis in difficultatibus, et in quo discriminé cum Religionis Catholicae incolumitas, tum Regni totius bonum hoc tempore versentur summo cum animi nostri sensu accepimus, utque officia omnia, quae ab Apostolica cura in amantissimos filios proficii queant, quam maxime possumus opportune ac fructuose impendamus. Venerabilem fratrem Archiepiscopum Adrianopolitanum, Nuntium nostrum, de omnibus ad eam rem pertinentibus sententiis nostris diligentissime admonuimus. Ex eo igitur intelliges quantum praestanti virtute, ac religionis tuae zelo tribuimus, quidque a te potissimum hoc tam necessario Republicae vestrae tempore praestandum esse existimemus.

Quamobrem ei fidem omnem habebis, et ubi res exiget, auctoritate, omni rerum ope libenter aderis.

Nos tibi Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. (*ut in fol. 192v*).

499.

*Romae, 15 . X . 1649**Aliis quatuor Senatoribus.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 200.

Quatuor dilectis filiis, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Quae ad Comitia vestra mandata deferenda commisimus Venerabili fratre Archiepiscopo Adrianopolitano, Nuntio Apostolico, ea sane paterni erga vos animi officio, et charitate adeo incensa sunt, ut quin omnibus Patriae amantibus civibus tibique in primis, ac tui similibus grata, et probata maxime futura sint plane non dubitamus. Quare eidem Nuntio mandavimus, ut eximia virtute, ac zelo tuo omnibus in rebus fidenter prorsus uteretur, sicuti ex ipso plane cognosces; cui propterea curas, operam et auctoritatem pro eximio tuo erga Religionem Catholicam, et Rempublicam vestram studio conferes, maximam a nobis et a bonis omnibus gratiam initurus. Faveat in conceptis piis Dominus, a quo benedictionem Apostolicam tibi peramanter impertimur.

Datum Romae etc. (*ut in fol. 192v*).

500.

*Romae, 15 . X . 1649**Iterum aliis quatuor Nobilibus Regni Poloniae idem negotium commendatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 56, fol. 200v.

Quatuor dilectis filiis, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Pietatis cum erga Religionem Catholicam, tum erga nobilissimam Patriam impendendae nulla profecto opportunior vel etiam necessaria magis causa in polonis Comitiis unquam exstitit hac ipsa, quam eximiae ac spectatae iamdiu virtuti tuae Reipublicae vestrae tempora hodie praestant. Quanta autem ratione facilius, ac fructuosius id consequi possis tibi nostro nomine aperiet Venerabilis frater Archiepiscopus Adrianopolitanus, Nuntius Apostolicus, quem te sane par est his de rebus audire et sequi, si tum veram in hac vita laudem tum immortalem futurae gloriae coronam adipisci studeas.

Nos piis conatibus tuis propitium Deum serio precamur et benedictionem Apostolicam animo vere paterno impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris 1649, Pontificatus Nostri Anno sexto.

501.

Romae, 15 . X . 1649

Innocentius X quatuor Senatoribus a Nuntio Apostolico determinandis res Ecclesiae Catholicae in Regno Poloniae periclitantes commendat.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 201.

Quatuor dilectis filiis, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Quae a paterna charitatis nostrae voluntate difficillimis istis religionis orthodoxae, et Reipublicae vestrae temporibus, officia proficiisci possunt ea cuncta libenter impendimus, sicut et cum vita sanguinem quoque alacriter effunderemus, si catholicae fidei et boni vestri rationibus conducere posse cognosceremus; ea enim in Conventu isto agentur pro quibus etiam mori si continerit pulchrum, et beatum esset.

Quamobrem constantia singulari, et invicto animi robore opus amnino est, ut impiorum conatus reprimantur, et religionis incolunitas asseratur. Quae sane in te quam ardens sit zelus et quam prudens sensus tuus egregie iam prius edocti, non dubitamus, quin Apostolico Nuntio nostro in causa Dei tua strena laboranti adiutor, et consors insignitor futurus sis.

Verum quia ille mentem et consilia in hac re nostra tibi fidenter edisseret, tuae plane partes erunt adhortationes eius, et pietatis propriae institutum, ducente Deo, sequi. A quo Apostolicam tibi benedictionem peramanter elargimur.

Datum Romae etc. (*ut in fol. 192v*).

502.

Romae, 15 . X . 1649

Quatuor aliis, et ultimis Senatoribus polonis Breve Apostolicum in negotiis Ecclesiae Catholicae expeditur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 56, fol. 201v.

Quatuor dilectis filiis, eodem exemplo.

INNOCENTIUS X. etc.

Suadendum nequaquam existimamus, quod tua sponte et propria virtutis inductione prompte, atque alacriter agere consuevisti, ut Poloniae, imo divinae gloriae causam, et Catholicae Religionis incolunitatem in Comitiis summa spe, ac diligentia tuearis. Amamus iam pridem te hoc nomine plurimum teque in visceribus Christi perquam benevole complectimur, sed voluntatis nostrae studium summopere nunc augebis, si iis quae tibi nostro nomine suggeret Venerabilis frater Archiepiscopus Adrianopolitanus, Nuntius noster,

fidem, sensum, operamque in tanto orthodoxae isthic Religionis et publici boni discrimine constanter exhibuerit. Confortetur cor tuum, dilecte fili, et coelestis gratiae robore circumdetur. Quod ut praestet pro misericordia sua Deus Apostolicam tibi benedictionem paterne largimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Octobris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno sexto.

503.

Romae, . 14 . X . 1651

Pontifex Regi Poloniae de victoria gratulatur eiusque propositum leges religioni catholicae iniuriosas abrogandi laudat.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 57, fol. 102-3.

THEINER A., Vet. Mon. Polonie et Lithuaniae, vol. III, p. 473, nr. 466.

Charissimo in Christo filio nostro Io. Casimiro, Poloniae
et Sueciae Regi Illustri.

INNOCENTIUS PP. X. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Praeclaram de Tartaris et Cosacchis schismaticis victoriam¹⁷⁸ Maiestatis Tuae magna plane perfusi laetitia gratulamur; eoque magis quod insigni hoc edito facinore immortali nominis tui gloriae ingens erga Rempublicam Christianam meritum adiunxisti, cum immanem saevientium Barbarorum procellam omnibus minitantem averteris et depuleris. Nos plane in Sacello Pontificio in ipsa assumptionis nostrae anniversaria die, adstante Apostolico Senatu, debitas gratiarum actiones misericordi Deo solemniter persolvi iussimus; nec aliud gaudio nostro defuit, nisi quod infirmitas valetudinis Nos ei celebritati, quod profecto voluissemus, interesse non sinit. Coeterum pietas singularis tua, quam exercituum Deus eximio hoc victoriae decore donavit, etiam in eo potissimum elucet, quod execrandum illud a Schismaticis extortum privilegium¹⁷⁹ omnino abrogandum suscepereis, quemadmodum significavit nobis Ven. frater Archiepiscopus Adrianopolitanus, Nuntius noster, qui pulcherrimo te quoque conatus, duabus ex principalioribus ecclesiis catholico cultui redditis, serio manum iam admovisse summa cum tui laude asseruit. Perge igitur, charissime in Christo fili noster, non minus gloriosum, quam pium hoc opus urgere, ac demum perfice, quod sane tantum, et tam pium Regem et Victorem decet, ut

¹⁷⁸ Agitur de pugna ad Berestečko, in Volhynia, aestate anno 1651, in qua exercitus Cosacorum, iterum ob traditionem Tartarorum, devictus fuit et in Ucraianam centralem recedere debuit. Post victoriam Polonorum Chmelnyckyj in nova pace inita in Bila Cerkov (1651) aliquantulum reedere debuit in suis postulationibus anni 1649. Sedes Apostolica, Unionem Sanctam semper strenue defendens, denuo enixe instabat pro abrogatione clausulae de abolienda Unione in Ucraina. Unde et nostrum provenit Breve. Nihil in his turbulentis temporibus de rebus politicis agit Innocentius, intentus unice defensioni S. Unionis, quae tamen nonnisi victoriis Polonorum, ut Romae putabatur, possibilis erat.

¹⁷⁹ Ut videtur, agitur de clausula praecedentis pacificationis, id est de abolenda Unione in Ucraina: in Palatinatu Kioviensi, Braclavensi et Cernyhivensi.

infaustum illud barbaricae violentiae monumentum ex omni memoria evulsum
oblivione perpetua obruatur. Nos invicem Maiestati Tuae omnium rerum se-
cundarum felicitatem a Domino precamur, et Apostolicam benedictionem ex
intimo paterni cordis affectu largimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores etc., die XIV Octobris MDCLI,
Pontificatus Nostri Anno octavo.

504.

Romae. 3 . II . 1652

*Pontifex Regi Poloniae, Joanni Casimiro, congratulatur simulque rogat, ut
Schismaticorum conatibus resisteret.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 57, fol. 134v-135, nr. 141.

Charissimo in Christo filio nostro Joanni Casimiro,
Poloniae, ac Sueciae Regi Illustri.

INNOCENTIUS X. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam
benedictionem.

Eximum et perpetuum Maiestatis Tuae pro Religionis Catholicae istis in
partibus incolumitate, et Amplitudinis studium adeo nobis perspectum, et
exploratum iampridem est, ut nihil in eo genere novi audire possimus. Verum-
tamen gratissimum profecto fuit in his etiam proxime acceptis literis id tam
praeclare ac luculenter testatum agnoscere, simulque plenius intellexisse pia,
et salutaria consilia, quibus adversus Schismaticorum impietatem regiam
mentem tuam auctor bonorum Deus accendere, et miro constantis animi ro-
bore instruere dignatus est.

Quae sane gloria incoepta ut optatos exitus felicissime sortiantur divi-
nam opem tum nostris, tum religiosorum, ac piorum accuratissimis precibus,
quaemadmodum devote postulas, implorare non desistimus (f. 135).

Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die
III Februarii MDCLII, Pontificatus Nostri Anno octavo.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

ALEXANDER PP. VII

(7.18.IV.1655 — 22.V.1667)

senensis

(Fabius Chigi)

DOCUMENTA ALEXANDRI PP. VII

505.

Romae, 8 . VI . 1655

Breve Alexandri VII, quo conceditur confirmatio Episcopi Mukaciensis Parthenii.

BASILOVICS J., *Brevis notitia fundationis...*, II, p. 69-70.

HODINKA A., *Munkacsi Gör. Szert. Püspökseg Okmanyara*, I, Ungvar 1911, p. 177-8.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Strigoniensi¹⁸⁰.

ALEXANDER PP. VII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum tu fel. record. Innocentio PP. X. Praedecessori nostro, eoque defuncto nobis ad summi Apostolatus culmen assumptis humiliter supplicaveris, ut Parthenium¹⁸¹ ruthenum catholicum sacerdotem O. S. Basilii, electum Episcopum Ruthenorum degentium Munkacs, et in aliis locis Hungariae confirmare dignaremur et cum eo benigne dispensare, ut non obstante, quod fuerit ab Episcopis schismaticis consecratus, possit pontificalia ac alia ordinis sui munera exercere, re in Congregatione supremae et universalis Inquisitionis coram nobis habita mature discussa auditisque votis Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium adversus haereticam pravitatem in republica christiana generalium Inquisitorum ac de eorundem consilio, ut praedictus Parthenius in salutem animarum sibi creditarum et maiori zelo ac sollicitudine in conversionem Haereticorum et Schismaticorum incumbere valeat, Fraternitati Tuae, de cuius rectitudine ac prudentia plurimum in Domino confidimus, Parhenium praefatum, si hoc a te humiliter petierit, imposita ipsi pro praemissis arbitrio tuo aliqua poenitentia salutari, a quibusvis censuris ac suspensionibus per eum incursis absolvendi et cum eo super quacumque irregularitate, occasione praemissorum forsitan contracta,... et ut pontificalia ac alia ordinis et iurisdictionis episcopalnis munera in Ruthenos r. gr. tam Munkacs quam aliis Regni Hungariae locis, per te designandis, diligenter exercere possit et valeat,

¹⁸⁰ Georgius Lippay de Zombor (1645-1667), antea Episcopus Vesprimensis.

¹⁸¹ Parthenius Rotošynskyj (1648-1670). Prima vice de hac confirmatione et absoluzione agitur iam die 18-XII-1651, in sessione generali S. Congregationis de Propaganda Fide, ubi dictitur de electione « ex improviso facta ». - Cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bélorussiae spectantia*, vol. I, p. 248, nr. 441.

benigne dispensandi facultatem super praemissis necessariam et opportunam auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus coeterisque quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub An. Piscatoris, die 8 Junii 1655, Pontificatus Nostri An. I.

506.

Romae, 29 . VI . 1658

Causam Ruthenorum catholicorum in proximis Comitiis defendendam Regi commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, nr. 21, fol. 86rv.

Charissimo in Christo filio nostro Joanni Casimiro,
Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

ALEXANDER PAPA VII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Superioribus mensibus cum istius Regni Comitia (f. 86v) proxime futura crederentur pro paterna cura erga Maiestatem Tuam, et praeclarissimos Poloniae populos Venerabilis fratrī Episcopi Laudensis¹⁸² voce, et literis ad te datis sanctae fidei rationes insigni zelo tuo commendare non praetermisimus.

Nunc autem cum idem scribat Comitiorum celebrandorum tempus iam instare eadem officia perquam accurate repetimus, eoque magis, quod Graecorum unitorum Ritum a Moschis acriter oppugnari audivimus¹⁸³.

Igitur etiam atque etiam a te petimus, ut hanc Dei causam omnino sanctam tectam tueri velis ne quid adversariorum vis et artes extorquere possint in eiusdem Unionis atque adeo Religionis Catholicae detrimentum, uti latius coram Nuntius explicabit.

Interim Maiestati Tuae Divinam Clementiam faventem ac propitiam usque precamur, et Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

¹⁸² Petrus Vidoni Archiepiscopus Laudensis (Lodi), Nuntius Varsaviensis (1652-1660)

¹⁸³ Agitur de famosa iam conditione de abolitione Unionis in Ucraina, ut prima conditio cuiuscumque pacificationis Polonus et Cosacos inter. Revera in s.d. pactis Hadiacensibus (autunno 1658), quorum vi Ucraina partem facere debuit integralem Regni compotiti ex Polonia, Lithuania et Ucraina, quae comprehendere debuit Palatinatus Kiovensem Braclavensem et Cernyhivensem, conditio posita erat quod in hoc territorio Unio Ecclesiastica aboliri debuit et non Uniti pari conditione cum Latinis tractari. - Cfr. *Encyclopedie Ucrainae*, p. 449-450, etc.

507.

Romae, 29 . VI . 1658

*Eadem causa commendatur enixe etiam Reginae Poloniae.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 87rv, nr. 22.

Carissimae in Christo filiae nostrae Ludovicae Mariae,
Poloniae et Sueciae Reginae Illustri.

ALEXANDER PAPA VII. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc.

Etsi cum primum de Comitiis istius Regni mentio facta est apud Maiestatem Tuam cum Venerabili fratre Episcopo Laudensi voce, tum etiam literis egimus, quo Religionis Catholicae rationibus diligenter in eis consultum esset, tamen cum tempus hodie instet eadem officia repetenda existimavimus, non sane quod non intelligeremus eximium, ac iam pridem spectatum zelum tuum monitore minime egere, sed quoniam patrius erga Regiam Domum, et Nobilissimam Nationem amor Nos conquiescere non sinet, praesertim cum audiamus a Moschis instanter efflagitari, ut Graecorum unitorum Ritus abrogetur, vel saltem detrimentum patiatur, quae profecto res tamquam Religioni Catholicae, et publico Poloniae bono maxime adversa ne succedat pietati singulari tuae omni auctoritatis, et virium ope providendum est, uti latius audies ex eodem Nuntio nostro, qui coram omnia melius explicabit.

Maiestati Tuae assidua divinae gratiae incrementa ex corde precamur, et Apostolicam benedictionem amatissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

508.

Romae, 29 . VI . 1658

*Idem argumentum tractatur cum Episcopo Cracoviensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 87v-88r, n. 23.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi¹⁸⁴.

ALEXANDER PAPA VII. Venerabilis frater, salutem etc.

Plurimum spei rerum in Comitiis istis bene gerendarum in virtute, ac zelo Fraternitatis Tuae ponimus, pro ea quam de eximiis animi tui dotibus, et egregie perspecta pietate opinionem habemus, quamque etiam Venerabilis fratris Episcopi Laudensis assidua testimonia plane confirmant. Quamobrem, etsi alias tibi literas de hac re scripsimus, has tamen adiungere visum est,

¹⁸⁴ Episcopus Cracoviensis hoc tempore erat, ut videtur, iam Andreas III Trzebicki, (1657-1679), nam eius Praedecessor, Petrus Gembicki, obiit anno 1657. - Cfr. Enc. Pow., vol. 3, p. 632.

quibus catholicae fidei rationes, quae tibi sponte tua unice cordi sunt, pro muneric nostri debito summopere commendaremus, illudque potissimum, ne Moschorum flagitationibus et (f. 88) potentiae detur, ut Graecorum unitorum Ritui praeiudicium aliquod inferatur.

Profecto eorum causa cum ad Dei cultum, et orthodoxae religionis istic incolumitatem, tum etiam ad publicum Poloniae, ac praesertim Lithuaniae bonum spectat, quae omnia tibi curae in primis esse non dubitamus. Plura Fraternitati Tuae Nuntius idem nomine nostro referet, et paternae caritatis affectui nova explicatione fidem adstruet.

Nos tibi, Venerabilis frater, assiduum Divinae Clementiae opem accurate precamur, et Apostolicam benedictionem peramanter elargimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

509.

Romae, 29 . VI . 1658

Idem comendatur Episcopo Warmiensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 88r-89r, nr. 24.

Venerabili fratri Episcopo Warmensi¹⁸⁵.

ALEXANDER PAPA VII. Venerabilis frater, salutem etc. . .

Cum primum de futuris Comitiis mentio facta est, ad Fraternitatem Tuam superioribus mensibus literas (f. 88v) dedimus, quibus tanquam zelatorem Praesulem, et optimum civem ad Religionis Catholicae et publici boni causam sedulo amplectendam hortaremur, nunc autem quod Comitiorum tempus instare credatur eadem officia repetimus eo sane libentius, et accuratius, quo et Moschorum in deposcenda abrogatione Ritus unitorum Graecorum vires, et artes maiores diligentiam, et efficaciores conatus pro tuenda Dei causa exposcunt, tuque ob tibi destinatam ad Archiepiscopatum Gnesnensem regiam nominationem tantae dignitati proximus, et futurae auctoritatis expectatione validior factus poteris etiam fructuosiorem Patriae et Sanctae Religioni operam impendere.

Etenim pro certo habemus fore ut quantum caeteris Poloniae Praelatis auctoritate et dignitate anteferendus sis, tantum religiosarum virtutum splendore, et ardentis zeli merito gloriaque praestare velis, hoc autem cum anteactae vitae spectata tua, ac nobilis viri Palatini Posnaniae, fratris tui, pietas, et praecolla gesta pollicentur, tum Venerabilis fratrī Episcopi Laudensis luculenta testimonia nobis plane confirmant, adeo ut demortui Archiepiscopi memoriam, quae in benedictione (f. 89) perpetua futura est, etiam amplioribus factis repraesentare, et desiderium lenire profecto possis.

¹⁸⁵ Venceslaus Leszczynski (1643-1659), postea Primas Poloniae et Archiepiscopus Gnesnensis (1658-1666). Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 2, p. 124.

Caeterum idem Nuntius, quae opus erunt coram explicatiis edisceret. Interim felicia omnia Fraternitati Tuae a Domino precamur, et Apostolicam benedictionem paterne largimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

510.

*Romae, 29 . VI . 1658**Aliquo Senatori Regni Poloniae, a Nuntio Apostolico determinando.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63m, fol. 89rv, nr. 25.

Dilecto filio, nobili viro.

ALEXANDER PAPA VII. Dilekte fili, nobili vir, salutem etc.

Nobilitati Tuae praeclare spectata virtus, et zelus non sinit Nos dubitare, quin proxime futuris Comitiis eamdem, quam semper praestitisti Religioni Catholicae, et publico bono fructuosam operam plane navaturus sis. Sed eximus amor in istas gentes nobilissimas noster animi paterni curis quietem dare non potest, nec permittere sine novis officiis, et adhortationibus pontificiis tantum (f. 89v) negotium transigi, cum praesertim audiamus Graecorum unitorum causam a Moschis hoc tempore acriter oppugnari, eam igitur, ut pietas tua omni virium ope, ac studio tueatur, et incolumem, integrumque ab omni praeiudicio praestet a te summopere petimus.

Sed quoniam Venerabilis frater Episcopus Laudensis, Nuntius noster, quae opus erunt latius exponet, non est sane cur ulterius addamus. Porro Nobilitati Tuae faventem conatusque pios ex alto provehentem Dominum rogamus, et Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

511.

*Romae, 29 . VI . 1658**De eodem negotio Episcopo Vilnensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 89v-90, nr. 26.Venerabili fratri Episcopo Vilnensi¹⁸⁶.

ALEXANDER PAPA VII. Venerabilis frater, salutem etc.

Magnam sane spem rerum in Comitiis istis adspirante Domino bene ge-

¹⁸⁶ Revera anno 1658 Episcopus Vilnensis erat iam Joannes III Dowdiallo (1656-1661).

renderum, quod praesertim ad Lithuaniam pertinet in singulari virtute (f. 90) ac pietate Fraternitatis Tuae, et nobilis viri Palatini Wilnae, fratri tui, Venerabilis frater Episcopus Laudensis prorsus habet. Quare Catholicae Religionis rationes in ea provincia periclitantes, ac potissimum Ruthenorum unitorum causam, quam a Moschis acriter impugnari audimus, insigni, et iam pridem spectato zelo tuo summopere commendatas esse cupimus; cuius profecto sollicitudinis nostrae vel praesentes literae, quas alteris iam superioribus mensibus datis adiungimus, argumento esse possunt, ita ut his, quae in eamdem sententiam nomine nostro idem Nuntius fusius edisceret plenam fidem habere debeas.

Fraternitati Tuae piorum conatum Auxiliatorem ex alto Omnipotentem Deum precamur, et Apostolicam benedictionem ex omni paterni cordis affectu largimur.

Datum Romae apud Sanctam Maria Maiores, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno IV.

512.

Romae, 29 . VI . 1658

Alio Nobili polono Breve datur, ut operam suam praestet defensioni Ecclesiae Unitae in Comitiis Regni.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 90v-91, nr. 27.

Dilecto filio, nobili viro.

ALEXANDER PAPA VII. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Quam opinionem de insigni virtute, et eximio zelo Nobilitatis Tuae praeclarae res gestae, et gravia ac luculenta Venerabilis fratri Laudensis Episcopi testimonia pontificio animo penitus inseruerunt confirmare nunc, et novis etiam incrementis extollere poteris, si Comitiorum tempore promovendis Religionis Catholicae rationibus, et praesertim Ruthenorum unitorum causae propugnandae comitem, et socium eidem Nuntio nostro te praebueris; illi enim nihil aliud profecto propositum erit, quam summi Dei gloria, et eius sanctae fidei pro salute animarum, et publico patriae bono integritas, et incolumitas.

Sed quoniam idem Nuntius, cum de voluntate nostra tum de rebus omnibus ad id facientibus melius coram edocere poterit, illum audire debebis.

Nos interim Nobilitati Tuae propitium, et conatibus piis aspirantem Dominum enixe precamur (f. 91) atque ad id Apostolicam benedictionem patrue prorsus impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri quanto.

513.

Romae, 29 . VI . 1658

Palatino Vilnensi idem negotium recommendatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 63, fol. 91rv, nr. 28.

Dilecto filio, nobili viro, Palatino Wilnae,
Magno Generali Lithuaniae¹⁸⁷.

ALEXANDER PAPA VII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Pro sollicitis curis, quibus animus paternus noster nunc praesertim pro Lithuaniae rebus, et Religionis Catholicae in ea Provincia periclitantis rationibus assidue angitur, has literas, aliis a nobis praeteritis mensibus ad Nobilitatem Tuam datis, in praesentiarum addimus, quibus te quantum maxime possumus hortamur, ut Ruthenorum unitorum causam, quam a violencia Moschorum acriter exagitari audimus, complecti, ac tueri toto pectore velis, ne tantum ei, ac toti sanctae fidei vulnus istic inferatur; quae sane (f. 91v) adhortatio non eo ullo modo spectat, ut de insigni zelo tuo dubitare possimus, sed nimirum quod intelligentes quantum adiumenti, atque praesidii in eximia virtute, et praeclare spectata pietate tua repositum sit, munera nostri debito minime satisfecisse crederemus, nisi, ut in eam rem totis animae et auctoritatis viribus incumberes etiam atque etiam a te in visceribus Christi, quod profecto facimus, summopere peteremus.

Etenim omnino cupimus, ut in hac re socium et adiutorem te adiungas Venerabili fratri Episcopo Laudensi, Nuntio Apostolico, quaeque is nomine nostro suggeret plane credas.

Aderit piis studiis tuis Altissimi dextera, quae tenebrarum principis potentiam, et dolos evertat, teque cum temporalis, tum aeterni decoris corona donatum exornet, quod, ut felicius consequare Nobilitati Tuae benedictionem Apostolicam peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Maria Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 29 Junii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

514.

Romae, 6 . VII . 1658

Pontifex Archiepiscopum Polocensem certiores facit se res Unionis Regi Proceribusque polonis enixe commendasse.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 63, fol. 94rv.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 534, nr. 539.

Venerabili fratri Archiepiscopo Polocensi, Graeci Ruthenorum unitorum Ritus.

ALEXANDER PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc.

¹⁸⁷ Fortasse agitur de Michaele Casimiro Pac, vel de aliquo ex familia Radziwilliana.

Literas a Fraternitate Tua cum totius Catholicae Unionis Ruthenorum, tum proprio quoque nomine datas accepimus, et quanto istic in discrimine eiusdem Unionis rationes versentur, ingenti sane cum molestia intellectimus. Quamobrem pro rei magnitudine vehementer solliciti non solum piissimo Regi, ac Reginae Regnique Proceribus, quorum auctoritas et opes adiumento esse possunt, accurate perscripsimus, verum etiam Ven. fratri Episcopo Laudensi Nuntio nostro, qui de huiusmodi periculo sedulo ad Nos detulerat, mandata damus, quo eadem officia tempore repeatat, aliaque ad eam rem pertinentia omnia serio curet, et quam maxime poterit adversariorum vim submovere omnino contendat; quod misericordiarum Patre tribuente futurum plane speramus. Erunt igitur tuae ac aliorum Venerabilium fratrum, et caeterorum Ruthenorum partes, illi se comites et socios omni diligentia et zelo in tuenda religionis ac Dei causa praebere. Nos profecto eius infinitae clementiae negocium hoc suum summis et assiduis precibus commendamus Fraternitati Tuae, ac universae Ritus vestri Sanctae Unioni ex omni paterni cordis affectu Apostolicam benedictionem elargientes.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, die VI Iulii MDCLVIII,
Anno quarto.

515.

Romae, 13 . VII . 1658

Episcopo Laudensi, Nuntio Varsaviensi, res Ecclesiae Unitae commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 148 nr. 99.

Venerabili fratri Episcopo Laudensi,
Nuntio Apostolico nostro in Polonia.

ALEXANDER PAPA VII. Venerabilis frater, salutem etc.

Magna profecto cum animi nostri molestia audivimus Sanctae Ruthenorum Unioni in Comitiis istius Regni proxime celebrandis a Schismaticorum potentia, et artibus grave periculum imminere. Qua in re ad sanctae fidei rationes, et Ecclesiarum iura Sedis Apostolicae auctoritatem totque myriadum animarum salutem tantopere pertinente Fraternitatis Tuae zelum valde commendamus, quo cohortationibus, consiliis, et omni officiorum genere discrimini huic occurrere sedulo curas, utque pios conatus huiusmodi nullo pacto interminatos, imo diligentiori, et ardenteri quoque studio usque instando, monendo, etiam solemniter protestando, et omni alia ratione, quae potior et opportunior visa fuerit obsistendo nomine, et auctoritate nostra urgeas, tibi praecipimus ac mandamus, et ad hunc effectum omnem facultatem necessariam, et opportunam, quatenus opus sit, omni meliori modo (f. 148v) tribuimus, et impertimur.

Fraternitati Tuae Dei causam intrepide propugnanti ipse divina ope sua praesto esse misericorditer velit, a quo laboribus religiosis tuis paterne benedicimus.

Datum Romae apud Sanctam Maria Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 13 Julii 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto. .

516.

Romae, 17 . VIII . 1658

Conceditur Jubilaeum pro Metropolia Kioviensi ad instar concessi initio Pontificatus Alexandri VII.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1361, fol. 267-271.

Venerabili fratri Archiepiscopo Polocensi¹⁸⁸.

ALEXANDER PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum sicut nobis nuper exponi fecisti Jubilaeum universale ad implorandum divinum auxilium initio Pontificatus nostri¹⁸⁹ pro salutari Sanctae Ecclesiae Catholicae regimine et pro pace inter Principes christianos a nobis concessum in Russia publicatum non fuerit, Nos pro paterna nostra erga Christifideles illarum partium charitate volenter illos adeo pretiosi thesauri pro animarum suarum salute participes fieri, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi postestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Russia degentibus, qui ecclesias abs te et aliis Ordinariis locorum in suis respective civitatibus et dioecesibus vel eorundem Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus per eos qui ibi curam animarum exercerent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint designationandas vel ecclesiastarum huiusmodi alteram spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per te et alios respective Ordinarios vel eorum Vicarios seu Officialies, vel alias ut praefertur facienda decurrentum saltem semel visitaverint, ibique Deum pie oraverint, ut per viscera misericordiae suaे fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haereses extirpare ac Principibus christianis pacem et veram concordiam (f. 267v) donare dignetur, ac quarta et sexta feria, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis huiusmodi ieunaverint, nec non peccata sua confessi, ac in die Dominicā immediate sequenti vel alia die infra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem sicut in anno Iubilaei visitantibus s. ecclesias intra et extra Urhem predictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitata ecclesia cathedrali, vel maiori aut parochiali loci eorum docimilii eandem indulgentiam consequi possint, et valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis saecularibus vel regularibus etiam in carcere, aut captivitate existen-

¹⁸⁸ Gabriel Kolenda (1655-1674). Ab anno 1665 etiam Metropolita Kioviensis. Tunc temporis erat Administrator Metropoliae ex designatione Regis.

¹⁸⁹ Electus 7-IV-1655, coronatus 18-IV-1655.

tibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequierint, ut illa Confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praestentium publicationem, seu approbandis eis in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere et singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam (f. 268) Laicis quam Ecclesiasticis saecularibus quam regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti in Russia, ut praefertur, degentibus licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque praesbiterum Confessarium tam saecularem quam cuiusvis Ordinis vel Instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris Die Caenae Domini legi solitis contentis, et alias per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatibus in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari aliisque eiusdem Confessarii arbitrio iniungendis.

Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae Fraternitati Tuae caeterisque Russiae Episcopis et Praesulibus eorumque Vicariis et Officialibus vel iis deficientibus illis qui curam animarum exercent, districte praecipimus et mandamus, ut cum praesentes (f. 268v) litteras vel illarum transumpta aut exempla, etiam impressa, acceperitis, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per vestras ecclesias et dioeceses, civitates, oppida, terras, et loca publicetis et publicari facietis, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designetis.

Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habiliandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato seu Iudice Ecclesiae excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum (f. 271) et Congregationum, seu Institutorum regularium, etiam iuramento etc. Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis illorumque personis

quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes nostrae quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibatae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc. 17 Augusti 1658, A. 4.

517.

Romae, 10 . IX . 1658

Res Ecclesiae Catholicae et Unionis Ruthenorum Ludovicæ Mariae, Poloniae Reginæ, commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 133r-134r, nr. 85.

Carissimæ in Christo filia nostraræ Ludovicæ Mariae,
Poloniae, et Suecæ Reginæ Illustri.

ALEXANDER PAPA VII. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc.

Si unquam eximia Maiestatis Tuæ pietas atque virtus de piissimo Rege, et Regno Poloniae benemerita est, est autem profecto insigniter, et saepe, nunc sane optime et salutariter omnino esse poterit, si auctoritatis et gratiae tuae ope imminens in Comitiis istis periculum a Sancta Ruthenorum Unione depuleris, et proinde aliud longe gravius universo isti Regno ab ultrici ira Domini impendens averteris. Attentatis enim sine Vicarii in terris sui auctoritate Ecclesiarum iuribus, et religionis rebus irascitur plane Deus, nec gravissimæ ultiōnis exempla desunt, qua Regibus aut sublatis, aut variis adversorum generibus conflictatis, qua Regnis etiam ipsis collapsis et eversis.

Quare, carissima in Cristo filia nostra, enitere cunctis viribus, et tam cum Rege ipso, quam cum omnibus (f. 133v), qui negotium provehere possunt insta opportune, importune, et prorsus rem confice, ne forte irascatur Dominus, et nobis quoque necessitas relinquatur eas quas plane nollemus officii nostri partes assumendi in re pene omnium gravissima, quaeque a nobis ignorari, et dissimulari nullo pacto poterit. Quare si quid interea istic, quod avertat Dominus, novatum secus fuerit, ut id omnino tollatur, et profecto declaretur, aut saltem nullo pacto executioni mandetur necesse prorsus erit¹⁹⁰.

Plura in eamdem sententiam Venerabilis frater Episcopus Laudensis, Nuntius noster edisseret, quem idcirco te audituram, et rem ex animi nostri sententia, et religionis, ac Poloniae publico bono peracturam de insigni religione ac zelo Maiestatis Tuæ nobis plane pollicemur. Aderit piis conatibus

¹⁹⁰ Agitur semper de negotiis cum « Pactis Hadiacensibus » connexis, in aliquibus Unioni Ecclesiae Ucrainæ damnosis, immo iniuriosis.

tuis Deus, qui nuper rebus vestris in arcto positis praesto fuit, ac tibi in eius causa constanter, et strenue tuenda gratas animi vices persolventi propitius, et favens gratiae suae munera ubertim multiplicata repraesentabit. Quod ut feliciter eveniat Maiestati Tuae benedictionem (f. 134) Apostolicam ab ipso amantissime largimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die X Septembris 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

518.

Romae, 10 . IX . 1658

Idem Archiepiscopis, Episcopis Poloniae commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 134-135.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 536-7, nr. 540 e.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Poloniae et Lithuaniae
ad Comitia congregatis.

ALEXANDER PP. VII. Venerabiles fratres, salutem etc.

Etsi ad Universum Senatum, in quo Fraternitates vestrae, opportune providente Domino, principem locum obtinent, de Unione Sancta Ruthenorum conservanda diligenter scribimus, tamen quoniam eius rei cum debitum, tum exemplum ad personas sacras vel maxime pertinent, praecipuis quoque literis vos alloqui debuimus, et quemadmodum facimus ex officii nostri munere serio hortari ac monere, ut non solum ipsi in retinenda constantia vestra pactorum cum Deo et Ecclesia Sancta, etiam iureiurando firmatorum, memores esse velitis, sed omnes quoque auctoritatis et industriae vires exercere, quo eamdem fortitudinem aliis persuadeatis, et Sanctam Unionem tot myriadum animarum salutem complecentem omnino saretam tectam tueamini. Profecto Maiores religiosissimi vestri eo sacros Praesules in Politico quoque statu insigni dignitate potiri, et e primis Senatus subselliis sententiam dicere voluerunt, ut si quid tale contingere ad cultum divinum et Catholicam Religionem attinens, essent in ipsa Curia sanctae fidei et pietatis auctores et propugnatores praecipui, qui humanos omnes timores et respectus posthabentes solius Dei gloriae et veritati intrepide asserendae consulerent; quas porro muneris sui partes Poloniae Praesules, cum saepe alias, tum in hac ipsa re proximis gloriosae memoriae Vladislai Regis temporibus egregie et praeclare peregerunt. In praestando igitur illud ad quod sane tam Episcopalis, quam etiam senatoria professio vos qua divino, qua humano iure constrictos tenent, non decet trepidos, aut etiam nimis cautos videri, sed oportet summam in Domino spem habentes fortitudinem et robur induere, ut honorificetur ministerium vestrum, et inde imbecillioribus etiam fiducia et zelus addantur.

Verum si quid interim, quod pro misericordia sua nolit Dominus, istuc novatum secus fuerit, ut id executioni nullo pacto mandetur, omnino volamus, et Apostolica auctoritate iubemus, iniungentes districte vobis, ut in

hanc rem omnem prorsus auctoritatis, consilii et industriae opem impendatis, et ad hunc maxime effectum Ven. fratrem Episcopum Laudensem, Nuntium nostrum, attente audiatis, qui nullas in hac re studii et efficacitatis partes iussu nostro praetermittet. Idem vos praestituros esse plane speramus, et quamvis in re difficii et ardua et mulierem fortem illam imitatueros, quae prementibus undique angustiis arbitrata est melius esse incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini. Id ipsa non minus malum, sed melius recte dixit, cui praemium in promptu esset inclyta apud homines fama, et in coelis reposita iustitiae corona. Utramque vero cum caeterorum adiectione bonorum ut Fraternitatibus vestris reddat iustus iudex, ab eo petimus paternae benedicentes.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 10 Septembris 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

519.

Rome, 10 . IX . 1658

*Idem commendatur toto caetui Comitiorum Regni.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 135v-137.THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 536, nr. 540d

Venerabilibus fratribus, nobilibus viris, dilectis filiis, Archiepiscopis
et Episcopis, Ordinibus Senatorio et Equestri
Poloniae Comitia celebrantibus.

ALEXANDER PP. VII. Venerabiles fratres, nobiles viri, dilecti filii, salutem etc.

Quo paternae caritatis ardenter affectu inclytam Nationem vestram, firmissimum iamdiu totius Christianae Reipublicae propugnaculum, in Domino complectimur, eo profecto magis dolemus eiusmodi tempora incidisse, quae minus fortibus et constantibus hominibus istic metum incutere possint, quo forte in res honestati et religioni maxime adversas cum ingenti animarum et extimationis detimento prolabantur; quod etsi de vestri gloria et zelo pietatis poloni Senatus dubitare non possumus vehementer tamen commoti sumus periculo, quod in Comitiis istis imminere dicitur Sanctae Ruthe-norum Unioni, ne adversariorum vi ac dolis detrimentum patiatur. Sed profecto in tali tantaque re ad animarum praecipue salutem, tot Ecclesiarum etiam Cathedralium cum insigni Metropolitana statum, et insuper Sanctae Fidei rationes potissimum pertinente nullum ius, nullaque auctoritas alicui potestati sub coelo esse potest, quam illi soli ab ipso Christo Domino in Petro, et Successoribus eius demandata oviuum pascendarum cura, tamquam supra fidei petram fundatae ac stabilitae, adeo ut Apostolicae Maiestatis im-minutae et violatae rei futuri sint, qui sine ipsius consensu et auctoritate ali-iquid in hac parte moliri ausi fuerint; in qua proinde nobis connivere aut dissimulare minime licere poterit, cum praesertim ea Sancta Unio tot mil-lium animarum continens, huius Sanctae Sedis auctoritate non ita proinde instituta fuerit, ut etiam ex legum saeculi praescripto non nisi eo genere

vinculi, quo colligata est, dissolvi queat. Caeterum in ea constituenda atque tuenda patres vestri nedum votis, et apud hanc S. Sedem precibus, verum etiam auctoritate, studio et omnium rerum ope tantum elaboraverunt, ut vere illorum pietatis illustre munumentum, ac opus proprium censenda sit, et idcirco etiam ipsi nunc in ea conservanda et strenue propugnanda eorumdem fortitudinem et zelum imitari certe debeatis.

Quare, Venerabiles fratres et nobiles viri in visceribus Christi unice dilecti, a vobis enixe petimus, ut si qui forte paulo imbecilliores sunt, eos confortare et robore praecingere velitis, ipsi constanter et inconcusse in Domino confisi, cuius praesentem opem in angustioribus ac pene desperatis rebus nuper experti estis, quique cum praeter universas humanae prudentiae et terrenorum consiliorum rationes vobis praesto fuerit, admonuit sane, ut vos quoque eius causae absque ullo mortalium cogitantium et rerum caducarum respectu inservire, et sanctum eius cultum et religionem pro virili propugnare ac tueri divina spe ac fiducia pleni debeatis.

Quod si forte, cum has accipietis, quod avertat Deus, aliquid secus ac debuit gestum fuerit, ut id omnino irritum nullum declaretur, vel saltem nullo modo aut ratione executioni demandetur, hortamur ac monemus, utque in eam rem omnem auctoritatis vestrae, consilii et industriae opem serio impendatis. Venerabili fratri Episcopo Laudensi, Nuntio nostro, scribimus, ut in hoc negotio peragendo omnem omnino studii ac zeli vim adhibeat, pro certo habentes eum qua par est attentione auditum iri a Fraternitatibus et Nobilitatibus vestris, quorum piis consiliis et generosis conatibus faventem et propitium Deum ex corde poscimus, et Apostolicam benedictionem paterne largimur.

Datum Romae etc. ut supra.

520.

Romae, 10 . IX . 1658

Commendatur Unio Ruthenorum in Comitiis Regni defendenda.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fol. 137v-139.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 535, nr. 540b.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni Casimiro,
Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

ALEXANDER PP. VII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Cum primum audivimus Sanctae Ruthenorum Unioni in Comitiis istis periculum imminere, literas ad Maiestatem Tuam dedimus, quibus hanc ipsius Dei et Religionis Catholicae causam tibi peraccurate commendavimus. Verum cum huiusmodi discriminis increscat assidue fama, non minus gloriae tuae quam orthodoxae fidei rebus adversa, ea sane qua par est incomparabili sollicitudine affecti, et anxii denuo officia repetere cogimur, teque promuneris nostri debito etiam atque etiam hortari ac monere, ne tantum Sanctae Religioni et existimationi nominis tui vulnus infligi ullo pacto patiaris, cum in tanta gravi re nobis connivere aut dissimulare minime liceat, quem-

admodum certe nec Maiestati Tuae licere potest in causa tali tot Ecclesiarum cathedralium cum insigni Metropolitana oeconomiam et statum, atque insuper Catholicae Religionis rationes potissimum amplexa, inconsulto, imo repugnante summo Universalis Ecclesiae Pontifice, te ingerere et attentare gravissimo cum tuae conscientiae onere et divinae Maiestatis offensa et indignatione. In quo profecto, carissime in Christo fili noster, serio cogitare debes, nullam amittendis ac evertendis Regnis rationem aptiorem esse, quam Omnipotentis Dei, qui ea pro arbitrio suo concedit et aufert, iracundiam provocare. Oblivisci porro non potes, quanto misericordiae et prosperitatis favore nuper in rebus longe angustioribus, ac propemodum desperatis ope divina sua tibi praesto fuerit, ita ut etiam peculiaris gratitudinis lege eidem respondere et obsequi arctissime tenearis. Id te praecclare et constanter praestiturum esse spectata pietas tua plane pollicetur. Verumtamen si quid secus, quod nolit Deus, interim istic actum fuerit, erunt utique partes tuae omnino efficere, ut id nulla ratione et pacto executioni mandetur, ne Deus irascatur in finem, et quod inviti dicimus, pereant omnes, qui deliquerint de via iusta. Porro a Maiestate tua libenter audiemus rationes ac modos, quibus negocium totum istud adiuvari, ac tam noxii et scandalosi quamvis non executi decreti vestigium omne et memoria penitus auferri, et eius praeiudiciis occurri opportune possit. Nam si quidem eiusmodi erit, quod auctoritate nostra praestandum et expediendum visum fuerit, id omnino prompte et accurate peragetur, cum praesertim pro certo habemus Unionis Sanctae conservationem magnopere tibi cordi esse, etiam ob gloriosissimi ac piissimi Regis parentis tui memoriam, qui pro eius institutione ac tutela tantopere laboravit. Plura de universa hac re disseret Ven. frater Episcopus Laudensis, Nuntius noster, cuius verbis aequae ac si Nos ipsi loqueremur fidem habebis. Nos Maiestati Tuae custodem et directorem in viis suis Dominum enixe solliciteque precamur ex omni paterno corde benedicentes.

Datum ut supra. ,

521.

Romae, 10 . IX . 1658

Hortatur Hierarchia ruthena ut resistat Schismaticis eique protectionem appromittit Nuntii Apostolici.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 63, fl. 148v-149.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 537-8, nr. 540g.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Polocensi, Metropolitae Chioviensi, Sanctae Ruthenorum Unionis Administratori,
et Episcopis Praemisiensi et Chelmensi eiusdem Unionis¹⁹¹.

ALEXANDER PP. VII. Venerabiles fratres, salutem etc.

Fraternitates vestras, de quorum etiam in hoc Sanctae Unionis tuendae negocio constantia et zelo Ven. frater Episcopus Laudensis non semel ad Nos retulit, praecipuo paternae caritatis affectu in Domino complectimur, utque

¹⁹¹ Agitur de Gabriele Kolenda, Procopio Chmelovskyj, et Jacobo Susza.

istam non minus Dei et Religionis Catholicae, quam vestrum causam strenue propugnare perseveretis, vehementer hortamur ac monemus. Quia in re idem Nuntius Apostolicus omni plane studio et auctoritatis nostrae ope vobis praesto erit, quem proinde diligenter audire debetis, omnem ex eius verbis voluntatem et sententiam nostram, cum in his, de quibus literae ad Nos vestrae agunt, tum in cunctis ad eadem rem pertinentibus rationibus districte ac diserte percepturi, necnon a nobis qua in praesenti discrimine, qua etiam alias, quoties occasio tulerit, insigniora quaeque pontificii patrocinii documenta relaturi. Fraternitatem vestrarum piis laboribus aspirantem et faventem benigne Domini num enixe precamur, et Apostolicam benedictionem ex corde prorsus impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 14 Septembris 1658, Pontificatus Nostri Anno quarto.

522.

Romae, 12 . VI . 1660

Alexander VII domum SS. Sergii, et Bacchi Urbis ad Ruthenos pertinentem S. Congregationis subiicit auctoritati.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 348, nr. 17.

ALEXANDER PP. VII. Ad futuram rei memoriam.

Ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, felici domus SS. Sergii et Bacchi Nationis Ruthenorum de Urbe¹⁹² directioni et progressui providere volentes, eandem domum superioritati Congregationis Ven. fratum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, auctoritate Apostolica tenore praesentium supponimus.

Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; siveque in praemissionis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicare et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dictae domus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibuscumque omnibus et singulis illorum tenores praesentium pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumxat specialiter et expresse derogamus, certeisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XII Iunii MDCLX, Pontificatus Nostri Anno VI.

¹⁹² Domus haec et ecclesia SS. Sergii et Bacchi concessa fuit per Decretum Congregationis Visitationis Apostolicae et Breve Pontificium de data 8-II-1641. - Cfr. supra.

523.

Romae, 10 . XI . 1660

Dispensatio Alexandri Onysymovyc super impedimento bigamiae ad exercitium ordinis praesbyteratus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1224, fol. 31rv.

ALEXANDER PP. VII. Ad futuram rei memoriam¹⁹³.

Vitae ac morum aliaqua laudabilia etc. merita, super quibus dilectus filius Alexander Onisimowicz Ritus Graeci praesbyter ruthenus unitus, qui (ut asserit) Ritu Graeco vivit, alias succedens in patrimonium genitoris sui similiter praesbyteri ab Haereticis crudeliter interempti, et consequenter ad idem officium ab omnibus parochianis invitatus, licet secundam uxorem haberet, ignarus canonici impedimenti inde resultantis (cum inter homines illarum partium hisce temporibus vix doctus inveniatur) ceteroquin canonice in praesbyterum Ritu Graeco ordinatus fuit. Verum re cognita statim post ordinationem huiusmodi eiusdem Alexandri Episcopus ipsum vetuit exercere Sacra, ut neque hucusque exerceat, eumque super obtinenda super praemissis dispensatione ad Romanam Curiam misit. Cum autem sicut eadem expositus subiungebat, dictus Alexander ab hostibus Moschovitis interim captus, omnibusque bonis spoliatus fuerit, et postquam liber evasit, relicta coniuge, liberis parvaque familia in summo periculo in loco quatuor leucis ab hostibus distante excursionumque eorundem patente, ad Almam Urbem Romanam venerit, et quo rediens in maximo periculo posito gregi sibi commisso inservire, honoremque Dei et huius Sanctae Sedis Apostolicae, si opus fuerit, etiam cum sanguinis effusione, depraedicare possit, de infradictae dispensationis gratia sibi a nobis provideri summopere desiderat. Nos ipsum Alexandrum specialibus etc. volentes, et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eius nomine nobis etc. inclinati, cum eodem Alejandro super bigamiae huiusmodi, ita ut illa non obstante, dummodo nullum aliud canonicum ei obstet impedimentum, tam minoribus quam sacris, etiam praesbyteratus, ordinibus per eum alias rite susceptis illorumque privilegiis uti, ac in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite posset et valeat auctoritate Apostolica (f. 31v) tenore praesentium dispensamus. Non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceteris contrariis quibuscumque.

Romae, etc. die X Novembris 1660, Anno 6.

¹⁹³ Hanc gratiam concessam personae privatae ideo hic publici facimus iuris, ut monstremus benevolentiam S. Sedis non solum erga totum corpus Unionis, sed etiam erga singula eiusdem Unionis membra. Similia Brevia inveniri possunt, ut putamus, plura, et modo speciali Brevia, quibus concedebantur indulgentiae, altaria privilegiata, usus Capellae privatae etc. Sed ibi necessarium esset studium uniuscuiusque nominis, nam saepius difficile est distinguere inter personas Nationis Polonae, Alborussae, Moscoviticae et Ucrainae, propter similitudinem nominum et modum eorum transcribendi his temporibus. Inde solummodo a casu ad casum unum alterumve publicamus documentum characteris privati, quod valet ad novissima usque tempora.

524.

*Romae, 8 . III . 1664**Regi Unio enixe commendatur defendenda.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 65, fol. 108v.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni Casimiro,
Poloniae et Suetiae Regi Illustri.

ALEXANDER PAPA VII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc..

Ruthenorum unitorum causam perpetuis odiis et pertinacibus studiis a Schismaticis impugnatam singulari pietati Maiestatis Tuae quo maiori possumus voluntatis affectu commendamus. Etenim valde pertinet ad religionis catholicae rationes, et ad fidem eis in unione praestitam, homines ob communionem nostram et iustitiam tam acerbam persecutionem tamdiu passos ab adversariorum violentia incolumes, indemnesque servari, quod summopere ab eximio zelo religionis tuo petimus, ac speramus, uti latius ex Venerabili fratre Archiepiscopo Larisseno, Apostolico Nuntio, cognoscet Maiestas tua, cui benedictionem Apostolicam amantissime impertimur.

Datum ut supra.

N. B.: *Inter annum 1660-1664 alia quam plurima extant documenta pontificia in favorem Unionis data. Guae tatem, ut verbis nimis generalibus concepta, hic omittimus.*

525.

*Romae, 8 . III . 1664**Idem commendatur Reginae Poloniae.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 65, fol. 109.

Carissimae in Christo filiae nostrae Ludovicae Mariae,
Poloniae et Suetiae Reginae Illustri.

ALEXANDER PAPA VII. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc..

Ex Venerabili fratre Archiepiscopo Larisseno, Nuntio nostro, coram audiet Maiestas Tua, quam dubitent uniti Rutheni fore, ut consuetis Schismaticorum in proximis Comitiis artibus atque studiis eorum res, omnesque rationes vehementer impugnentur. Eos igitur insigni spectatoque zelo pietatis tuae summopere commendamus, cum profecto valde intersit religionis catholicae ne professionis eius odio calumniam, et afflictionem homines isti patientur, ob alias etiam causas, quas etsi tibi non ignotas, et alias saepe commemoratas, Nuntius tamen diligenter edisseret. Nos interim Maiestati Tuae consueto, sed summe praecipuo paterna voluntatis affectu benedictionem Apostolicam impertimur.

Datum ut supra.

Aliae hac eadem occasione scriptae erant litterae ad varios Nobiles Regni Ibidem, fol. 109v- 111v.

526.

Rome, 1 . XI . 1664

Breve Regi Poloniae, ut privilegia Unitis et bona Ecclesiae Premysliensi restituere curet.

ASV., *Ep. ad Principes*, vol. 65, fol. 108v-109.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 560-1, nr. 554.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni Casimiro,
Poloniae et Suetiae Regi Illustri.

ALEXANDER PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Magna sane cum animi nostri molestia nuper audivimus, eo progressam esse Schismaticorum audaciam, ut Praemisliensis Unitorum ruthenorum Ecclesiae bona praediaque armata manu violenter invaserit, et electo per summam iniuriam Coadiutore catholico¹⁹⁴ eorumdem possessionem occupaverit retineatque. Quamvis igitur pro certo habemus Maiestatem Tuam, quo pietatis et iustitiae zelo spectate pollet, sua sponte minime passuram tam grave detrimentum illius Ecclesiae rebus atque personis diutius haerere, tamen a te quam maxime possimus vehementer petimus, ut quamprimum ea cuncta, quae ad Ecclesiam pertinent, restituantur et Coadiutor in pristinam possessionem reducatur. Hoc profecto rem te dignam, bonis omnibus acceptam, et, quod caput est, ipsi Deo iustitiae et Ecclesiarum suarum Protectori summopere gratam efficies. Quam obsequii divini gloriam, ut foeliciter acquirere valeas, ab eodem auctore honorum accurate poscimus, Apostolica benedictione Maiestati Tuae amantissime impertita.

Hanc autem ad te desert Vener. frater Archiepiscopus Larissenus, Nuntius noster, cui latius et distinctius eadem de re disserenti ut fidem omnem habeas et assensum plane praebreas, etiam atque etiam cupimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maorem etc., die prima Novemboris MDCLXIV, Pontificatus Nostri Anno decimo.

527.

Rome, 1 . XI . 1664

Idem Ordini senatorio Regni Poloniae commendatur.

ASV., *Ep. ad Principes*, vol. 65, fol. 109rv.

Venerabilibus fratribus et dilectis filiis, nobilibus viris,
totius Regni Poloniae Senatoribus.

ALEXANDER PP. VII. Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem etc.

Cum insignem Senatus poloni pietatem et iustitiam probe cognitam et

¹⁹⁴ Coadiutor Peremysliensis tunc temporis erat Antonius Terleckyj, qui ab anno 1662 Procopio Chmelovskyj ad latus adstabat et post eius obitum ei in hac Sede successit (1664). - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 346.

perspectam habeamus, dubitare profecto non possumus, quin audaciam Schismaticorum eo progressam, ut Ecclesiae Praemiliensis ruthenae praedia armata manu violenter occupaverit, omnino reprimere velitis. Quare Venerabilem fratrem Archiepiscopum Larissenum, Apostolicum Nuntium, ea de re late ac distinete nomine nostro disserentem ut attente audiatis, et in bonorum possessionem catholicus Coadiutor statim reducatur, qua maiori possumus animi paterni caritate et contentione postulamus. Porro Ruthenis catholicis, ubi primum ad Unionem accesserunt, cum ab Apostolica Sede, tum ab inclyta Polonica Republica protectionis ac tutelae fides data est, quam servari et religiose custodiri omne fas et iura nunc exigunt. Has igitur promissiones opere compleri a generosa non minus quam pia Senatus vestri rectitudine, Venerabiles fratres et dilecti filii, nobiles viri, plane cupimus et expectamus. Quibus Apostolicam benedictionem ad omnem qua spiritualium qua temporalium bonorum profectum peramanter paterneque praeterea elargimur.

Datum ut supra.

528.

Romae, 22 . IV . 1665

Bulla provisionis Ecclesiae Metropolitanae Kiovensis in persona Archiepiscopi Polocensis, Gabrielis Kolenda¹⁹⁵.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1370, fol. 308-309v.

Provisio Ecclesiae Kiovien in partibus infidelium
ad favorem R. Gabrielis Kolendae Archiepiscopi
Polocen., iuxta Decretum in S. Congregatione rebus
propagandae fidei praeposita factum.

ALEXANDER Episcopis Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Gabrieli Kolendae, Archiepiscopo Polocen., in Metropolitanum Russiae ritus rutheni Kiovien. electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in Apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti ad universas orbis Ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, ac pro earum statu salubriter dirigendo Apostolici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis propensius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum Pastores praeificantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam, et providentiam circumspectam salubriter dirigant, et informent, ac bona ipsarum

¹⁹⁵ Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis (1655-1674). Ab anno 1655, post obitum nempe Antonii Sielava, considerabatur Administrator Metropoliae Kiovensis, propter nominationem regiam. A Sede tamen Apostolica nunquam prout Administrator in spiritualibus agnitus fuit. Ita Metropolia per 10 longos annos vacabat difficillimis istis temporibus. Cfr. hac de re opus J. PRASZKO, *De Ecclesia Ruthena Catholica Sede Metropolitana vacante 1655-1665*, Romae 1944. - Titulus appositus in Registro: « in partibus infidelium », ut videtur, ex inadvertentia positus fuit, et, prout putamus, in ipso originali nihil quid simile inveniebatur.

Ecclesiarum non solum gubernent utiliter, sed et multimodis efferant incrementis.

Sane Metropolitana Ecclesia Russiae, ritus rutheni, cum Sancta Romana Ecclesia unita Kiovien., cui bo.me. Antonius Scelava, dictae Ecclesiae Metropolita, dum viveret praesidebat, per obitum eiusdem Antonii Metropolitae, qui extra Romanam Curiam a pluribus annis debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem eiusdem Ecclesiae paternis et sollicitis studiis intendentis, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Polocen., pro quo charissimus in Christo filius noster Joannes Casimirus, Poloniae et Suatiae Rex Illustris, nobis ad hoc per suas literas supplicavit, sperantes quod tu qui Ecclesiae Polocen. hactenus laudabiliter praefuisti prout etiam adhuc praees, eandem Ecclesiam Kioviensem scies, voles, et poteris, auctore Domino, salubriter regere, et feli-citer gubernae, direximus oculos nostraे mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, iuxta Decretum a nobis in Congregatione negotiis propagandae fidei praeposta factum Ecclesiae Kiovien. predictae de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratum eorundem consilio Apostolica auctoritae providemus, teque illi in Metropolitam praeficimus, et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae Kiovien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod gratia tibi assistente divina predicta Ecclesia Kioviensis studio et industria tuis regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa.

Iugum igitur Domini tuis humeris impostitum prompta devotione susci-piens curam, et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter, et prudenter, quod dirigente Domino actus tuos praefata Ecclesia Kiovien. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commis-sam, tuque praeter aeterae retributionis premium nostram et Apostolicae Sedi benedictionem et gratiam exinde ulterius consequi merearis.

Quocirca Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis, nec non Capitulo, et Vassallis dictae Ecclesiae Kiovien. per Apostolica scripta man-damus, quatenus Suffraganei predicti tibi tamquam membra capiti obsequen-tes, ac Capitulum tibi tamquam Patri, et Pastori animarum suarum humiliter intendentis exhibeant tibi obedientiam, et reverentiam congruentes, ita ut mutua inter te et Suffraganeos predictos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; ac Clerus te pro nostra et dictae Sedis reverentia benigne recipientes et honori-fice pertractantes tua salubria monita, et mandata suscipient humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam Patrem, et Pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prose-quentes tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant ita ut quod tu in eis devotionis filios, ipsi in te per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassali autem predicti te debito honore prosequentes tibi fidelita-tem solitam, ac consueta servitia, et iura tibi ab eis debita integre exhibere studeant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in re-

belles ratam habebimus, et facimus autore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Rogamus quoque et hortamur attente eundem Joannem Camisirum, Regem, quatenus te et praedictam Ecclesiam Kiovien. habens pro nostra dictaeque Sedis reverentia propensius commendatas in ampliandis et conservandis iuribus sic vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu eius fultus praesidio in commisso tibi curae pastoralis officio possis Deo propitio prosperari, ac eidem Joanni Casimiro, Regi, a Deo perennis vitae premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Et insuper ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra mera liberalitate tecum ut etiam postquam in vim provisionis, et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis, et administrationis dictae Ecclesiae Kiovien. ac illius mensae honorum, seu maioris partis eorum assecutus fueris Ecclesiam Polocen. praedictam cui ut praesenter praeesse dignosceris, simul cum praedicta Ecclesia Kiovien. ut prius ad nostrum tamen, et Sedis Apostolicae beneplacitum retinere libere, et licite valeas, ita ut illi interea praeesse non desinas, sed praedictae Ecclesiae Kiovien. praesidens, etiam Archiepiscopus et Pastor verus praedictae Ecclesiae Polocen. durante beneplacito huiusmodi existas, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Polocen. etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, certisque contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, decernentes eamdem Ecclesiam Polocen. dicto beneplacito durante propter praemissa non vacare, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Volumus autem quod tu antequam regimini, et administrationi dictae Ecclesiae Kiovien. te in aliquo immisceas in manibus Venerabilium fratrum nostrorum Premislien. et Chelmen. Episcoporum dicti ritus sive alicuius eorum fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a Sede Apostolica propositos iuxta unam emittere ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta alteram formas, quas sub Bulla nostra mittimus introclusas, praestare ac professionem sic emissam sine mendis redactam cum his Episcoporum praedictorum seu alicuius eorum subscriptione ad Urhem intra praefixum tempus transmittere nec non iuramenti per te praestiti formam huiusmodi per suas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium Nuntium quantocius destinare omnino procures.

Quodque in civitate Kioviensi domus pro sua habitatione aedificationi pro viribus incumbas, Seminarium ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini instituas, ac montem pietatis erigas, tuam conscientiam super his onerando.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, decimo Kal. Maii, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

J. Cardinalis Proderius.

Visa de Curia P. Ciampinus.

D. CIAMPINUS

529.

In Arce Gandulphi, 25 . V . 1665

Alexander VII sanat omnes iurisdictionis actus quos Metropolita Kioviensis, Rutheni Ritus, post obitum sui Antecessoris antequam Metropolita institueretur emiserat, occasione administrationis Metropoliae ipsi commissae.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1322, fol. 5-6.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, I, p. 357-358, nr. 37.

ALEXANDER PP. VII. Ad futuram rei memoriam.

Cum nos nuper Ecclesiae Kioviensi ritus rutheni, quae cum S. R. Ecclesia unita, et Russiae Metropolitana existit, per obitum bo. men. Antonii Scelave ultimi illius Metropolitae extra Romanam Curiam a pluribus annis defuncti solatio Pastoris destitutae de persona Ven. fratris Gabrielis Kolendae, Archiepiscopi Polocensis nobis et Venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio ad supplicationem carissimi in Christo filii nostri Ioannis Casimiri, Poloniae et Sveciae Regis Illustris, auctoritate Apostolica providerimus¹⁹⁶, ipsumque Gabrielem Archiepiscopum eidem Ecclesiae Kiovien. in Metropolitam praefecerimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Kioviensis illis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo iuxta Decretum a nobis in Congregatione eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita factum, et alias, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis literis uberioris continetur; et sicut accepimus memorato Antonio Metropolita rebus humanis exempto, dictus Gabriel Archiepiscopus, antequam praefatae metropolitanae Ecclesiae Kioviensi in Metropolitanum a nobis praeficeretur, administrationi eiusdem Ecclesiae etiam in spiritualibus sese ingesserit, et tamquam assertus Metropolita seu Administrator in spiritualibus Ecclesiae Kiovensis huiusmodi dioecesanis ipsius Ecclesiae litteras dimissoriales ad effectum suscipiendo Ordines concesserit aliosque diversos actus positivos ad spiritualem Metropolitae Kiovien. iurisdictionem pertinentes fecerit, existimans haec sibi licere, tam attenta quadam epistula circulari, qua tunc existens noster et Apostolicae Sedis apud praefatum Ioannem Casimirum Regem Nuntius Episcopis ruthenis significaverat, ut de omnibus metropoliticam dictae Ecclesiae Kioviensis dignitatem concernentibus, tam spiritualibus, quam temporalibus cum ipso Gabriele Archiepiscopo conferre, et ad eum recurrere deberent; tum etiam quia praefacta Cardinalium Congregatio ad eum cum titulo Metropolitae, nulla adhibita distinctione, scripsisse reperiebatur; ac insuper quia eidem Gabrieli Archiepiscopo commissa fuerat literarum Apostolicarum super concessione indulgentiarum in forma Iubilaei¹⁹⁷ emanatarum in dioecesi Kioviensi publicatio, aliaeque Apostolicae in forma Brevis litterae ei ab alma Urbe nostra missae fuerant, quae omnia soli Metropolitae Ecclesiae Kioviensis competere videbantur. Hinc est, quod nos Christi fidelium illarum partium statui, et conscientiarum quieti pro commissa nobis coelitus omnium Ecclesiarum sollicitudine salubriter, quantum cum Domino possumus, providere volentes, de memoratorum Cardina-

¹⁹⁶ Cfr. supra sub data 22-IV-1665.

¹⁹⁷ Cfr. supra sub data 17-VIII-1658.

lium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio literas dimissoriales huiusmodi earumque concessiones, ac alios quoslibet actus iurisdictionis spiritualis a praefato Gabriele Archiepiscopo, tamquam asserto Metropolita seu Administratore in spiritualibus dictae Ecclesiae Kioviensis, antequam nos eum eidem Ecclesiae et Metropolitam et Pastorem, sicut praemittitur, praefecissemus, quovis modo, alias tamen canonice factos et gestos, cum omnibus et singulis exinde pariter alias canonice secutis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, validamus, validosque et valida respective esse et fore decernimus in omnibus et per omnia perinde ac si ab eodem Gabriele Archiepiscopo post canonicam eius institutionem in Metropolitam dictae Ecclesiae Kioviensis emanassent, ac facti et gesti indeque post canonicam huiusmodi institutionem secuta respective fuissent, nec non omnes et singulos iuris et facti defectus, qui propter praemissa in illis quovis modo intervenerunt supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari sieque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii nostri Apostolici Auditores, ac S.R.E. praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos et dictae Sedis Nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, nec non Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus et quantum opus sit dictae Ecclesiae Kioviensis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, in Arce Gandulphi, sub Annulo Piscatoris, die XXV Maii MDCLXV, Pontificatus Nostri Anno XI.

530.

In Arce Gandulphi, 30 . V . 1665

Breve Alexandri VII super eligendo a Monachis ruthenis Monacho in Proto-Archimandritam.

ASV, Archivio dei Brevi Apostolici, vol. 1322, fol. 9rv.
Bullae et Brevia..., I, Poczajowiae, 1767, p. 5760.

ALEXANDER PP. VII. Dilekte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Sollicitudo pastoralis officii, quo Catholicae Ecclesiae regimini divina dis-

¹⁹⁸ Agitur de Capitulo Torokanensi II anni 1661, et de Capitulo Suprasliensi I eiusdem anni 1661, celebratis mense Februario. - Cfr. Catalogus OBSM, anno 1949. p. 107.

positione praesidemus, Nos admonet, ut exortas inter quoscunque Christi fideles, et praesertim illos, qui ex fluctibus saeculi, in religiosae vitae portum confugerunt, dissensiones, opportunitis remediis tollere et pacem, sine qua non bene colitur pacis author, reducere, et stabilire satagemus, sicut natura consultatione adhibita conspicimus, in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, Christi fideles rutheni, cum S. R. Ecclesi uniti, variis dissidiis agitantur, et eiusmodi dissensionibus praecipue causans dederit celebratio duorum Capitulorum¹⁹⁸, in quorum uno Venerabilis frater Archiepiscopus Polocensis, cum adhaerentia quorundam paucorum suorum sequacium, se in Abbatem sive Superiorum Generalem Monachorum ruthenorum, Ordinis Sancti Basilii Magni ad sui vitam eligi curaverat, in altero vero reliqui Monachi rutheni Venerabilem fratrem Episcopum Chelmensem in eorum Abbatem sive Superiorum Generalem elegerant, memoratus autem Episcopus Chelmensis apud Congregationem Venerabilium fratum nostrorum eiusdem S. R. Ecclesie. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum pluries institut¹⁹⁹, ut primodictum Capitulum nullum declaretur. quippe quod legitimum esse non poterat propter defectum authoritatis, qua dictus Archiepiscopus caruisse reperiebatur. Hinc est, quod Nos eiusmodi dissidiis et dissensionibus remedium quanto nobis ex alto conceditur, adhibere, atque ut Monachi praefati sollicite servent unionem spiritualis in vinculo pacis, providere cupientes, ac de tua fide, prudentia, charitate, integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de praedictorum Cardinalium consiliis, discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus. ut minime attentis duobus dictis Capitulis, novum Capitulum²⁰⁰ dictorum Monachorum ruthenorum. auctoritate nostra Apostolica convokes, et canonice congregari cures, illique eadem auctoritate praesideas, ac sedulo procures. ut in eodem novo capitulo electio Abbatis, seu Superioris Generalis Monachorum praedictorum de persona alicuius Monachi expresse professi dicti Ordinis, qui utriusque partium quantum fieri poterit minus suspectus, iisque moribus, discretione, prudentia, charitate, pacis, ac religionis zelo praeditus fuit, ut ad reconciliandos animos, concordantiamque, quantum divina bonitas dedicit, restituendam et constabiliendam aptus fiat.

Nos enim te novi Capituli huius, nostro et Apostolicae Sedis nomine Praesidentem cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus, et oneribus similibus praesidentibus competentibus, et aliis solitis et consuetis. dicta auctoritate harum serie facimus, constituimus, et deputamus, tibi quecumque necessarias, et oportunas ad praemissa facultates tribuimus et impertimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium.

Caeterum te in Domino hortamur et monemus, ut novum Capitulum huiusmodi fideliter regere ac in illo omnia, quae ad prosperum dictorum Monachorum ruthenorum regimen et gubernium pertinent, decerni, statui, et ordinari cures et facias. Mandantes praeterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis eorumque Monachorum Superioribus, quocumque nomine nuncu-

¹⁹⁸ Cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I, ed. Romana 1953, sub data 12-VI-1662, 25 febbraio 1665 etc.

²⁰⁰ Ut videtur Suprasliense II, anno 1662, mense octobri. - Cfr. *Catalogus*, p. 107.

patis, caeterisque Monachis, specialiter Vocalibus, in praedicto novo Capitulo congregandis, aliisque ad quos pertinet, ut te eiusdem Capituli nostro et dictae Sedis nomine Praesidentem reverenter suscipient, tibique in praemissis pareant, obedient, et assistant, ac tua salubria monita, et mandata humiliter suscipient, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus Apostolicis, nec non quantum opus sit dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plane, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrarii quibuscumque.

Datum in Arce Gandolfi, Albanensis Dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die 30 Maii MDCLXV, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

S. UCOLINUS

531.

In Arce Gandulphi, 30 . V . 1665

Facultas Nuntio Varsaviensi datur nominare Superintendentem Ordinis Basiliani, si statim ad convocandum novum Capitulum electivum procedi non possit.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1322, fol. 13rv.

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem Casimirum Poloniae et Sveciae Regem Illustrem Nuncio²⁰¹.

ALEXANDER PP. VII. Dilekte fili, salutem etc.

Cum nos dissidiis et dissensionibus inter Monachos ruthenos cum Sancta Romana Ecclesia unitos Ordinis S. Basilii Magni ex causa celebrationis duorum Capitolorum²⁰² vergentibus remedium pro pastoralis officii nostri debito adhiberemus, tibi per alias nostras in simili Brevis hodie expeditas litteras dederimus in mandatis. ut minime attentis dictis duobus Capitulis, novum Capitulum dictorum Monachorum ruthenorum auctoritate nostra Apostolica convoques et canonice congregari cures, illique eadem auctoritate praesideas, ac sedulo procures, ut in eodem novo Capitulo electio Abbatis sive Superioris Generalis Monachorum praefatorum fiat de persona alicuius Monachi expresse professi dicti Ordinis, qui utrique partium quantum fieri poterit minus suspectus iisque dotibus, discretione, prudentia, charitate, ac pacis et religionis zelo praeditus sit, ut ad conciliandos animos concordiamque quan-

²⁰¹ Antonius Pignatelli, Archiepiscopus Larissenus (1660-1668).

²⁰² Cfr. notam 198.

tum divina bonitas dederit, restituendam, et constabiliendam aptus habetur, et alias prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac inssito haberi volumus, uberius continetur.

Fieri vero possit, ut propter impedimenta sive perturbationes dicti novi Capituli aliquis Monachus Ordinis huiusmodi ad Generalatum iuxta dispositionem praefatarum nostrarum litterarum eligi nequeat, Nos ex credite nobis divinitus despensationis officio felici memoratorum Monachorum directioni et gubernio per amplius consulere cupientes, ac de tua fide etc. plenam habentes in Domino fiduciam, de Ven. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium etc. consilio, discretioni tuae in casu quo propter impedimenta sive perturbationes novi Capituli huiusmodi (f. 13) vel propter alias causas electio Abbatis seu superioris Generalis praefatorum Monachorum ruthenorum in persona simplicis Monachi dicti Ordinis iuxta earundem litterarum nostrarum dispositionem succedere non possit, aliquem Monachum expresse professum eiusdem Ordinis, tamenti ex ipso Ordine ad episcopalem dignitatem assumptus reperiebatur, qui tandem Monachorum ruthenorum regimini et gubernio usque ad novum mandatum novamque nostram et Apostolicae Sedis determinationem, pro interim at per modum provisionis auctoritate nostra praefata deputandi plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus et impartimur²⁰³, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Non obstantibus litteris nostris praedictis, nec non omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstar, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi etc. 30 Maii 1665, Anno XI.

532.

Romae, 9 . IX . 1665

Novo Metropolitae Kiovieni Pontifex favorem suum promittit.

ASV, *Epistulae ad Principes*, vol. 66, fol. 82rv.

Venerabili fratri Gabrieli, Archiepiscopo Vilnensi²⁰⁴
Ruthenorum unitorum.

ALEXANDER PAPA VII. Venerabilis frater, salutem etc.

Haud mediocri laetitia pontificium animum perfuderint literae Fraternitatis Tuae die XI Julii datae, quibus de ingenti gaudio dilectorum filiorum

²⁰³ Nominatus erat revera Episcopus Volodimiriensis Joannes Potij (1655-1666), qui tamen mox obiit anno 1666. Nam intimato Capitulo mense Octobri, die undecima, Nuntius propter temporum et locorum circumstantias illud statim revocavit, qua de re Archiepiscopum Polocensem certiorem fecit, et interim Episcopum Volodimiriensem in Superintendentem Ordinis nominavit. Reversa tamen, litteris revocatoriis non obstantibus, Capitulum novum factum fuit, sic dictum Suprasliense II (11.X.1665), in quo Archiepiscopus Polocensis in Protoarchimandritam Ordinis reelectus est. Quod tamen Capitulum et electio a Sancta Sede iterum nulla declarata sunt. Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, ed. Romana 1953, sub data 25.II.1666.

²⁰⁴ Agitur de Archiepiscopo Kiovieni, Metropolita Gabriele Kolenda (1665-1674), qui fortasse propter eius residentiam Vilnae hic vocatur « Vilnensis », vel potius propter simplicem inadvertentiam.

Unionis Ruthenae ob datum a nobis Russiae Metropolitanum atque (f. 82v) de spe rerum in meliorem statum vel hac causa reducendarum certiores Nos facere voluisti. Quae sane nobis eo iucundiora sunt, quod zelo ac virtuti tuae multum tribuentes speramus pastoralis vigiliae tuae studia sollicitasque curas istic Religionis Catholicae rationibus et animarum plurimarum in viis Domini profectibus plane salutares fore. Quam obsequii divini gloriam tibi, Venerabilis frater, accuratis precibus exposcemus. Interim qua Fraternitati Tuae, qua populis cunctis Unionis vestrae, quos praecipuo paternae caritatis affectu complectimur, et huius Sanctae Sedis patrocinio tueri in favore pro viribus usque curabimus, Apostolicam benedictionem peramanter importimur.

Datum ut supra (*i. e. die nona Septembris 1665*).

533.

Romae, 4 . VI . 1666

Declaratio nullitatis Capitulorum Basilianorum et intimatio novi Capituli electivi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1342, fol. 23-26.

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis
apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem Casimirum,
Poloniae et Svetia Regem Illustrum, Nuntio.

ALEXANDER PP. VII. Dilekte fili, salutem etc.

Alias per nos accepto, quod Christi fideles Rutheni cum Sancta Romana Ecclesia uniti variis dissidiis agitarentur, et eiusmodi dissidiis praecipue causam dedisse celebratio duorum Capitulorum²⁰⁵, in quorum uno Venerabilis frater Archiepiscopus Polocensis cum adhaerentia quorundam paucorum suorum sequacium se in Abbatem sive Superiorem Generalem Monachorum ruthenorum Ordinis Sancti Basillii Magni ad sui vitam eligi curaverat; in altero vero reliqui Monachi rutheni Venerabilem etiam fratrem Episcopum Chelmensem in eorum Abbatem sive Superiorem Generalem elegerant. Memoratus autem Episcopus Chelmensis apud Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum pluries institerat, ut primodictum Capitulum nullum declararetur quippe quod legitimum esse non poterat, propter defectum auctoritatis, qua dictus Archiepiscopus caruisse repriebatur, Nos eiusmodi dissidiis, et dissensionibus remedium adhibere cupientes de praefatorum Cardinalium consilio, discretioni tuae commisimus et mandavimus, ut minime attentis dictis duobus Capitulis, novum Capitulum dictorum Monachorum ruthenorum auctoritate nostra Apostolica convocares, et canonice celebrare curares, illique eadem auctoritate praesideres, ac sedulo procurares, ut in eodem novo Capitulo electio Abbatis sive Superioris Generalis Monachorum praefatorum fieret de persona alicuius Monachi expresse professi Ordinis, qui utrius par-

²⁰⁵ Anno 1661; cfr. supra.

tium quantum fieri posset, minus suspectus, iisque moribus, discretione, prudenteria, charitate ac pacis, et religionis zelo praeditus esset, ut ad reconciliandos animos, concordiamque, quantum divina bonitas dedisset, restituentdam et stabiendam aptus haberetur, et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die XXX Maii MDCLXV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberiorius continetur.

Cum autem, sicut pariter accepimus, tu quidem in executionem litterarum nostrarum praefatarum Capitulum huiusmodi mense Octobris proxime prae-terito in Sopraslo loco Archimandritatus Venerabilis fratris Metropolitae celebrandum intimaveris, ipsum tamen Capitulum (f. 23v) subinde propter varia impedimenta supervenientia, et praesertim incursiones Moschorum, quae Religionis ne itineris sese accingerent, timorem iniecerunt, celebrari seu convocari nequiverit; et licet publicationem sive intimationem Capituli huiusmodi per suas litteras memorato Metropolitae directas revocasses, illiusque celebrationem usque ad vernum tempus differendam esse decrevisse, Capitulum nihilominus celebratum fuerit, et electio Abbatis sive Superioris Generalis Monachorum supradictorum de persona Metropolitae praefati in hoc Capitulo facta extiterit. Hinc est quod Nos facta nobis praemissorum relatione, de memoratorum Cardinalium consilio, Capitulum post revocationem a te factam celebratum, ut praefertur, omniaque et singula illius acta capitularia, ac electiones in eo factas nulla, et invalida, nulliusque roboris vel momenti esse et fore auctoritate Apostolica declaravimus et decrevimus, prout harum serie declaramus et decernimus.

Praeterea praefatorum dissidiorum, et dissensionum extirpartioni, ac pacis fraternaeque inter eosdem Monachos charitatis restitutioni et stabilimento paterna sollicitudine intendentis, discretioni tuae per praesentes committimus pariter et mandamus, ut Capitulum Monachorum supradictorum de novo in termino unius anni auctoritate nostra Apostolica convokes²⁰⁶, ac canonice congregari cures, illique personaliter cum interventu duarum personarum de rebus Unionis, ac negotiis dictorum Monachorum bene informatarum, eadem auctoritate praesideas, caeteraque omnia et singula facias, geras, mandes, et exequaris, quae tibi per litteras praefatas a nobis mandata et iniuncta fuerunt. Nos enim quascumque necessarias et oportunas super his facultates tibi eadem auctoritate tenore praesentium denuo tribuimus et impartimur. Salva nostra semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Mandantes propterea in virtute sanetae obedientiae dilectis filiis Monachorum praefotorum Superioribus quoconque nomine nuncupatis, certe risque Monachis et specialiter Vocalibus il novo Capitulo huiusmodi per te vigore praesentium convocando congregandis, aliisque ad quos pertinet, ut te eiusdem Capituli nostro et Apostolicae Sedis nomine Praesidentem reverenter (f. 26) suscipiant, tibique in praemissis pareant, obedient, et assistant, ac tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu sta-

²⁰⁶ Revera anno 1667 duo Capitula adunata fuerunt: mense Martio Berestense I, et mense Octobri Vilnense V. — Cfr. Catalogus, p. 107. Res gestae Cap. Berestensis I a S. Congr. de Prop. Fide approbatae fuerunt. — Cfr. Acta..., sub data 9-V-1667.

tueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus authore Domino, usque ad sastisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis etiam etc. statutis, et consuetudinibus, privilegiis, etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae etc. 4 Junii 1666, Anno XII.

534.

Romae, 4 . VI . 1666

Designatio Episcopi Volodimiriensis in Superintendentem Ordinis Basiliani usque ad novum Capitulum congregandum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1342, fol. 27rv.

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis
apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem Casimirum,
Poloniae et Svetia Regem Illustrum, Nuntio.

ALEXANDER PP. VII. Dilecte fili, salutem etc.

Cum nos Capitulum Monachorum ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni non ita pridem postquam publicatio seu intimatio Capituli huiusmodi a te revocata fuerat, celebratum, in quo electio Abbatis sive Superioris Generalis eorundem Monachorum de persona Venerabilis fratris Metropolitae facta extiterat, omniaque et singula illius acta capitularia, ac electiones eo factas nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti esse et fore auctoritate Apostolica declaraverimus, et decreverimus, ac tibi dederimus in mandatis, ut Capitulum Monachorum praefatorum de novo in termine unius anni dicta auctoritate convokes, ac canonivee congregari cures, illique personaliter cum interventu duarum personarum de rebus Unionis ac negotiis dictorum Monachorum bene informatarum eadem auctoritate praesideas; praeterea Venerabilem etiam fratrem Episcopum Laodimiriensem regiminis et gubernii eorundem Monachorum ruthenorum Superintendentem cum facultatibus necessariis et opportunis usque ad celebrationem novi Capituli, ut praefertur, convocandi, et interim ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate praefata constituerimus, et deputaverimus, et alias prout in binis nostris desuper in simili forma Brevis respective expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberiorius continetur. Cumque multa intervenire possint, propter quae binae litterae nostrae praefatae, seu earum alterae, ac in illis contenta, vel earum aliqua executioni mandari nequeant, seu aliter quam in eisdem litteris praescribitur procedendum esse prudentiae, atque aequitatis rationes suadeant, quo urgentia inter Christi fideles illarum partium dissidia, adspitante superni favoris auxilio componi, ac religiosa inter Monachos supradictos tranquillitas salubriter restitui ac constabiliri valeant. Hinc est quod Nos pro commisso nobis divinitus pastorali munere prolixius atque uberius in praemissis providere

(f. 27v) volentes, ac de spectata tua in nostris et Sedis Apostolicae negotiis fide integritate, vigilancia prudentia, dexteritate, charitate, ac honoris Dei et religionis zelo plurimum in Domini confisi, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, discretioni tuae in omnibus et singulis illis quae per binas nostras litteras supradictas earumve alteras tam ubi commissa ei iniuncta, quam aliter quovis modo disposita et contenta sunt respective, illisque annexis, et connexis, ac inde emergentibus et dependentibus quibuscumque iuxta datam tibi a Domino prudentiam, et prout magis opportunum fore iudicaveris auctoritate nostra praefata procedendi plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tenore präsentium tribuimus et impartimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Non obstantibus litteris praedictis, nec non omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae etc. apud S. Mariam Maiorem, 4 Junii 1666. An. XII.

535.

Romae, 4 . VI . 1666

Episcopo Volodimiriensi committitur superintendencia Monachorum Ordinis Basiliani usque ad novum Capitulum Generale.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1342, fol. 27-8.

Venerabili fratri Episcopo Laodimiriensi²⁰⁷.

ALEXANDER PP. VII. Venerabilis etc.

Cum Nos Capitulum Monachorum ruthenorum Ordinis Sancti Basilii Magni non ita pridem postquam publicatio seu intimatio Capituli huiusmodi a dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis apud Charissimum in Christo filium nostrum Joannem Casimirum Poloniae et Svetiae Regem Illustrem Nuncio, revocata fuerat, celebratum, in quo electio Abbatis sive Superioris Generalis eorundem Monachorum de persona Venerabilis fratris Metropolitae facta extiterat, omniaque et singula illius acta capitularia, ac electiones in eo factas nulla et, invalida, nulliusque roboris vel momenti esse et fore auctoritate Apostolica declaraverimus et decreverimus, ac eidem Nuntio dederimus in mandatis, ut Capitulum Monachorum praefotorum de novo in termino unius anni dicta auctoritate convocet, ac canonice congregari curet, illique personaliter cum interventu duarum personarum de rebus Unionis ac negotiis dictorum Monachorum bene informatarum, eadem auctoritate praesideat, et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis hodie expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

²⁰⁷ Joannes Potij (1665-1666). Obiit aestate anni 1666, post suam designationem in Superintendentem Ordinis. Cfr. relationem Nuntii Apostolici in sessione S. C. de Prop. Fide generali die 20.XI.1666. — Cfr. *Acta*, vol. I

Hinc est quod Nos felici prosperoque dictorum Monachorum regimini et gubernio pro commissa nobis celitus pastoralis officii cura salubriter providere cupientes, ac de tua, qui (ut accipimus) in minoribus constitutus habitum per Monachos praefatos gestari solitum suscepisti, et professionem per eosdem emitte consuetam expresse emisisti regulares, fide, prudentia, charitate, vigilancia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis etc. censentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium propagandae fidei praepositorum consilio te regiminis et gubernii memoratorum Monachorum ruthenorum Superintendentem cum facultatibus necessariis et opportunis usque ad celebrationem novi Capituli ut praefertur, convocandi, et interim ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum auctoritate praefata tenore praesentium constituimus, et (f. 28v) deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praefatorum Cardinalium. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae Monachis praefatis, eorumque Superioribus, et aliis quibuslibet, ad quos spectat, ut ubi in omnibus demandatum tibi per praesentes munus Superintendentis huiusmodi concernentibus prompte pareant, et obdiant, ac faveant, et assistant respec- tive, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis etiam etc. statutis, et consuetudinibus, privilegiis etc innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Maria Maiorem etc, 4 Junii 1666. An. XII.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

CLEMENS PP. IX
(20, 26. VI. 1667 — 9. XII. 1669)

p i s t o r i e n s i s
(Julius Rospigliosi)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. IX

536.

Romae, 9 . I . 1669

Res Unitorum defendenda in Comitiis Regni Archiepiscopo Gnesnensi commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 115 (n. a.).
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 571, nr. 528.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi²⁰⁸.

CLEMENS PP. IX Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi certo scimus, Fraternitati Tuae pro singulari pietate ac eximio zelo, quo pollet, omnes Religionis Catholicae rationes in proximis Comitiis curae cordique futuras esse, tamen cum ab Haereticis multa moliri tali tempore soleant, et partim etiam audiamus, in his praesertim quae pertinent ad S. Unionem Ruthenorum, in quos odia Schismaticorum semper ardentia, nunc etiam specialiter invehuntur, a te quo maxime possumus affectu pontificio petimus, ut eos omnino commendatos habeas, et ab hostium atque dolis sarcitos ac tectos tuearis, uti plenius coram audies ex Ven. fr. Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro²⁰⁹, cui fidem omnem habebis. Nos interim Fraternitati Tuae propitium et conatibus piis aspirantem Dominum sedulo precamur, atque benedictionem Apostolicam peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die etc. 9 Ianuarii 1669, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Eodem modo Regi, Episcopis et Ordinibus Senatorio et Equestri etc. Regni Poloniae.

537.

Romae, 4 . V . 1669

Metropolita Kioviensis certioratur de benigna commendatione eius negotiorum apud Nuntium Varsaviensem.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68 fol. 187rv.

Venerabili Fratri Gabrieli, Archiepiscopo
Metropolitae Ruthenorum unitorum.

CLEMENS PP. IX Venerabilis frater, salutem etc.

Unionem Catholicorum ruthenorum, ex quo primum a fel. rec. Clemente

²⁰⁸ Nicolaus Prażmowski (1666-1673).

²⁰⁹ Galeazzo Marescotti, Archiepiscopus Corinthi, Nuntius Varsaviensis (1668-1670).

octavo stabilita fuit, usque ad hanc diem Antecessores omnes nostri Apostolicae protectionis praesidio complexi sunt, et a Schismaticorum iniuriis, et violentiis impense tutati.

Eamdem profecto mentem ipsi gerimus paternae caritatis nostrae documenta pro rerum, ac temporum opportunitatibus illi usque praestituri.

Itaque de negotio quod Fraternitas Tua literis suis die tertia Decembribus datis ad Nos perscripsit Venerabili fratri Archiepiscopo Corinthi, Nuntio Apostolico, opportuna mandata damus; nec dubitamus quin ipse piis optatis tuis quantum cum Domino recte poterit, egregie satisfacturus sit. Quod autem promptius, ac libentius id efficiamus praeter ipsius causae promerita Nos quoque movet persuasio, quam de spectata pietate, ac virtute tua singulariter habemus. Hanc vero voluntatis nostrae propensionem, ut assidue novis benefactis confirmares, et augeas cum valde cupimus, tum etiam maxime speramus.

Interim Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, sub Annulo Piscatoris, die 4 Maii 1669, Pontificatus Nostri Anno secundo.

538.

Romae, 24 . VIII . 1669

Res Ruthenorum in Comitiis coronationis Regi Poloniae defendendae commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 229rv
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 580, nr. 584.

Carissimo in Christo filio nostro Michaeli,
Regi Poloniae Illustris²¹⁰.

CLEMENS PP. IX. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Cum audiamus in Comitiis Regiae Coronationis proxime futuris²¹¹ actum iri de Schismaticorum adversus Catholicam Ruthenorum Unionem improbis postulatis, etsi non dubitamus, quin Maiestas Tua pro singulari pietate et prudentia sua prolixe curatura et praestitura sit, quae ad incolumitatem et bonum tanti negotii et religionis orthodoxae pertinere possunt, tamen pro ipsis rei gravitate ea, qua par est, cura et sollicitudine cordi penitus infixa plane tenemur.

Quare Ven. fratri Archiepiscopo Corinthi, Nuntio Apostolico, scribimus, ut ea de re cum Maiestate Tua diligenter agat, et plura quidem, quae paternus erga te Regnumque nobilissimum amor atque domus Dei zelus suggestit, ample ac distincte referat. Eum igitur attente audies ac divinorum beneficiorum,

²¹⁰ Michael Korybut Wisniowiecki, electus Rex Poloniae post resignationem Joannis Casimiri (1669-1673).

²¹¹ Coronatus Cracoviae die 29.IX.1669 ab Archiepiscopo Gnesnensi Nicolao Prażmowski.

et huius tam admirabili adeptione Coronae nuper accepti memor, serio cogitabis, nihil tibi antiquius esse debere, quam ut Regnum, quod ipsius Dei clementia tribuere tibi dignata est, ei tu quoque ac sanctae illius fidei, quantum humanis consiliis fieri potest, incorruptum et addictum servare, ac in medio tot hostium atque difficultatum unice tantum ac munitum reddere velis; quod alia quidem ratione assequi non potes, nisi Catholicae Religionis et Ecclesiarum res atque omnes, ut indubie futurum esse confidimus, inviolate persancteque custodieris. Id idem hortari te quoque debet immortalis proprii nominis fama, quae profecto ex primis regiminis novi gestis censenda et iudicata vel maxime pendet. Hanc autem, quod insignis virtus et religio tua pollicetur, ut eximia nunc apud homines laudum gloria et olim aeterno in coelis diadematice coronet Regnorum arbiter Deus, precibus accuratis vehementer exposcimus, ad id Maiestati Tuae omni ex paterno corde benedicentes.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., die XXIV Augusti MDCLXIX,
Pont. Nostri Anno tertio.

539.

Romae, 24 . VIII . 1669

Hierarchiae Poloniae Unio Ruthenorum defendenda commendatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 68, fol. 231rv.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 580, nr. 584b.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Poloniae et Lithuaniae ad Comitia congregatis.

CLEMENS PP. IX. Venerabiles fratres, salutem etc.

Quamvis ad universum Senatum, in quo Fraternitates vestrae, opportune providente Domino, principem locum obtinent, de Unione Sancta Ruthenorum conservanda diligenter scripserimus, tamen quoniam eius rei cum debitum, tum exemplum ad personas sacras vestras vel maxime pertinent, praecipuis quoque literis vos alloqui debuimus, et quemadmodum facimus, ex officii nostri munere serio hortari ac monere, ut non solum ipsi in retinenda constantia vestra pactorum cum Deo et Ecclesia Sancta, etiam iureiurando firmatorum, memores esse velitis, sed omnes quoque auctoritatis et industriae vires exercere, quo eandem fortitudinem aliis persuadeatis, et Sanctam Unionem tot myriadum salutem complecentem omnino sanctam tectam tueamini. Profecto Maiores religiosissimi vestri eo sacros Praesules in politico quoque statu insigni dignitate potiri, et e primis Senatus subsellis sententiam dicere voluerunt, ut si quid tale contingaret ad cultum divinum et Catholicam Religionem attinens, essent in ipsa Curia sanctae fidei et pietatis auctores et propugnatores praecipui, qui humanos omnes timores et respectus posthabentes, solius Dei gloriae et veritati intrepide asserendae consulerent; quas porro munieris sui partes amore divino succensi Episcopi Poloniae saepe alias etiam in hac ipsa re egregie et paeclare peregerunt. In praestando igitur illud, ad quod sane tam Episcopalis, quam etiam Senatoria professio vos qua divino;

qua humano iure constrictos tenent, non decet trepidos, aut etiam nimis cautos videri oportet summam in Domino spem habentes fortitudinem et robur induere, ut honorificetur ministerium vestrum, et inde imbecillioribus etiam fiducia et alacritas addantur.

Quapropter Apostolica auctoritate iubemus, ut in hanc rem omnes consilii, sacerdotalis zeliisque vires impendatis, et ad hunc maxime effectum Ven. fratrem Archiepiscopum Corinthi, Nuntium nostrum, attente audire voletis, qui nullas in hac re studii et efficacitatis partes iussu nostro praetermittet. Idem vos pariter praestituros esse plane speramus, et quamvis in re difficili et ardua Maiorum vestrorum vestrique similes omnino futuros. Huiusmodi non minus debitiss, quam glorio sis laboribus praemium in promptu erit, inclyta apud homines fama, et in coelis reposita corona iustitiae. Utramque vero cum coeterorum adiectione bonorum ut Fraternitatibus vestrис redditat iustus Iudeus, ab eo petimus, paterne benedicentes.

Datum ut supra.

540.

Romae, 24 . VIII . 1669

Protectio Unitorum Archiepiscopo Gnesnensi commendatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 68, fol. 230.

Venerabili fratri Nicolao, Archiepiscopo Gnesnensi.

CLEMENS PAPA IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi qua Praesulibus Cathedralium Ecclesiarum omnium, qua generatim universo Senatui de tuenda Ruthenorum Unione peraccurate scripsimus, tamen ad Fraternitatem Tuam, cuius in defendendis Dei causis auctoritas et studium, uti par est, vel maxime praececellit, literas speciatim quoque dare voluimus, etiam atque etiam ab ea petentes, ac efflagitantes, ut imminentis Sanctae Ruthenorum Unioni periculum depelleres, et proinde aliud longe gravius universo isto Regno ab ultrici ira Domini, si quis secus accidat impendens, avertere omni studio, et conatu contendas.

Quare, Venerabilis frater, enitere cunctis viribus, et tam cum Rege ipso, quam cum omnibus, qui negocium provehere possunt, insta opportune, importune, et prorsus rem confice; ne forte irascatur Dominus et nobis quoque necessitas relinquatur eas quas plane nolemus officii nostri partes assumendi in re pene omnium gravissima, quaeque a nobis ignorari, et dissimulari nullo pacto poterit.

Plura in eandem sententiam Venerabilis frater Archiepiscopus Corinthi, Nuntius noster, edisseret. Aderit piis conatibus Deus, ac tibi in eius causa constanter, et strenue tuenda laboranti propitius, et favens gratiae suaee munera ubertim multiplicata repraesentabit. Quod ut feliciter eveniat Fraternitati Tuae benedictionem Apostolicam ab ipso per amenter impertimur.

Datum ut supra.

541.

*Romae, 24 . VIII . 1669**Protectio Ecclesiae Unitae Episcopo Cracoviensi inculcatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 230v.

Venerabili fratri Andreeae, Episcopo Cracoviensi

CLEMENS PAPA IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Grave profecto vulnus istic Religionis Catholicae rebus infligere meditantur illius hostes, Unioni Ruthenae eam iam olim amplexae, cladem, eo extium ferociter minitantes. Quorum improbos ausus etsi, miserente Domino, vanos et irritos fore pietas Polonorum, et in primis Praesulum sacrorum zelus et constantia pollicetur, tamen in re tam gravi omnia, quamvis tuta, pertimescenda sunt; ei potissimum, cui Deus Ecclesiae universae sua regim, et custodiam tam arcte demandavit.

Petimus igitur etiam speciatim ab insigni, spectataque virtute Fraternitatis Tuae, cui plurimum sane confidimus, ut causae tam piae defensionem suscipere, et in ea tuenda socium et comitem Venerabili fratri Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, se praebere velit. Quoniam vero is tibi quantum huiusmodi res nobis curae cordique sit, aliaque plura ad eam pertinentia planius coram iussu nostro significabit, illi fidem omnem, ac si Nos ipsi loquremur, habere poteris. Interim Fraternitati Tuae benedictionem Apostolicam ex intimis animi paterni sensibus impertimur.

Datum ut supra.

542.

*Romae, 24 . VIII . 1669**Senatoribus Poloniae Unio Ruthenorum commendatur protegenda.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 232rv.

Dilectis filiis, nobilibus viris, Ordini Senatorio Regni Poloniae.

CLEMENS PAPA IX. Dilecti fili, nobiles viri, salutem etc.

Quo paternae caritatis ardenter affectu inclytam Nationem vestram firmissimum iamdiu totius Christianae Reipublicae propugnaculum in Domino complectimur, eo profecto magis dolemus eiusmodi tempora incidisse, quae minus fortibus, et constantibus hominibus istuc metum incurrere possint, quo forte in res honestati, et religioni maxime adversas cum ingenti animarum suarum et existimationis detimento prolabantur; quod etsi de veteri gloria et zelo pietatis poloni Senatus dubitare non possumus, vehementer tamen commoti sumus periculo, quod in Comitiis istis imminere dicitur Sanctae Ruthenorum Unioni, ne Schismaticorum vi, ac dolis detrimentum patiatur; cum profecto in tali, tantaque re ad animarum praecipue salutem, tot Ecclesiarum

etiam Cathedralium, cum insigni Metropolitana, statum, et insuper ad fidei rationes potissimum pertinente, nobis connivere, aut dissimulare minime liceat. Caeterum in Sancta Unione Ruthenorum constituenda, atque tuenda Patres vestri nedum votis et apud hanc Sanctam Sedem precibus, verum etiam istic auctoritate, studio, et omnium rerum ope tantum elaboraverunt, ut vere illorum pietatis illustre monumentum, ac opus proprium censenda sit, et idcirco etiam ipsi nunc in ea conservanda, et strenuo propugnanda eorumdem fortitudinem, et zelum imitari certe debeatis.

Quare a vobis, nobiles viri, in visceribus Christi unice dilecti, enixe petimus, ut consueto robore praecincti, atque constanter, et inconcusse in Domino confisi, hanc eius causam pro virili propugnare ac tueri velitis. Venerabili fratri Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, scribimus, ut in hoc negotio peragendo omnem omnino studii, ac zeli vim adhibeat, pro certo habentes, eum qua pars attentione auditum iri a Nobilitatibus vestris, quorum piis consiliis, et generosis conatibus faventem, et propitium Deum ex corde poscimus, et Apostolicam benedictionem paterne largimur.

Datum ut supra.

543.

Romae, 24 . VIII . 1669

Idem commendatur Ordini Equestri Regni Poloniae.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 68, fol. 233rv.

Dilectis filiis, universo Ordini Equestri Regni Poloniae.

CLEMENS PAPA IX. Dilecti filii, salutem etc.

Rem saepe tentatam numquam obtentam, neque uti de spectata Poloniae pietate, et eximio Religionis Catholicae studio nobis pollicemur obtinendam; Schismatici Ruthenorum Unionem acriter impetentes violentia nunc, et artibus in his novi Regni primordiis aggrediuntur; sperantes nimirum hanc tantam rem hodie si quesiverint, nihil fore quod nequaerant deinde consequi, et extorquere. Verum singularis virtus, et zelus piissimi Regis, et fortissimae, ac vigilantissimae gentis, tam altum et acerbum vulnus omnibus Religionis Catholicae rationibus infligi, seque in arctum umquam ab illis hominibus, nedum ab huiusmodi religionis hostibus redigi minime profecto patietur. Hoc autem etsi pro certo, et explorato prorsus habemus, tamen ipsa rei gravitas, et munieris nostri debitum a nobis exigit, ut in tanti ponderis negotio nihil omnino praetermittamus, quod aliqua ratione ad illud pertinere possit. Itaque Venerabili fratri Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, (f. 233v) damus in mandatis, ut tam cum carissimo filio nostro Rege, et Senatu, quam cum Ordine praestantissimo vestro de hac re diligenter agat, interponens apud vos, quamvis egregie vestra sponte currentes, hortationes et officia pontificia, ut Maorum vestrorum, vestraeque virtutis perpetuae memores tam in honestae rei notam praeclarissimae, piissimaeque Nationi ullo pacto inuri sinatis. Sed quoniam idem Nuntius universa quae ad hanc rem pertinere possunt fusius expli-

cabit, ut eius verbis non secus ac nostris fidem omnem habere velit magnopere cupimus. Porro causam hanc suam misericordi Deo precibus accuratis commendantes, vobis, dilecti plurimum filii, Apostolicam benedictionem ex amantiori quo maxime possumus affectu paterni cordis impertimur.

Datum ut supra.

544.

Romae, 24 . VIII . 1669

Eodem argumento aliis Proceribus Poloniae, a Nuntio nominandis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68 ,fol. 233v-234.

Pro quatuor nobilibus viris in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PAPA IX. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Magna profecto cum animi nostri molestia audivimus Sanctae Ruthenorum Unioni in Comitiis istius (f. 234) Regni proxime celebrandis a Schismatistarum potentia, et artibus grave periculum imminere. Qua in re ad Sanctae Fidei rationes, Ecclesiarum iura, Sedis Apostolicae auctoritatem, totque myriadum animarum salutem tantopere pertinente, ut Nobilitas Tua pro viribus, auctoritate, consiliis et omni officiorum genere discrimini huic occurrere sedulo curet, a perspecta pietate tua etiam, atque etiam vehementer petimus. Sed quoniam Venerabilis frater Archiepiscopus Corinthi, Nuntius noster, omnia quae ad hanc rem spectare possunt planius iussu nostro tibi significabit, eius verbis non secus ac nostris omnem fidem habere voles, dilecte fili, cuius Nobilitati benedictionem Apostolicam intimis animi paterni sensibus impertimur.

Datum ut supra.

545.

Romae, 24 . VIII . 1669

Idem argumentum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 234v.

Pro quatuor dilectis filiis in Polonia. Eodem modo.

CLEMENS PAPA IX. Dilekte filii, salutem etc.

Zelum ac virtutem, qua pietas tua in proxime praeteritis Comitiis enituit, in praesenti quoque postulat ab eadem cum Sancta Ruthenorum Unio, tum Religionis Catholicae totius commune bonum. Studendum igitur omnibus viribus a te profecto est, ut eamdem industrias, et ardorem exeras, et cum Venerabili fratre Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, tui laudatore, consilia operamque consocies, quo cum consensu vobis, et aliis ambulantibus, incul-

mitati eiusdem tam piae causae consultum sit. Idem Nuntius omnia, quae in hanc rem ei praecipiamus fideliter edisseret. Ipsum igitur audias, ut facilius, ac felicius piis conatibus tuis adiutor, et retributor Deus praesto esse velit, a quo tibi, dilekte fili, peramanter, ac paterne benedicimus.

Datum ut supra.

546.

Romae, 24 . VIII . 1669

Aliae litterae commendatitiae de eodem negotio.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 68 fol. 235.

Pro quatuor dilectis filiis in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PAPA IX. Dilekte fili, salutem etc.

Exigit Unionis Ruthenorum incolumitas, ut praeclera virtus tua quem alias pietatis, zeliique fervorem ostendit, nunc etiam in praesentibus Comitiis praestet, cum in ea re, violentia, et dolo Schismaticorum omnibus sanetae fidei, et Ecclesiae istic rationibus gravia damna, et pericula moliantur. Quare consuetam virtutem, et animi magnitudinem exercere, ac propugnandae strenue tam piae causae sedulo incumbe. Habebis in eo negotio socium Venerabilem fratrem Archiepiscopum Corinthi, Apostolicum Nuntium, cui mandata nostra perferenti fidem te omnem habere par est, et Nos impense cupimus. Tibi, dilekte fili, Protectorem piorum conatorum praecamur Altissimum, omni ex paterno corde benedicentes.

Datum ut supra.

547.

Romae, 24 . VIII . 1669

Eodem exemplo de eodem arguento

ASV, Ep. ad Principes, vol. 68, fol. 235v.

Pro quatuor dilectis filiis in Polonia. Eodem modo.

CLEMENS PAPA IX. Dilekte fili, salutem etc.

Eundem zelum, animique praestantiam, quam proximis Comitiis insignis virtus tua praestitit, in hisce praesentibus exigit a te Unionis Ruthenae a Schismaticorum violentia et dolis acriter impugnata causa, ad omnes Religionis Catholicae rationes summopere pertinens; cum praesertim ex ea tot myriadum animarum salus aeterna pendeat. Ei rei Nos quae nunc maxime conferre posse censuimus, late ac distince Venerabili fratri Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, scripsimus, ex quo cognosces. Quamobrem eum attente audire, et in tam sanctum et necessarium opus toto pectore incumbere profecte velis. Nos piis conatibus adiutorem Deum ex corde precamur, tibi, dilekte fili, paterne benedicentes.

Datum ut supra.

548.

*Romae, 24 . VIII . 1669**Eiusdem argumenti quatuor litterae Nobilibus polonis destinantur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 236.

Pro quatuor dilectis filiis in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PAPA IX. Dilekte fili, salutem etc.

Ea sane temporibus omnibus verae pietatis, et zeli documenta praebuit eximia virtus tua, ut vereri non possumus, ne tui te similem etiam in Comitiis istis ostendere velis. Sed res, et rationes omnes Sanctae Unionis Ruthenae, quibus nunc Schismaticorum violentia et artes cladem, et exitium minitantur Nos admonet, ut omnibus animi viribus evitandum sit, quo eae penitus, et omnino sacrae tectaeque sint. Quare magnopere in Christi visceribus a te postulamus, ut in hanc rem toto ex corde, sedulo ac diligenter incumbas; ac proinde Venerabilem fratrem Archiepiscopum Corinthi, Nuntium Apostolicum, nostro nomine disserentem audias, et omnem ei fidem, ac si Nos ipsi loqueremur, habere velis. Interim assidua protectionis divinae tibi, dilekte fili, precamur, paternam benedictionem peramanter impertientes.

Datum ut supra.

549.

*Romae, 24 . VIII . 1669**Regi Poloniae Michaeli inculcatur admissio Metropolitae Kiovensis in Senatum Regni.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 227.

Carissimo in Christo filio nostro Michaeli, Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PAPA IX. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Rem profecto qua promeritis ingentibus suis non indebitam, qua Religionis Catholicae rationibus valde profuturam, postulare videtur Metropolita Ruthenorum unitorum locum in Senatu sibi concedi desiderans, ut etiam vel hoc ipso tempore, quo rebus Unionis istic a Schismaticorum violentia, et artibus extremum pene discrimen imminet, eaedem Orthodoxorum studio et caritate amplissimis honoribus auctae conspiciantur, et Praesul ipse omni laude dignus tam insigni dignitate decoreretur. Itaque petimus a Maiestate Tua, ut Venerabilem fratrem Archiepiscopum Corinthi, Nuntium nostrum, de re disserentem, attente audire velit, et in hac quoque re Religionis Catholicae piis cultoribus auctoritate tua praesto esse. Sed quoniam ex eodem Nuntio caetera plenius intelliges, nihil addimus praeter Apostolicam benedictionem, quam ex intimo paterni cordis affectu Maiestati Tuae impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 24 Augusti 1669, Pontificatus Nostri Anno tertio.

550.

*Romae, 24 . VIII . 1669**Idem Archiepiscopo Gnesnensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 227v.Venerabili fratri Nicolao, Archiepiscopo Gnesnensi²¹².

CLEMENS PAPA IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Venerabilis frater Archiepiscopus Corinthi, Nuntius Apostolicus, iussu nostro Fraternitati Tuae commendabit Metropolitae Ruthenorum locum in Senatu postulantis causam, quae in proxime futuris Comitiis pertractanda erit. Itaque a Fraternitate Tua petimus, ut illum libenter audiat, et eiusmodi negotio, quod ad Religionis Catholicae rationes pertinere videtur, auctoritate studioque praesto esse velit. Caetera planius idem Nuntius edisseret. Fraternitati Tuae, cui Deum usque propitium ex animo precamur, Apostolicamque benedictionem peramanter impertimur.

Datum ut supra.

551.

*Romae, 24 . VIII . 1669**Metropolita Kioviensis certioratur de recommendatione sua admissionis in Senatum Regni.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 228.

Venerabili fratri Gabrieli, Archiepiscopo Metropolitae Ruthenorum unitorum.

CLEMENS PAPA IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Studium Fraternitatis Tuae de rationibus Religionis Catholicae, et Sanctae Unionis provehendis ex litteris tuis animo perlamenti vidimus, et summopere probavimus. Quare petitionem tuam de obtinendo locum in Senatu non solum Archiepiscopo Gnesnensi, et Episcopo Cracoviensi, sed etiam ipsi Regi piissimo accurate commendare voluimus; cui pariter et universis Episcopis Poloniae, nec non Ordinibus tam Senatorio, quam Equestri, defensionem rerum omnium a violentia, et artibus Schismaticorum, cunctis pontificiae caritatis officiis qua literis praecipuis, qua Venerabilis fratris Archiepiscopi Corinthi, Nuntii nostri, voce, quantum maxime potuit inculcamus. Faxit Deus ut omnia in eius gloriam, et Sanctae Religionis eius, atque Unionis bonum, et augmentum feliciter cedant, quod ab eo summis precibus exposcimus, Fraternitati Tuae benedictionem Apostolicam peramanter impertientes.

Datum ut supra.

²¹² Nicolaus Prażmowski (1666-1673).

552.

Romae, 24 . VIII . 1669.

Idem negotium admissionis Metropolitae Kioviensis in Senatum Regni etiam Episcopo Cracoviensi commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 68, fol. 228v.

Venerabili fratri Andreae, Episcopo Cracoviensi²¹³.

CLEMENS PAPA IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Ad Religionis Catholicae decus, et rationes omnes magnopere pertinet, si Metropolitae unitorum postulatus ab eo locus in Senatu concedatur; ut etiam vel hoc ipso potissimum tempore, quo res Unionis istic a Schismaticorum violentia et artibus in extremum pene discrimen adducuntur, eaedem insigniter auctae, et evectae conspiciantur, simulque sacer, et omni laude dignus Praesul amplissimam dignitatem ingentibus promeritis suis non indebitam non sine Religionis Orthodoxae, et ecclesiasticae rei lucri consequatur. Idque sane initamento quoque foret Acatholicis universis eius religionis amplectendae, cuius professores vera caritate praestantes ad cor ex animo reversis eximios honores, et summorum Reipublicae munerum consortium non invidere perviderint.

Quapropter a Fraternitate Tua, cuius auctoritas et zelus in omnibus ad Sanctae Fidei spectantibus rebus excellere consuevit, vehementer petimus, ut privatis omnibus respectibus Dei gloriae posthabitis, in hanc Metropolitae causa cunctis quibus poterit insignis pietatis ac virtutis suae viribus incumbere velit. Huiusmodi certo conatu non minus generoso, quam pio bonorum omnium laudes, et imprimis pontificiam voluntatem summopere tibi devinctam magis magisque demereberis. Sed quoniam Venerabilis frater Archiepiscopus Corinthi, Nuntius noster, omnia coram planius edisseret, nihil addimus praeter Apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis frater, ex intimo sensu paterni cordis impertimur.

Datum ut supra.

²¹³ Andreas Trzebicki (1657-1679), antea Episcopus Percmysliensis.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

CLEMENS X
(29.IV,11.V.1670 — 22.VII.1776)

r o m a n u s
(Aemilius Altieri)

D O C U M E N T A C L E M E N T I S P P. X

553.

Romae, 10 . V . 1670

Regi Michaeli defensio Unitorum commendatur .

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 8v 9v.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 584, nr. 590.

Carissimo in Christo filio nostro Michaeli, Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PAPA X. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Supremam Ecclesiae Universae procurationem vix a Spiritu accepimus, vicariamque impares licet Pontificis sempiterni subivimus potestatem, cum a principe tenebrarum, qui inducias nunquam Catholicae Religioni facit, amarissimam nobis in amplissimo isto ac quam maxime dilecto Regno sollicitudinum messem parari comperimus, dum eum adversus sanctam Ruthenorum Unionem infernas vires exercentem, electorumque fidelium numerum immunuere satagentem cognovimus. In Apostolica autem statione die Nos nocturne commissum super gregem excubantes opponere conabimur arma lucis, concreditasque nobis oves perducere contendemus in pascua immarcescibilis foelicitatis. Tanti vero solatii perceptionem ultro nobis pollicemus, eximiam perspectamque pietatem ac fortitudinem Maiestatis Tuae vigili paternae mentis consideratione revolventes; nihil enim tam arduum pro orthodoxae fidei incolumente tuenda occurrere unquam poterit, quod aut animus aggredi, aut robur perficere nequeat. Excelsae huiusc spei firmitati indubitanter innixi irritos omnino adversarii, cum quo luctamur, conatus fore confidimus, teque coeli iura strenue propugnante iniquas Schismaticorum voces comprimendas plane in gutture eorum esse non dubitamus, nec speciosa promissa fictique terrores, quibus impiam promovere causam student, de consilio Nos ac constantia Maiestatis Tuae anxios habent; aderit nempe a dextris tuis scentiarum Dominus, nefarios dolos aperiens, sentiesque te omnia posse in eo, qui assecelas suos confortat. Praebe igitur, carissime fili noster, loquenti in nobis Numini sedulas aures, occlude eas petitionibus aras ac templo evertentibus, divinique cultus securitati militans, generosa per Deputatos tuos, quos Ostrogium conventuros audivimus, postulatorum refectione improbis desertoribus regale pectus oppone. Inconcussum tam validis stans fundamentis erit Regnum tuum, debitamque gratae observantiae responsionem ab augustissimo solio magnitudinis suaे ille, per quem mirabiliter regnas, benigne respiciens, aeternam mansuram imponet capiti tuo coronam gloriae. Plura in hoc maxi-
mi momenti negotio nostro nomine edisseret Venerabilis frater Archiepiscopus

Corinthi, Apostolicus Nuntius, cui plenam a te praestari fidem cupimus, nos-
trique Principatus primordia praeclaro aliquo propensa erga Maiestatem
Tuam benevolentiae documento insignire exoptantes, quo amantiori sane in
Domino possumus charitatis sinu tibi benedicimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Maii
MDCLXX, Pontificatus Nostri Anno primo.

554.

Romae, 10 . V . 1670

Commendatur incolumitas Ruthenorum catholicorum defendenda in Comitiis.

ASV, *Ep. ad Pincipes*, vol. 69, fol. 9v 10.

Venerabili fratri N. N.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum inter praecipuas pontificiae sollicitudinibus curas nuper nobis a Spi-
ritu Sancto commissi principem ea sibi vindicet locum, qua orthodoxae fidei
incolumentem intactam ubique servare indesinenter debemus, in promptu erit
Fraternitati Tuae coniicere, quam anxios Nos diu noctuque habeat infensus
auribus nostris rumor, quo adversus Catholicam Ruthenorum Unionem impro-
bam Schismaticorum audaciam praevalere impiisque postulatis sancta eorum-
dem iura (f. 10) proscindere per summum scelus conantem intelleximus. Le-
vavimus tamen non parum aegritudinem nostram, dum te praefuturum cau-
sae Dei Ostrogii novimus, eamque strenuo adeo peragendam a pietate, ac
prudentia, quibus spectatos inter Poloniae Praesules spetiose in Domino cor-
ruscas, omnino nobis pollicemur, ut repellendas prorsus inimicorum nostro-
rum petitiones pro certo arbitramur. Eia igitur, Venerabilis frater, dolosas ex-
plica reliquias Deputatis Cosachorum promissiones, operi excuso, quo fla-
gras zelo impetentes Catholicam Religionem insidias, invictum opera, in-
dustriaque, tua periclitanti Reipublicae agerem para, nostraeque in te
spei constitutae apprime responde. Rependet Pontifex omnium saeculorum
beneficientiae suae thesauris accurationem, quam in re ad eum summopere
spectante praestabis, Nosque, qui vicariam in terris, immerentes licet, eiusdem
gerimus potestatem, iugibus ubi per occasionem licuerit, voluntaten nostram
beneficiis testatam usque tibi faciemus, atque (f. 10v) interim Apostolicam
benedictionem ex imis pene paterni cordis penetralibus profectam peraman-
ter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

555.

Rome, 10 . V . 1670

*De eadem re alio Episcopo Poloniae Breve datur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 10v-11v.

Venerabili fratri N. N.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Ad Orthodoxae Religionis custodiam animorumque procreationem a Spiritu Sancto nuper adscitos, admonit illico Nos muneric nostri molestissimus de imminentibus Catholicae Ruthenorum Unioni periculis allatus nuntius; dum enim portas inferi ad praevalendum adversus eos intentas intelligemus, opportunum periclitantibus omnibus praesidium parandum a nobis esse cognoscimus. Ut autem propere presto iisdem esse possimus, infirmitatis nostrae apprime concii. humillimis precibus ab omnipotente Bellatore caelstis exercitus militiam advocare (f. 11) contendimus, oculosque deinde nostros in Fraternitatem tuam convertimus, a curis insigni pietati, perspectaque prudentia validum a nobis in praesentia contra Schismaticorum ausus auxilium pollicemur. Nec vacuam de solertiae tuae existimationem conceptam a nobis spem fere dubitamus, qui praeclaras iam diu nominis tui laudes perceperimus; seipsam igitur imitaturam Fraternitatem Tuam pro certo habentes reprimendas Legatorum improbas postulationes. ad quarum examen deputata est. omnino confidimus. Nefarium eorum institutum, infensumque Divino Cultui odium, quod occultare satis nequeunt, reliquorum quoque, ut speramus, Consiliariorum obtutibus innotescet. tuae vigilantiae causam hanc praesertim iniungimus, aeternumque Patrem luminum enixe deprecamur. ut ardua hac in provincia adimplenda te administro aliis illucescat, dignisque exelso Praesule laboribus, amplam ingenti cum foenore mercedem largiatur. Uberius sensus nostros explicabit Venerabilis frater Archiepiscopus Corinthi. Apostolicus Nuntius, cui integrum fidem tribuere poteris. (f. 11v) nostraequae benevolentiae documenta, ubi usus venerit. Fraternitati Tuae declarare ex animo cupientes peramanter interim eidem benedicimus.

Datum Romae ut supra, etc.

556.

Rome, 10 . V . 1670

*Aliquo Nobili polono Unio defendenda commendatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 11v-12.

Dilecto filio, nobili viro N. N.

CLEMENS PP. X. Dilecte fili, salutem etc.

Firmissimum Orthodoxae Religionis propugnaculum, aeneusque murus infenos catholico nomini barbarorum hostium impetus arcens Poloniae Re-

gnum habetur. Precipua idcirco a Summis Pontificibus dilectione respicitur, omniaque seu prospera, seu adversa, quae in dies vestris in regionibus continent ad se prorsus pertinere arbitrantur. Insignem paterni huiuscem amoris haereditatem legavit nobis inclytæ recordationis Decessor noster, eamque vix adivimus, cum uberem illico obtulit nobis molestiarum segetem improba Schismaticorum audacia adversus Sanctam (f. 12) Ruthenorum Unionem inquis postulationibus insurgens; radicitus tamen extirpandam, animique nostri aegritudinem a pietate, ac fortitudine Nobilitatis Tuæ plane levandam in praesentia nobis pollicemur. Antiqua enim familiae tuae decora recensentes novis a te promeritorum fulgoribus illustrandam non dubitamus. Aplissimam vero occupari poteris perennis gloriae possessionem, si Dei causas agere, eiusque fidei incolumenti generosa perduellium Cosachorum reiectione consulere stuperteris. Praeclaris laudum tuarum titulis ingens hoc accedere cupimus incrementum ac Venerabili fratri Archiepiscopi Corinthi sensus nostros uberioris, a quo eosdem accipies, explicantes, voluntatem nostram Nobilitati Tuæ propensam usque fore spondemus, Apostolicamque benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romæ ut supra, etc.

557.

Romæ, 10 . V . 1670

Aliquo Senatori Regni Poloniae commendatur defensio Catholicorum ruthenorum.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 69, fol. 12rv.

Dilecto filio, nobili viro N. N. Senatori.

CLEMENS PP. X. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Senatoriam dignitatem (f.12v) quam insignia maiorum tuorum decora, tue ipse novorum accessione promeritorum comparasti, splendidioribus nunquam illustrare fulgoribus poteris, quam in eximio addicendae tibi voluntatis nostrae instituto, quod ab infensissimis adversus Catholicam Religionem Schismaticorum odiis tibi in praesentia exhibetur. Excedunt enim praeclaros quoscumque laudum titulos quae a servatis aris, assertoque Divorum cultu preconia desumantur. Sanctam idcirco Ruthenorum Unionem pluribus tibi commendare supersedemus, quando ad eorum iura pro virili custodienta, a domesticis exemplis validiora tibi admovenda esse calcaria non dubitamus. Contende igitur piis, fortibusque consiliis ad excelsam perennis huiuscem gloriae adeptionem; reprime generosa auctoritatis, ac eloquentiae quas temere Cosachorum Legati evomunt postulationes, aeternumque mansurum inclytō nomini tuo fac ornamentum. A venerabili fratre Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, cui plenam fidem dabis, uberioris in hac re sensus accipies, iugibusque in dies, ubi per occasionem licuerit, argumentis benevolentiam nostram Nobilitati Tuæ declarare exoptantes Apostolicam benedictionem paterne tibi prorsus impertimur.

Datum Romæ ut supra, etc.

558.

Romae, 10 . V . 1670

Alia Unionis recommedatio.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 69 fol. 13rv.

Dilecto filio, nobili viro N. N. Generali.

CLEMENS PP. X. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Bellicae fortitudinis calor, quo strenuum Nobilitatis Tuae pectus generose flagrat, paternum quoque cor nostrum inflammat, metumque prorsus omnem abigit, quam pastorali sollicitudini imminentia Sanctae Ruthenorum Unioni pericula inducere possent. Te enim impia Schismaticorum postulata perpendicularente, reicienda omnino esse nobis pollicemur ab insigni perspectaque pie-tate Nobilitatis Tuae, quam sub exercituum Deo stipendia facientem, pertinentia ad eiusdem sacri cultus incolumitatem ipsamet gloriosae sanguinis effusione, iura propugnaturn usque dubitamus. Conceptae autem a nobis spei soliditatem magis, magisque confirmant ingerendae a validis praestantissimi Ducis consiliis animis infirmis vires, quibus apprime roborati dolosa Cosachorum promissa eludent, vanosque eorundem terrores propulsabunt, Orthodoxae Religionis incolumitati unanimi constantia consulturi. Praeclarum inclito nomini tuo immortalium laudem censem in Ruthenorum indemnitate servata persolvet Ecclesia, Nosque qui, immerentes licet, supremum eiusdem principatum obtinemus, iugiter benevolentiae nostrae documentis, ubi per occasionem licuerit, Nobilitatem Tuam prosequemur. Uberius sensus nostros tibi reddet Venerabilis frater Archiepiscopus Corinthi, quem accurate in hoc maximi momenti negotio disserentem perhumaniter audies, tibique interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

559.

Romae, 10 . V . 1670

Idem negotium Archiepiscopo Gnesnensi inculcatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 69, fol. 13v-14.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 585, nr. 590b.

Venerabili fratri Nicolao, Archiepiscopo Gnesnensi.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Perspecta nobis adeo est vigilantia, qua Fraternitas Tua assidua istic excubat accuratione in promovendis pro suo munere Ecclesiae rationibus, simulque adversis ab eadem incursibus propulsandis, ut omnino quiescere in Apostolica statione possimus. Quia vero commissa nuper a Spiritu Sancto suprema animarum tutela diu Nos noctuque urget ad divini cultus incolumitatem enixe

tuendam, nullum sane exactissimae solicitudinis experimentum emittere decrevimus, ne impositas nobis partes minus exequi videamur. Cum autem improba Schismaticorum audacia lethales in sanctam Ruthenorum Unionem iras acuat, fictisque promissis inviolata eorum iura proscindere contendat, Fraternitati Tuae in hoc maximi momenti negotio strenuam eorumdem defensionem iniungimus, atque orthodoxae Religionis custodiam demandamus. Indeficientem infortuniorum diluiem, quae Rempublicam Universam abrueret, si iniquis Cosachorum postulationibus subscriberetur, exculta longo rerum usu prudentiae tuae solertia apprime cognoscere poteris, atque idcirco abs re in praesentia ducimus ea singillatim recensere. Excita igitur, Venerabilis frater, opportuna pro rei gravitate repagula, milita validis pro Dei causa consiliis, nostrisque curis operae tuae sedulitate modum quamprimum impone. Ampla rependet praemia ingenti cum foenore Pontifex omnium saeculorum inclytis laboribus tuis, Nosque qui eius in terris, immerentes licet, vicariam gerimus potestatem, iugibus benevolentiam nostram, ubi per occasionem licuerit, beneficii testatam usque tibi faciemus. Uberius sensus nostros explicabit Venerabilis frater Archiepiscopopus Corinthi, cui integrum fidem praestare poteris, tibique interim ex animo benedicimus.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die X Maii MDCLXX, Pontificatus Nostri Anno primo.

560.

Romae, 10 . V . 1670

Eiusdem argumenti.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 14v-15v.

Dilecto filio, nobili viro N. N.

CLEMENS PP. X. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Improba Schismaticorum postulata Sanctae Ruthenorum Unioni (f. 15) adversantia, tam absurdo aures, animumque nostrum rumore feriunt, ut inter ipsas Procerum acclamaciones Pontificatum nobis maximum gratulantium, amaritudine prorsus repleamur. Conquiescere enim in Apostolica Statione non possumus, ubi imminens aliquod Catholicae Religioni periculum reformatum. Aegritudinem tamen non parum nostram iucunda eximiae pietatis tuae consideratione lenimus; cum enim haec comitem sibi habeat fortitudinem praclaris bellicae disciplinae sudoribus comparatam, opportunum pericitantibus Ecclesiae rationibus praesidium in Nobilitate Tua animadvertisimus. Eas nempe te patrocinante firmiter custodiendas pro certo arbitramur, atque orthodoxae fidei incolumenti, explicatis Cosachorum insidiis, consulendum esse omnino nobis pollicemur. Age igitur, dilecte fili, exere in hac Dei causa tuenda vires tuas, consilio operaque milita pro sacrorum iurium indemnitate, atque ad (f. 15v) inclytiae possessionem gloriae contendens ingens nomini tuo immortalium laudum adde incrementum. A Venerabili Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, qui plura tibi in hoc maximi momenti negotio edis-

seret, propensa quoque voluntatis nostrae erga Nobilitatem Tuam declarationem accipies, tibique interim Apostolicam benedictionem paterni amoris archam impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

561.

Romae, 30 . VIII . 1670

Archiepiscopo Gnesnensi commendatur Metropolita Kioviensis defendendus a civibus Vilnensibus.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 186rv.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 598, nr. 596 a.

Venerabili fratri Nicolao, Archiepiscopo Gnesnensi²¹⁴.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Supervacaneum profecto fuerit Venerabilis fratris Gabrielis, Archiepiscopi Metropolitae Ruthenorum unitorum, a civibus Vilnensibus in exercitio suae iurisdictionis iniustis vexationibus lacessiti Fraternitati Tuae commendare. Strenuus enim in patrocinandis Ecclesiae iuribus, quo flagras, zelus Ruthenorum apud te diserte causam oraverit. Currenti tamen Pontificiae sollicitudinis admovere calcaria decrevimus, ut ad possessionem quoque contendas propensionis addicenda tibi paterna nostrarae charitatis. A Venerabili fratre Archiepiscopo Adrianopolitano²¹⁵ sensus in hac re nostros uberius accipies, atque ad nova usque promerita excitaberis. Ut opem igitur huic tuam ad rem ex voto conficiendam pro virili tribus, vehementer cupimus, tibique interim, Venerabilis frater, Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die XXX Augusti MDCLXX, Pontificatus Nostri Anno primo.

562.

Romae, 30 . VIII . 1670

Eodem argumento Regi Poloniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 186v-187.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 588, nr. 596b.

Carissimo in Christo filio nostro Michaeli, Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. X. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Etsi perspecta late pietas eximiisque coruscans notis religio Maiestatis Tuae validum ultra praestandum esse a te Venerabili fratri Archiepiscopo Metropolitae Ruthenorum unitorum adversus civium Vilnensium vexationes

²¹⁴ Nicolaus Prażmowski (1666-1673).

²¹⁵ Novus Nuntius Varsaviensis a die 15.VIII.1670 erat Franciscus Nerli (1670-1671).

patrocinium omnino suadent, pro demandata tamen a Spiritu Sancto nobis rationum ad Ecclesiam suam spectantium tutela, inclyto in iisdem asserendis zelo tuo faces addere descrevimus, ut ad praeclera usque decora comparanda novis in dies ardoribus effervescas. A Venerabili fratre Archiepiscopo Adriano-politano, Nuntio nostro, enucleate quid contra competentem Metropolitae in colonos addictos Ecclesiasticis sui ritus fundos exercentes iurisdictionem Vilnenses moliantur; huic igitur ut pronas aures praebat, causaeque Dei praesto esse velit Maiestas Tua, enixe eandem rogatam volumus, cui Apostolicam interim benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae ut supra.

563.

Romae, 30 . VIII . 1670

Idem ad Episcopum Culmensem.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 187rv.

Venerabili fratri Andreae, Episcopo Culmensi,
Vicecancellario Poloniae²¹⁶.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Praecipua animi nostri (f. 187v) cum molestia ex literis Venerabilis fratris Gabrielis, Archiepiscopi Metropolitae Ruthenorum unitorum accipimus competentem ipsi in Colonos fundorum ad Ecclesiasticos sui ritus spectantium iurisdictionem crebris eidem illatis vexationibus a civibus Vilnensibus usurpari. Causae vere Dei nostro pro muneric presto esse volentes Fraternitati Tuae provinciam iniugimus, nostrarumque te solicitudinum in consortium advocamus; eam enim de perspecta pietate, atque in peragendis rebus solertia tua existimationem gerimus, ut consultum satis esse rationibus eiusdem Metropolitae censeamus, tua ubi suffragatione fulciantur. Tuum igitur fuerit omnibus verbis contendere, ne expectationi nostrae deficias, Fraternitati interim Tuae Apostolicam benedictionem paterne prorsus impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

564.

Romae, 30 . VIII . 1670

Eiusdem argumenti pro duobus Nobilibus polonis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 69, fol. 187v-188.

Pro duobus dilectis filiis, nobilibus viris. Eodem exemplo.

CLEMENS PP. X. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Adeo nobis cordi sunt demandatae a Spiritu Sancto custodiae nostrae Ecclesiae universae rationes, ut ubi aliquod iis inferri detrimentum animad-vertimus, pontificia propemodum transfigi viscera sentiamus. Huiusmodi soli-

²¹⁶ Andreas II Prus Olszowski (1661-1676), dein Primas Poloniae (1676-1677).

citudinis procurationi nostrae in praesentia facessent Cives Vilnenses, iurisdic-
tioni Venerabilis fratri Gabrielis, Archiepiscopi Metropolitae Ruthenorum
unitorum adversantes. Properam autem ob ortis curis medelam allaturi Vene-
rabilis fratri Archiepiscopo Adrianopolitano, Nuntio nostro, iniunximus, ut in
causa Dei tuenda eximiae pietati Nobilitatis Tuae innitatur, tuaque suffra-
gatione munitus competentium eidem Metropolitae iurum indemnitat consu-
lat. Validam vero huic a te opem esse praestandam profecto non dubitamus,
qui de perspecta in hanc Sanctam Sedem observantia tua paeclara sane senti-
mus. Nobilitati interim Tuae nostram cum foenore benevolentiam pollicemur,
atque Apostolicam benedictionem paterne prorsus impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, ut supra, etc.

565.

Romae... 1671

Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae in causa Vilnensi.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 70, fol. 52r-53.

Dilectio filio, nobili viro, Magno Cancellario Lithuaniae²¹⁷.

CLEMENS PP. X. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Praecipua inter decora, quae Nobilitatem Tuam exornant, principem sibi
windicare locum eximum in operendis Ecclesiae rationibus zelum tuum
perspectum habemus, Validum quocirca adversus Cives Vilnenses a te patroci-
nium Venerabili fratri Metropolitae Ruthenorum unitorum caeterisque
eiusdem ritus Episcopis profecto non dubitamus; pietatem enim ad id tuam
causa ipsa excitaverit. Pontificia tamen ad te quoque dare officia voluimus, ut
religiosae praestantiae sedulos te Nos spectatores habere intelligas. Eximios
autem hinc admovendos tibi stimulos ad tuenda Ruthenorum iura omnino nobis
pollicentes Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem paterni amoris pignus
ex animo impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

566.

Romae... 1671

Commendatio negotiorum Metropolitae Kiovensis.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 70, fol. 53rv.

Venerabili fratri Andree, Episcopo Culmensi,
Vicecancellario Poloniae²¹⁸.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Praeclare adeo de praecipuo in asserendis Ecclesiae rationibus Fraterni-

²¹⁷ Christophorus Pac (1658-1684).

²¹⁸ Andreas II Prus Olszowski (1661-1676).

tatis Tuae zelo sentimus, ut validum a te praestandum esse patrocinium Venerabili fratri Metropolitae Ruthenorum unitorum caeterisque eiusdem ritus Episcopis pro (f. 53v) confirmatione iurisdictionis ipsis in Colonos suorum fundorum competentis pro certo habeamus. Accuratam tamen iisdem apud te suffragationem nostram impendere voluimus novam tibi simulque praestantem pontificiae benevolentiae usque demerenda occasionem praebituri. Pietatis igitur tuae negotium fuerit eximii instituti tui partibus, nostraequae de eadem expectationi apprime respondere. Plura de hoc ab Apostolico Administro accepit Fraternitas Tua cui ex omni cordis nostri sensu interim benedicimus.

Datum Romae, ut supra, etc.

567.

Romae, 1 . VI . 1671

Bulla Coadiutoriae Ecclesiae Kioviensis in persona Cypriani Zochovskyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1590, fol. 348-351v.

Coadiutoria Ecclesiae Kiovien. pro Cipriano
Episcopo Vitepsen.

Iuxta Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide²¹⁹.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Cypriano, Episcopo Vitepsen. salutem et Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a celesti Pastore constitutus de statu Ecclesiarum quarumlibet praesertim Metropolitanarum ne aliquibus pergraventur incommodis more pii Patris prospicit diligenter et ut Ecclesiae ipsae in spiritualibus, et temporalibus valeant salubriter gubernari iuxta datam sibi a Domino intelligentiam de congruo provisionis auxilio provident opportune, prout temporum qualitas exigit et Ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, ad hoc exactae diligentiae studium adhibet, ut dictarum Ecclesiarum regimini occurrente vacacione, ministri deputentur providi et idonei, per quorum solertiam et providentiam circumspectas Ecclesia ipsa praeservetur a noxiis et continuis, auctore Domino, in spiritualibus te temporalibus proficere valeat incrementis.

Hodie siquidem Nos prospero et felici successui Ecclesiae Kiovien. Metropolitanae Russiae, cui Venerabilis frater noster Gabriel Koleda, Metropolita Russiae, sexagenario maior et valetudinarius ex concessione Apostolica praeesse dignoscitur ne dicta Ecclesiae Kiovien., succedente ipsius Gabrielis Metropolitanae obitu, aliquod in spiritualibus et temporalibus detrimentum patiatur pro suo pastoralis officii munere quantum nobis ex alto conceditur consulere cupientes, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam suam illarum Largitor altissimus multipliciter insignivit, quodque tu, qui Ecclesiae Vi-

²¹⁹ Cyprianus Zochovskyj, Coadiutor Metropoliae Kioviensis ab anno 1671, dein Metropolitanus Gabrieli Kolenda in Sede successit (1674-1693).

tepscen, hactenus laudabiliter praefuisti et Coadiutoris officium in regimine et administratione Ecclesiae Polocen, in quibus Apostolica auctoritate deputatus fuisti et hactenus laudabiliter exercusti et de cuius integritate, doctrina et pietate aliorumque virtutum donis fide digna testimonia apud Nos perhibentur, eamque Ecclesiam Kiovien. scies, voles, et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, habita super his cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, te a quibusvis excommunicationis etc. centes iuxta Decretum nostrum in Congregatione eorundem S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum factum, te predicto Gabrieli Metropolitano, quamdiu Metropolitanae Ecclesiae Kiovien. huiusmodi, cui est unita Ecclesia Halicien, praetuerit, in Coadiutorem perpetuum obventorum, et emolumentorum quorumcumque vel etiam cuiuscumque Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda facultate, auctoritate et potestate omnia et singula quae ad Coadiutoris officium de iure vel consuetudine quomodolibet spectant faciendi, gerendi, et procurandi ac Pontificalia in civitate et diocesi Kiovien. exercendi, ita tamen ut Coadiutoris officio huiusmodi durante, tu in administratione temporalium dictae Ecclesiae Kiovien. aliisque mensae bonorum ac fructuum, redditum, proveniuum abventorum, et emolumentorum quorumcumque vel etiam cuiuscumque illorum, quantumvis minimae partis, quoquomodo aut quovis quaesito colore vel praetextu per te vel alium te ingerere aut intromittere non valeas, nisi de expresso dicti Gabrielis Metropolitae consensu Apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus et deputamus, nec non cedente vel dececente Gabriele Metropolita seu regimini et administrationi dictae Ecclesiae Kiovien. quomodolibet praesesse desinente, et dicta alias quovis modo etiam apud Secdem Apostolicam vacante, etiam si tempore vacationis huiusmodi tu Coadiutoris officium huiusmodi exercere non inceperis et per te steterit quominus illud exercueris ex nunc prout ex tunc et e contra eidem Metropolitanae Ecclesiae Kiovien. de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, pro qua charissimus in Christo filius noster Michael, Poloniae Rex illustris, nobis humiliter supplicavit de simili consilio auctoritate predicta providemus, teque dictae Ecclesiae Kiovien. in Metropolitam praefecimus et Pastorem, curam et administrationem dictae Ecclesiae Kiovien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac ex nunc prout ex tunc et e contra Ecclesiae Kiovien. huiusmodi de persona tua provisum teque illi in Metropolitam et Pastorem praefectum fore decrevimus, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos predicta Metropolitana Ecclesia sub tuo felici regimine regentur utiliter et prospera dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eiudem Metropolitanae Ecclesiae Kiovien. curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter, et prudenter quod ipsa Metropolitana Ecclesia Kiovien. gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram et dictae Sedis benedictionem exinde consequi merearis. Nos enim dictarum Ecclesiarum Vitepsen. et Polocen. earumque respective episcopalnis et archiepiscopalnis mensarum honorum verum annum valorem. et alia

quaecumque necessaria praesentibus pro expressis habentes tecum, ut statum tuum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, quodque et postquam in vim provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi possessionem regiminis et administrationis dictae Ecclesiae Kiovien. ac illius mensae bonorum, seu maioris partis eorum, assecutus fueris, Ecclesiam Vitepscensem, cui ut praesenter praesesse dignosceris, ac officium Coadiutoris Ecclesiae Polocen. ut prius quoad usque retinere libere et licite possis ita ut eidem Ecclesiae Vitepscen. praeesse non desinas, sed praesenter Metropolitanae Ecclesiae Kiovien, praesidens etiam verus Episcopus et Pastor dictae Ecclesiae Vitepscen. existas, Apostolicis ac in generalibus provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non dictarum Ecclesiarum., Polocen., Vitepscen. etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus et aliis contrariis quibuscumque nequam obstantibus, Motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis supra hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et deliberatione nostris dicta auctoritate earundem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, provisio tamen quod interim Vitepscen. et Polocen. ac Metropolitana Kiovien. Ecclesiis debitibus propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta, decernentes dictam Ecclesiam Vitepscen. propter praemissa non vacare nec officium Coadiutoris Ecclesiae Polocen. huiusmodi cessare ac ex nunc irritum et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigit attentari.

Demandantes etiam Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis ac dilectis filiis Capitulo et Vassalibus dictae Metropolitanae Ecclesiae Kiovien. huiusmodi quatenus Suffraganei tibi tamquam membra Capiti obsequentes, ac Capitulum tibi humiliter intendentis exhibeant tibi in omnibus quae ad huiusmodi Coadiutoris officium pertinent illo durante, et deinde illo cessante idem Capitulum tibi tamquam Patri et Pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod inter te et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus et Nos eorum devotionem possumus propterea in Domino merito commendare ac Clero te pro nostra et dictae Sedis reverentia benigne recipientes atque honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam Patrem et Pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eos devotiones filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vasalli autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura tibi ab eisdem debita integre exhiberi studeant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu ita feceris in rebellè ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem dignam inviolabiliter observari.

Volumus autem quod tu antequam officium Coadiutoris huiusmodi exercere incipias in manibus alicuius Archiepiscopi vel Episcopi fidem catholicae iuxta articulos iam pridem a Sede Apostolica propositos profitearis iuxta

unam et fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta alteram formas praesentibus adnotatas, cui Archiepiscopo vel Episcopo per praesentes similiter mandamus, ut a te fidei professionem ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi recipiat, volentes insuper quod professionis fidei quam emiseris et iuramenti quod praestabis formas huiusmodi nobis de verbo ad verbum sine mendis et in autenticam formam redactas cum tuis et Archiepiscopi subscriptione per proprium Nuntium ad Urbem intra praefixum tempus transmittere tenaris.

Qodque ab alienatione qualibet honorum immobilium, et pretiosorum mobilium dictae Ecclesiae Metropolitanae te penitus abstineas et de iis quae nomine Coadiutoris officium huiusmodi administraveris non solum in districto examine sed etiam eidem Gabrieli Metropolitanae iuxta constitutionem fel. rec. Bonifacii P. VIII, Praedecessoris nostri, quae incipit « Pastoralem » plenariam rationem reddere tenearis.

Forma autem professionis fidei, quam emittes, sequitur et est talis:

Ego Cyprianus, Episcopus Vitepsen., firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: CREDO in unum Deum Patrem omnipotentem... (*etc.: textus consuetus*). Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquas eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam... (*etc., prout in formula professionis fidei Florentino Tridentinae*).

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo eandem integrum et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri atque a meis subditis vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem Cyprianus spondeo, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei evangelia.

Forma vero iuramenti, quod praestabis, sequitur ut infra:

Ego Cyprianus, Episcopus Vitepsen., Coadiutor datus per Sedem Apostolicam Rev.mo D. Patri Domino Gabrieli Kolede, Metropolitanae Russiae, in regimine et administratione Ecclesiae Kiovien. Metropolitanae Russiae, ut futurus illius Metropolita, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Sanctaeque Romanae Ecclesiae ac Domino nostro Clementi P.P. X, suisque successoribus canonice intrantibus non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore, consilium vero quod mihi credituri sint per se aut Nuntios seu litteras ad eorum damnum me scienter nemini pandam. Papatus Romanus et Regalia scilicet Petri audiutor eis ero ad defendendum et retinendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia, et auctoritatem Ecclesiae Domini mei PP., Successorum Praedictorum, conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, honoris, iuris, status et potestatis eorum

machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero ver tractari impediam. Hoc pro posse et in quanto citius potero commode significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire; regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, dispensationes et mandata Apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos Schismaticos et Rebelles Domino nostro et Successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodus veniam nisi praepeditus fuero canonica praepeditio. Apostolorum limina, Romana Curia expetente, citra intra singulis annis, ultra vero montes singulis bieniis per me ipsum visitabo et si post primam visitationem personaliter factam venire non potero, per aliquem fidum Nuntium de gremio Ecclesiae meae, aut aliquem in dignitate constitutum, seu alias personatum habentes et de statu Ecclesiae bene instructum, qui vice mea Apostolico conspectui se praesentare et de legitimo impedimento huiusmodi saltem per iuramentum legitimam fidem facere teneatur id adimplebo. Possessiones vero ad mensam dictae Ecclesiae pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice; et si ad aliquem alienationem devenero poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Commissum mihi Coadjutoris officium probe et laudabiliter exercere curabo et de eis quae illius vigore administrabo dicto Gabrieli reddam rationem, moderatis sumptibus, quos mihi percipere licet ex illius fructibus, exceptis, et Constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium ad Ecclesiastis inferiores spectantium de anno D. 1625 editam, servabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei evangelia.

Datum Romae apud S.M.M., Anno Incarnationis Dominicae 1671, Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno secundo.

S. Cardinalis Prod.s
Visa de Curia S. de Pilassus
J. S. de Senilibus (?).

568.

Romae, 2 . 1 . 1672

Commendantur Uniti in Comitiis Regni protegendi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 99rv.

Carissimo in Christo filio nostro Michaeli,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. X. Carissime in Christo fili noster, saluteim etc.

Vigiles Schismaticorum insidiae Sanctam Ruthenam Unionem in Apostolica quoque Statione excubare Nos cogunt, ne aliquod haec ex incuria nostra, procriptionis nostrae tempore, detrimentum patietur. Cum igitur ad aures

nostras pervenerit, fore ut praedicti Schismatici perduellium Cosachorum audacia freti in proxime habendis Regni Comitiis mentitis publicae quietis promissis in impetita toties Ruthenorum privilegia iterum insurgant, Maiestatem Tuam ex intimo paterni cordis sensu obsercare in Domino decrevimus, ut pro ingenita tibi pietate, strenuaque regalis animi fortitudine iniqua eorumdem molimina avertas, inclytisque consiliis orthodoxae fidei incolumenti prospicias, Hortationibus autem minime indigemus, ut te ad caeli causam tuendam inflamare contendamus; ipse enim exercituum Dominus, qui praeclaras in dies signis tuis tribuit Victoria ad (f. 99v) reiicienda inimicorum suorum impia postulata usque tibi incitamento fuerit. Age igitur, Carissime fili, hunc audi, hunc sequare, tanto nimirum Duci ubi militaveris perenni populorum felicitati, tuorumque laudum amplificationi egregie consulueris. Plura de hoc maximi momenti negotio a Venerabili fratre Angelo²²⁰, Archiepiscopo Damiatae, Nuntio nostro, acceperit Maiestas Tua, cui Apostolica interim benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 2 Januarii 1672, Pontificatus Nostri Anno secundo.

569.

Romae, 2 . 1 . 1672

Hierarchiae polonae Unio Ruthenorum in proximis Regni Comitiis defendenda commendatur.

ASV. *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 99v-100v.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 601-2, nr. 606.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Poloniae et Lithuaniae ad Comitia congregatis.

CLEMENS PP. X. Venerabiles fratres, salutem etc.

Sedulis ubi pontificae mentis excubii amplissimum Poloniae (f. 100) Regnum lustramus, innumerisque pene obsessam hostibus istic religionem contemplamur, ingentes in nobis sollicitudines excitari intima cordis testificatione sentimus. Curas tamen nihilominus nostras eximie levamus, dum accuratam in Fraternitates vestras considerationem convertimus. Vobis enim ad strenue excubantibus, irritos usque futuros adversariorum conatus omnino concatholicae fidei defensionem istis in regionibus pietate, consiliis, operaque fidimus. Praeclara vero religiosae huiusc fortitudinis documenta iure merito a vobis exigimus in praesentia pro sarta tecta tuenda Sancta Ruthenorum Unione, toties a Schismaticis subdolis artibus impetita, totiesque a vobis inclyta propugnatione servata. Cum enim in proxime habendis Regni Comitiis, fucatis publicae tranquillitatis promissis, adversus sancita a Maioribus vestris animarum salutem divinique cultus propagationem cum Ruthenis pacta, ingenito in fidem catholicam odio indulgentes iterum Schismaticos insurrecturos

²²⁰ Angelus Ranuzzi, Archiepiscopus Damiatae, Nuntius Varsaviensis (1671-1673).

audiamus, ut vires omnes exerceatis, impiaque postulata egregio nisu propulsetis, Apostolicis vos hortationibus monemus, atque a perspecta constantia vestra prorsus expectamus. (f. 100v) Agite igitur, Venerabiles fratres, egregium zelum vestrum excitate, vosmet ipsos imitamini, coelique causam pro virili asserentes, contendite ad palmas immortalium triumphorum; muneri sic nimirum vestro apprime responderitis, insigniumque laborum Pontificem sempiternum indeficentem retributorem habueritis. Plura de hoc maximi momenti negotio a Venerabili fratre Angelo Archiepiscopo Damiatae iussu nostro acceperint Fraternitates vestrae, quibus interim Apostolicam benedictionem ex animo im- pertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, etc., die II Ianuarii MDCLXXII, Pontificatus Nostri Anno secundo.

570.

Romae, 2 . 1 . 1672

Ordo Equestris Regni Poloniae hortatur, ut Unionem Ruthenorum in proximis Regni Comitiis protegat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 100v-101.

Dilectis filiis, universo Ordini Equestri Regno Poloniae.

CLEMENS PP. X. Dilecti filii, salutem etc.

Praestantissimum Poloniae Regnum inclytas omni ab aevo a propugnata strenuo marte religione sibi laudes comparavit, (f. 101) eximiisque pietatis heroico documentis magno orthodoxi nominis esoribus terrori fuit. Praeclarum autem verae huiusc gloriae haereditatem praecipuis quoque vos ita gestis amplificastis, ut nullam istic perspectam fortitudinem vestram perpendentes catholicae fidei ab apertis hostibus detrimentum metuamus. Qui vero in proxime futuris Regni Comitiis adversus Sanctam Ruthenorum Unionem dolis a Schismaticis agendum esse intelleximus, pro pastorali idecirco sollicitudine nostra ad vigilem praedictae Unionis custodiam excitare vos in praesentia decrevimus, ne aliquod eidem mentitis publicae tranquillitatis promissis a nefarissimis adversariis vulnus infligatur. Venerabili quocirca fratri Angelo, Archiepiscopo Damiatae, accurate iniuximus, ut vos de iniquis Schismaticorum consiliis Reipublicae universae in perniciem conspirantibus prolixe doceat, explicatisque eorumdem egregium in asserendis coeli iuribus zelum vestrum pro-vidas ad excubias vocet. Ut pronas igitur eidem praebeatis aures magnopere cupimus, vobis interim, dilecti filii, Apostolicam benedictionem paterne prorsus impertientes.

Datum Romae etc.

571.

*Romae, 2 . 1 . 1672**Commendatio Unionis Ruthenorum.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 70, fol. 101v.

Venerabili fratri Andreae, Episcopo Culmensi,
Vicecancellario Poloniae.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi eximus zelus quo Fraternitas Tua orthodoxae fidei incolumentem sarcam tectamque servandam continenter incumbit vigilem eandem reddit ad propulsandos quoscumque adversariorum conatus, iussu tamen nostro accuratas te ad excubias in praesentia provocabit Venerabilis frater Angelus, Archiepiscopus Damiatae, qui te de paratis Schismaticorum insidiis adversus Sanctam Ruthenorum Unionem, ac de paterna sollicitudine nostra prolixe docebit; religiosae quocirca praestantiae tuae munus fuerit auctoritate, consilio, omnibusque quibus ample praeditus es prudentiae artibus eorumdem Schismaticorum dolos eludere, ac praedictam Unionem divini cultus ad amplificationem totiusque Reipublicae ad incrementum inclite propugnare. Ut laudibus tuis nova usque addas decora, atque expectationi nostrae apprime respondeas ex animo eupimus. Fraternitati interim Tuae Apostolicam benedictionem ex omni cordis nostri sensu impertimur.

Datum etc.

572.

*Romae, 2 . 1 . 1672**Ordini Senatorio Regni Poloniae commendatur Unio Ruthenorum in Comitiis Regni defendenda.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 70, fol. 102rv.

Dilectis filiis, nobilibus viris,
Ordini Senatorio Regni Poloniae.

CLEMENS. PP. X. Dilecti filii, nobiles viri, salutem etc.

Adeo praeclare de eximia in asserenda orthodoxae fidei incolumentate Nobilitatum vestrarum praestantia sentimus, ut acienda quamvis in proxime habendis Regni Comitiis in Sanctam Ruthenorum Unionem Schismaticorum odia intelligamus, solidum tamen pastoralibus curis nostris vestrarum laudum a consideratione levamen comparemus. Religionis enim ubi conatibus in eadem Unione firmando Maiores vestros egregie conspirasse animo revolvimus, summopere quoque vobis cordi futuram tam illustre avitae pietatis monumentum omnino nobis pollicemur; nec speciosa promissa quibus publicae tranquillitatis stabilitatem Schismatici affectare praeseferunt de felici Nos causae successu

anxiros habent, celsarum nimirum usu rerum gestarum ita exultu estis, ut subdola eorumdem consilia sapientissimis determinationibus ad firmissimum Sanctae Unionis fulcimentum a vobis eludenda pro certo habeamus.

Agite igitur, dilecti filii, antiquis ob propugnatam (f. 102v) strenue religionem promeritis imomortalium in praesentia decorum novum addite incrementum, splendidam nempe sic vere gloriae haereditatem, universa plaudente Ecclesia, luculenter amplificaveritis, paternamque vobis voluntatem nostram arctissime devinxeritis. Sensus in hac re nostros Nobilitatibus vestris fusius explicabit Venerabilis frater Angelus, Archiepiscopus Damiatae, cui plenam a vobis praestari fidem cupimus, Apostolicam interim benedictionem ex imis pene cordis penetralibus depromptam eisdem impertientes.

Datum Romae ut supra, etc.

573.

Romae, 9 . 1 . 1672

Similis recommendatio Unionis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 105rv.

Pro quatuor nobilibus viris in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PP. X. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Perspectae pietati Nobilitatis Tuae praecipuum de ortodoxa (f. 105v) religione benemerendi argumentum offeret Venerabilis frater Angelus, Archiepiscopus Damiatae, Nuntius noster, qui te in proxime habendis Regni Comitiis ad propugnandam adversus Schismaticorum insidias Sanctam Ruthenorum Unionem iussu nostro sibi adiutorem acceret, earum in partem laudum advocaturus, quas divini cultus assertoribus Catholica rependit Ecclesia. Ut eidem igitur auctoritate, consilio, operaque praesto esse continenter velis ex animo cupimus, Nobilitati Tuae pontificiam benevolentiam pollicentes, atque Apostolicam interim benedictionem ex omni cordis nostri sensu impertientes.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die IX Ianuarii 1672, Pontificatus Nostri Anno secundo.

574.

Romae, 9 . 1 . 1672

Eiusdem argumenti.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 106.

Pro quatuor nobilibus viris in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PP. X. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Etsi ingenita Nobilitati Tuae pietas ipsa tibi incitamento fuerit ad praestandam in proxime futuris Regni Comitiis Venerabili fratri Angelo, Archie-

piscopo Damiatae, validam opem pro asserenda adversus Schismaticorum dolos Sancta Ruthenorum Unione, paternos quoque tamen stimulos nostros reliquias praestantiae tuae admoveare decrevimus, quo strenuorum conatum te Nos spectatores habiturum intelligas; solidae igitur gloriae ut ad possessionem contendas vehementer cupimus, Nobilitati interim Tuae pontificiae voluntatis pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertientes.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, ut supra, etc.

575.

Romae, 9 . 1 . 1672

Eiusdem argumenti.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 106v.

Pro quatuor dilectis filiis in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PP. X. Dilekte fili, salutem etc.

Praecipuus zelus qui te ad orthodoxae religionis incolumitatem asserendam eximie huc usque inflammavit, similem quoque te in praesentia tibi futurum omnino nobis pollicetur. Venerabili fratri Angelo, Archiepiscopo Damiatae, Nuntio nostro, iniunximus, ut adversus Schismaticos Sanctam Ruthenorum Unionem, in proxime celebrandis Regni Comitiis subdolis artibus impetere meditantibus, perspectam pietatem tuam alacriter excitet, teque strenuam operam praestantem, iniqua eorumdem consilia disperdat. Certaturum autem te, ut pontificiae expectationi apprime respondeas pro certo habentes, tibi, dilekte fili, paterne prorsus interim benedicimus.

Datum Romae ut supra, etc.

576.

Romae, 9 . 1 . 1672

Commedatur Unio Ruthenorum in Comitiis Regni defendenda.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 107.

Pro quatuor dilectis filiis in Polonia. Eodem exemplo.

CLEMENS PP. X. Dilekte fili, salutem etc.

Praecipuas inter laudes quibus spectate refuges principem sibi vindicare locum eximiam religionem perspectam habemus, eadem quo circa suadente strenuam te in proxime habendis Regni Comitiis praestitorum operam Venerabili fratri Angelo, Archiepiscopo Damiatae ad saretam tectamque servandam Sanctam Ruthenorum Unionem, inquis artibus a Schismaticis impetendam, profecto non dubitamus; addicendam igitur et id non parum tibi pontificiam voluntatem ut pro certo habeas in praesentia cupimus, Apostolicam interim benedictionem tibi, dilekte fili, paterne prorsus impertientes.

Datum Romae ut supra, etc.

577.

*Romae, 11 . V . 1672**Pontifex Metropolitae Kiovensi rescribit in negotio provisionis Ecclesiae Vilnensis.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 173v-174.

Venerabili fratri Gabrieli, Archiepiscopo
Metropolitae Ruthenorum unitorum.

CLEMENS PP. X. Venerabilis frater, salutem etc.

Praecipua generis animique decora dilectum filium Nicolaum Stephanum Pac²²¹ luculenter illustrantia incitamento nobis hucusque fuerunt ad eumdem paterna prorsus charitate prosequendum; accidente vero praeclaro testimonio quod de ingenita ipsi pietate, neconon de caeteris virtutibus quibus praeditus est una cum Venerabili fratre Cypriano, Episcopo (f. 177) Vitepescensi, Coadiutore tuo, prolixe dedit ad Nos Fraternitas Tua, novas erga Virum adeo spectatum pontificiae voluntati faces addi sensimus, eidemque morem gerentes examinari accurate mandavimus difficultates enixis precibus vestris adversantes, atque ubi libera nobis ad id reliquitur facultas, praedicti dilecti filii ad episcopale munus evectione Ecclesiae Vilnensis Russiaeque unitae rationibus profecto consulere non omittemus. Jugia interim vobis, Venerabiles fratres, coelestis gratiae dona precamur atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

578.

*Romae, 11 . V . 1672**Unio defendenda Regi Michaeli commendatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 70, fol. 174-5.

Carissimo in Christo filio nostro Michaeli,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. X. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Ut Maiestati Tuae magis magisque innotescat summopere (f. 175) nobis cordi esse Ruthenorum Unitorum rationes inquis conatibus a Schismatici impetitas novis hisce stimulis ad eorumdem iura strenue propugnanda inclytum

²²¹ Nicolaus Stephanus Pac, Canonicus Vilnensis, nominatus in Sedem Vilnensem post obitum Alexandri Sapieha (1671), sed per longum tempus non confirmatus; consecratus tandem an. 1681, obiit anno 1684, die 8 Maii. — Cfr. Enc. Powszechna, vol. 3, p. 704. Antea Palatinus Trocensis et Castellanus Vilnensis.

zelum tuum incitare decrevimus, iterum te iterumque in Domino obsecrantes, ut fortitudine inductus ab Alto impias adversariorum insidias orthodoxae religionis in perniciem unice directas irritas reddas, eximiisque pietatis heroicae documentis pastorali sollicitudini nostrae modum ponas.

Age igitur, carissime fili, concipe spiritus tanto Rege dignos teque ipse ad earum laudum possessionem occupandam continenter provoca, quas egregiis avertoribus suis cum foenore rependit Ecclesia. Nec timeas a facie eorum qui ponunt in coelum os suum, et manus levant contra Dominum; aderit enim hic a dextris tuis, eoque confortante persequetur unus ex tuis mille et duo decem millia. Venerabilis frater Angelus, Archiepiscopus Damiatae, iussu nostro apud Maiestatem Tuam coeli causam prolixius oraberit, cui Nos interim Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

INNOCENTIUS XI
(21.IX.4.X.1676 – 12.VIII.1689)

comensis
(Benedictus Odescalchi)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. XI

579.

Romae, 19 . XII . 1676

Regi Poloniae, ut protegat Ruthenos catholicos et revocet privilegia a non Unitis extorta.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 72, fol. 68rv.

THEINER A., Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae, vol. III, p. 648, nr. 666.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni, Poloniae Regi Illustri²²².

INNOCENTIUS PP. XI. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Cum ad aures nostras pervenerit, Graecos schismaticos inquis in Ruthenos unitos odiis actos quasdam se a Maiestate Tuae gratias accepisse falso iactare, quae praedictorum Ruthenorum iuribus, necnon Ecclesiae immunitati quam maxime adversantur, muneris esse nostri duximus a perspecta praeclarisque toties documentis comprobata Maiestatis Tuae pietate iterum iterumque potere, ut dolosam praefatorum Schismaticorum audaciam perfringere, quaque in medium proferunt concessiones, fictas mentitasque declarare, et, quatenus opus sit, tanquam fraudolenter extortas revocare atque irritare velis. Nec multis indigere arbitramur, ut ad huiusmodi deliberationem adversus praemonitos Schismaticos capiendam Maiestatem Tuam inflammemus, valida nimirum ad id a religiosa praestantia tua admovenda tibi fore incitamenta profecto non dubitamus; de addicenda quocirca praedicta de causa magis magisque Maiestati Tuae paterna voluntate nostra certiore te facimus, ac Apostolica benedictione interim amantissime donamus.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die XIX Decembris MDCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno primo.

580.

Romae, 19 . XII . 1676

Idem Reginae Poloniae.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 72, fol. 68v-69.

Carissime in Christo filiae nostrae Mariae Casimirae²²³,
Reginae Poloniae Illustri.

INNOCENTIUS PP. XI. Carissima in Christo filia nostra, etc.

Venerabilis frater Franciscus, Archiepiscopus Corinthi, Nuntius noster, ad

²²² Joannes III Sobieski, Rex Poloniae (1674-1696).

²²³ Filia principis Henrici de la Grange d'Aigien. Primum uxor Joannis Zamoyski (1658), dein vidua (1665), denuo in matrimonium ducta a Joanne Sobieski. In virum ma-

sacra tectaque servanda Ruthenorum unitorum privilegia, a perspecta pietate Maiestatis Tuae opportunam opem exposet praeclaramque tibi de orthodoxa religione a Graecis schismaticis subdolis artibus impedita benemerendi argumentum exhibebit. Ut faciles igitur eidem aures praebere atque in re, quae nobis quam maxime cordi est, regia auctoritate presto esse nobis magnopere cupimus, de paternae charitatis nostrae erga Maiestatem Tuam praestantia te, carissima in Christo filia, certiores facientes, atque Apostolicam insuper benedictionem amantissime donantes.

Datum Romae ut supra, etc.

581.

Romae, 19 . XII . 1676

Eiusdem argumenti Cancellario Lithuaniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 69rv.

Dilecto filio, nobili viro, Magno Cancellario Lithuaniae²²⁴.

INNOCENTIUS PP. X. Dilecte fili, nobilis, vir, salutem etc.

Perspectum habentes qua erga Ruthenos unitos propensione feratur Nobilitas Tua, meritas eidem laudes ex Apostolico solio hisce rependere volui-mus certiores insuper ipsam facientes quam maxime nobis grata futura ea omnia, quae pro satis tectisque servandis adversus Graecorum schismaticorum dolos eorumdem privilegiis in proxime habendis Regni Comitiis strenue ac religiose fuerit praestitura. Praeclaram autem animi nostri responsionem praecipuis, ubi facultas aderit, paternae charitatis documentis testatam tibi luculentis facere non omittemus, solidum interim eidem pignus Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertientes.

Datum Romae ut supra, etc.

582.

Romae, 19 . XII . 1676

Ordini Senatorio Regni Poloniae Rutheni catholici protegendi commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 69v-70.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 648, nr. 666b.

Dilectis filiis, nobilibus viris, Ordini Senatorio Regni Poloniae.

INNOCENTIUS PP. XI Dilecti filii, nobiles viri, salutem etc.

Alienis incitamentis non egent poloni Proceres, ut Ecclesiae iura tueantur: eximiis nimirum in id studiis continenter incumbere, praecipuasque inter-

gnūm exercebat influxum primum et post electionem in Regem Poloniae (1674). Post mortem viri (1596) venit Roman (1699), ubi 15 fere annos permanxit. — Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 18, p. 102-106.

²²⁴ Christophorus Pac (1659-1684).

laudes omni ab aevo recensere consueverunt. Obvium quocirca fuerit Venerabili fratri Metropolitae Ruthenorum unitorum, a perspecta Nobilitatum vestrarum pietate quorundam Decretorum revocationem obtinere, quae adversus privilegia divinae gloriae ad incrementum ipsis concessa Graeci schismatici se impetrasse gloriantur: quia vero nobis admodum cordi sunt praedictorum Ruthenorum rationes, solitudinis nostrae stimulos vobis insuper duximus admovendos, pro certo scilicet habentes fore, ut pro filiali erga Nos observantia in capienda deliberatione coeli causam asserente vosmetipsos sitis aemulaturi. Cumulatam vicissim Nobilitatibus vestris paternae charitatis respcionem pollicemur, atque interim Apostolica benedictionem ex animo impertimur.

Datum ut supra.

583.

Romae, 19 . XII . 1676

Idem Ordini Equestri commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 70v-71.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 648-9, nr. 666c.

Dilectis filiis Ordini Equestri Poloniae.

INNOCENTIUS PP. XI Dilecti filii, salutem etc.

Praecipua inter polonae pietatis documenta recensenda iure merito ducebimus privilegia a Maioribus vestris religioso consilio Ruthenis unitis indulta. Quodnam enim ex iisdem resultet orthodoxae fidei incrementum, ex numero eorum, qui Sanctae huic Unioni in dies accedunt, aperte deprehenditur. Dubitare quocirca nequimus, quin a vobis omnimode sint revocanda quadam Decreta, quae adversus praedictae Unionis iura Graeci schismatici impetrasse se iactant; eximios erga divini cultus amplificationem sensus vestros perspectos habemus, atque alienum a vobis quicquid eidem obesse posset prorsus reputamus. Solitudinem nihilominus nostram vobis explicare voluimus, quo piis deliberationibus vestris praetium adderemus. A paterna vicissim charitate nostra praeclera, ubi facultas aderit, testimonia utique non desiderabitis, unice dilecti filii, quibus interim Apostolicam benedictionem ex animo imperitumur.

Datum ut supra.

584.

Romae, 19 . XII . 1676

Eadem protectio requiritur ab Archiepiscopo Gnesnensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 71rv.

Venerabili fratri Andree, Archiepiscopo Gnesnensi²²⁵.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Nullis quamvis egeat incitamentis Fraternitas Tua ad asserenda pro virili

²²⁵ Andreas IV Olszowski (1674-1677).

adversus impios Graecorum schismaticorum ausus Ruthenorum unitorum iura, pastoralis nihilominus solicitudo nostra silere Nos in praesentia non patitur, ubi a praedictis Schismaticis quaedam Decreta in medium proferri ob oculos ponit, praefatorum Ruthenorum unitorum privilegiis, nec non ecclesiasticae immunitati quam maxime (f. 71v) adversantia. Cum enim ad Nos eorundem rationes sartas tectasque servare, coelique causam vere primario spectat, inflammmandum idcirco usque duximus perspectum zelum tuum, ut eodem te magis magisque incitante praeponitata Decreta, quatenus opus sit, in proximis Comitiis, tamquam subdolis artibus fraudulenter extorta omnimode revocari atque irritari cures. Age itaque Venerabilis frater temetipsum imitare; tuo nimirum sic non tantum muneri responderis, sed paternam quoque tibi voluntatem nostram praestantibus, ubi facultas aderit, documentis declarandam arctius adstrinxeris. Solidum autem interim eiusdem pignus Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

585.

Romae, 19 . XII . 1676

Idem Episcopo Cracoviensi commendatur.

ASV, *Ep. a Principes*, vol. 72, fol. 72rv.

Venerabili fratri Andreeae, Episcopo Cracoviensi²²⁶.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Eximius zelus qui Fraternitatem Tuam ad ecclesiasticam immunitatem pro virili, ubi opus fuerit, asserendam hucusque inflammavit, similem quoque te in praesentia tibi futurum animo nobis pollicetur. Venerabili quo circa fratri Francisco, Archiepiscopo Corinthi, iniunximus, ut in procuranda totis viribus in proximis Comitiis irritatione Decretorum, quae a Graecis Schismaticis adversus Ruthenos unitos extorta fuere, auctoritate consiliisque tuis innitatur, te que strenuam eidem operam praestante, praedictisque praedictorum Ruthenorum iuribus, atque orthodoxae religionis indemnitati consulat. Certaturum autem te omnibus nervis, ut expectationi nostrae, tibique met ipsi respondeas pro certo habentes, Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

²²⁶ Andreas III Trzebicki (1657-1679).

586.

*Romae, 19 . XII . 1676**Eiusdem argumenti.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 72v.Venerabili fratri Episcopo Samogitiensi²²⁷.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Perspecta nobis adeo est in asserendis ecclesiasticis iuribus zeli Fraternitatis Tuae praestantia, ut in proxime habendis Regni Comitiis totum adfuturum in procuranda revocatione ac irritatione Decretorum a Graecis schismaticis adversus autoritatem Metropolitae Ruthenorum unitorum inquis artibus obtentorum pro certo habeamus. De parata quocirca vicissim ad omnes rationes tuas promovendas voluntate nostra Fraternitatem Tuam certiorem facimus, atque Apostolicam interim benedictionem ex animo donamus.

Datum Romae ut supra.

587.

*Romae, 10 . XII . 1676**Idem Episcopo Culmensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 73.Venerabili fratri Episcopo Culmensi²²⁸.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Venerabilis frater Franciscus Archiepiscopus Corinthi in proximis Regni Comitiis a perspecta pietate Fraternitatis Tuae validam iussu nostro opem exposcit in procuranda revocatione atque irritatione Decretorum quae a Graecis schismaticis contra iura Ruthenorum unitorum dolosis artibus obtenta fuere; etsi autem non dubitamus quod in hiusmodi negotio zeli tui praestantiam praecipue sis comprobaturus, stimulus nihilominus nostros tibi insuper duximus admonendos, ut religiosis conatibus tuis proemium adderemus, Apostolicam vere interim benedictionem Fraternitati Tuae ex animo impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

²²⁷ Casimirus Pac (1667-192).²²⁸ Andreas II Pruss Olszowski (1661-1676), dein Primas Poloniae (1676-1677). Vel fortasse iam Petrus Korycinski (1676-), qui obiit ut Electus Culmensis. Cfr. *Ene. Powsz.*, vol. 3, p. 605.

588.

*Romae, 19 . XII . 1676**De frustratione Decretorum Unitis iniuriosorum.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 73v.Venerabili fratri Episcopo Warmiensi²²⁹.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi perpendentes zelum, quo in asserendis Ecclesiae iuribus eximie flagrat Fraternitas Tua, omnino a te in proxime habendis Regni Comitiis adversus Metropolitam Ruthenorum unitorum a Graecis schismaticis inquis impendendam operam pro certo habemus, quo revocentur Decreta, quae artibus obtenta fuere, hisce nihilominus te ad id inflammare voluimus, ut profecto tibi innotesceret, quanti pietatem ac religiosum animi tui robur faciamus. Ut expectationi itaque nostrae re ipsa respondeas interim cupimus, Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem paternae erga te voluntatis nostrae pignus peramanter impertientes.

Datum Romae ut supra, etc.

589.

*Romae, 19 . XII . 1676**Idem commendatur Episcopis Chelmensi et Posnaniensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 74.Venerabili fratri Episcopo Chelmensi²³⁰.Venerabili fratri Episcopo Posnaniensi²³¹.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ruthenorum Unitorum privilegia a Graecis schismaticis inquis artibus impedita sollicitudinem sibi nostram peculiariter vindicant; ad eadem igitur sarcia tectaque servanda perspectae pietati Fraternitatis Tuae in proxime habendis Regni Comitiis partes nostras specialiter duximus demandatas; de eiusdem nimirum praestantia adeo praeclara sentimus, ut praedictorum Ruthenorum indemnitati egregie sic consultum fere arbitremus; suum itaque fuerit enixe contendere, ut quam in zelo tuo fiduciam constituimus, re ipsa confirmes, paternam tibi cum foenore voluntatem nostram magis magisque conciliaturus. Apostolicam vero interim benedictionem Fraternitati Tuae ex animo impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

²²⁹ Joannes VIII Stephanus Wydžga (1660-1680), dein Primas Poloniae (1680-1687).²³⁰ Stanislaus Godziemba Dabski (1673-1676), dein Luceoriensis (1676-1680), Plocensis (1680-1691), Cuiaviensis (1691-1699), Cracoviensis (1699-1700), qua in Sede ante ingressum obiit. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3.²³¹ Stephanus Wierzbowski (1666-1687).

590.

Romae, 19 . XII . 1676

*Idem Episcopo Camenecensi et Luceoriensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 74v.Venerabili fratri Episcopo Camenescensi²³².Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi²³³.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Perspectam pietatem Fraternitatis Tuae ad novas usque laudes compa-
randas iussu nostro excitabit Venerabilis frater Franciscus Archiepiscopus
Corinthi, Nuntius istic noster, in procuranda nimirum impense in proxime
habendis Regni Comitiis revocatione, ac irritatione Decretorum, iuribus ac
privilegiis Ruthenorum unitorum adversantium, praestanti, probatoque zelo
tuo plurimum tribueret, paeclarumque tibi de praedictis Ruthenis, nec non
de orthodoxa religione benemerendi argumentum exhibebit. Tuum itaque
fuerit accuratis in praedictum scopum studiis contendere nostraeque solici-
tudini respondere. Paternae vicissim charitatis nostrae incrementum Frater-
nitati Tuae pollicemur, atque interim Apostolicam benedictionem peraman-
ter impertimus.

Datum ut supra, etc.

591.

Romae, 19 . XII . 1676

*Idem negotium Episcopo Kioviensi Latinorum commendatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 75.Venerabili fratri Episcopo Kioviensi²³⁴.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Religiosum Fraternitatis Tuae robur nostrarum causarum in consortium
advocabit Venerabilis frater Franciscus Archiepiscopus Corinthi in proxime
habendis Regni Comitiis, cum enim de revocandis, ac irritandis quibusdam
Decretis Ruthenorum unitorum privilegiis adversatibus agendum fuerit, so-
licitudinis nostrae partes perspecto zelo tuo specialiter iniunget; omnes autem
a te exercendas vires, ut eorundem indemnitati omnimode consulatur, dubio
procul nobis pollicentes, piis interim conatibus tuis ex animo benedicimus,
praestantioribus, ubi facultas aderit, paternae charitatis documentis Frater-
nitati Tuae responsuris.

Datum Romae ut supra, etc.

Episcopo Cuiaviensi eodem exemplo²³⁵.²³² Vespasianus Lanckoronski (1670-1677).²³³ Fortasse iam Stanislaus Godziemba Dabski (1676-1680). Cfr. notam 230.²³⁴ Thomas Ujejski (-1677). Ingressus est in Societatem Jesu.²³⁵ Stanislaus Sarnowski (1675-1680).

592.

*Romae, 19 . XII . 1676**In eodem negotio Episcopis Plocensi et Leopoliensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 75v.

Venerabili fratri Episcopo Plocensi²³⁶.
 Venerabili fratri Episcopo Leopoliensi²³⁷.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ad sarta tectaque servanda Ruthenorum unitorum privilegia a Graecis schismaticis per extorta iniquis artibus Decreta alte vulnerata, Fraternitati praesertim Tuae in proxime habendis Regni Comitiis munieris nostri partes duximus demandandas. Praeclarum nimur de perspecto zelo tuo expectationem nostram valido tibi ad id incitamento futuram iure meritus nobis pollicemur. Piis itaque conatibus tuis ex animo benedicentes, peculiaribus, ubi facultas aderit, paternae charitatis documentis profecto curabimus, ut de impendenda praedictorum Ruthenorum iuribus opera cumulate laeteris.

Datum Romae ut supra, etc.

593.

*Romae, 19 . XII . 1676**Eiusdem argumenti.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 76.Venerabili frati Episcopo Praemisliensi²³⁸.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Quam praeclare de praestanti Fraternitatis Tuae zelo sentiamus a Venerabili fratre Francisco Archiepiscopo Corinthi, Nuntio istic nostro, diserte acceperis; validos autem hinc admoventes tibi stimulos fore ad procurandam enixis studiis in proxime habendis Regni Comitiis revocationem, ac irritationem Decretorum, iuribus ac privilegiis Ruthenorum unitorum adversantium, omnino nobis pollicemur. Ut expectationem itaque nostram egregie in huiusmodi negotio comprobare contendas ex animo cupimus. Qui tuis in hanc Sanctam Sedem promeritis novum in dies accedere incrementum exoptamus, Fraternitati vero interim Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

²³⁶ Bonaventura Madalinski (1676-1680), translatus ad Eparchiam Cuiaviensem.²³⁷ Constantinus Lipski (1675-1698). Agitur de Archiepiscopo.²³⁸ Stanislaus Sarnowski (1658-1676), translatus ad Sedem Cuiaviensem (Cfr. n. 235), vel iam Joannes Stanislaus Zbaski (1676-1687), translatus ad Sedem Warmiensem.

594.

*Romae, 19 . XII . 1676**De revocatione Decretorum contra Unidos editorum.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 76v.

Venerabili fratri Episcopo Vendensi.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ruthenorum unitorum rationes nobis admodum cordi sunt, ad Nos nimurum spectare eorum tutelam apprime intelligimus; rem quo circa nobis quam maxime gratam effecerit Fraternitas Tua, ubi in proxime habendis Regni Comitiis accuratam impenderit operam, ut revocata, atque irrita declarantur quaedam Decreta a Graecis schismaticis in praedictorum Ruthenorum, nec non orthodoxae religionis detrimentum obtenta. Pro munere vero quo fungeris, nec non pro filiali erga Nos observantia perspectum zelum tuum a te provocandum, ut sollicitudini nostrae satisfacias profecto non dubitantes, cumulatam paternae charitatis responsionem Fraternitati Tuae pollicemur, atque interim Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

595.

*Romae, 19 . XII . 1676**Eodem argumento.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 77.

Pro quatuor nobilibus viris in Polonia.

INNOCENTIUS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Perspectae pietati Nobilitatis Tuae praeclarum de Ruthenis unitis, nec non de orthodoxa religione benemerendi argumentum exhibuerit Venerabilis frater Franciscus, Archiepiscopus Corinthi, Nuntius noster; in proxime enim habendis Regni Comitiis ad propugnanda adversus Graecorum schismaticorum insidias eorundem privilegia te vehementer inflamaverit, earumque in partem laudum advocaverit, quas sacrorum iurum assertoribus rependit Ecclesia, ut religiosis decoribus tuis novum hoc adiceras incrementum; itaque cupimus Nobilitati Tuae paternae charitatis nostrae documenta cum foenore pollicentes, atque interim Apostolicam benedictionem ex animo impertientes.

Datum Romae ut supra, etc.

596.

*Romae, 19 . XII . 1676**Commendatio Sanctae Unionis.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 77v.

Pro quatuor nobilibus viris in Polonia.

INNOCENTIUS PP. XI. Dilekte fili, nobilis vir, salutem etc.

Praecipuas inter laudes, quibus spectata refulget Nibilitas Tua principem sibi vindicari locum eximiam religionem prospectum habemus; eadem quocirca suadente strenuam te in proxime habendis Regni Comitiis praestitum operam Venerabili fratri Francisco, Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, ad sancta tectaque servanda Ruthenorum unitorum privilegia a Graecis schismaticis inquis artibus impetita, profecto non dubitamus. Has nihilo minus ad te dare voluimus, quo piorum conatum tuorum Nos spectatores futuros intelligeres, curaturi utique, ubi facultas aderit, ut retributores quoque experiaris. Nobilitati vero interim Tuae Apostolicam benedictionem permanenter impertimus.

Datum Romae ut supra, etc.

597.

*Romae, 11 . IX . 1677**Innocentius XI Metropolitae Kiovieni gratulatur de felici exitu in reducendo Episcopo Leopoliensi ad Ecclesiam catholicam.*ASV, *Ep. al Principes*, vol. 72, fol. 231rv.THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 662, nr. 676 b.

Venerabili fratri Cypriano,
Archiepiscopo totius Russiae et Polocensi²³⁹.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Peculiari cum laetitiae sensu de emissa a Venerabili fratre Iosepho, Episcopo Leopoliensi, catholicae fidei professione certiores facti sumus. Cum enim Orthodoxae Religionis propagatio votorum nostrorum summa sit, praecepui gaudii materiam merito cepimus e re, quam in huiusmodi scopum conferre admodum posse existimamus. Quia vero perspectam habemus operam, quam in eadem re promovenda sedulo impedit Fraternitas Tua, eximum zelum tuum magnopere commendamus, testatumque tibi esse volumus, charitati, qua te iam pridem prosequebamur, non levem ea de causa cumulum


²³⁹ Metropolita Kiovensis Cyprianus Zochovskyj (1674-1693), in qua successit iure Coadiutoriae post obitum Gabrielis Kolenda, eius erat Coadiutor etiam in Eparchia Polocensi. Agitur de responso ad nuntium de professione fidei Episcopi Leopoliensis Josephi Szumlanskyj (1676-1708).



Ex "Orbe terrarum Magno," Johannis Bapt. Homann (1663-1724), editi an. 1716.



Ex "Orbe terrarum Magno,, Joha



Johann Baptist Homann (1663-1724), editi an. 1716.

(f. 231) accessisse. Huiusce autem propensionis nostrae praestantia, ubi facultas aderit, a nobis non desiderabis argumenta. Reliquum interim est, ut constanter ac alacriter pergas in instituto de Ecclesia Catholica bene merendi, dum Nos ad id patrocinium usque nostrum Fraternitati Tuae pollicemur, atque Apostolicam benedictionem pontificiae erga te voluntatis pignus permanter impertimur.

Datum ut supra (*Romae etc. sub Annulo Piscatoris, die XI Septembbris 1677, Pontificatus Nostri Anno primo*).

598.

Romae, 11 . IX . 1677

Pontifex Episcopo Leopoliensi congratulatur de eius reditu ad Ecclesiam catholicam.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 72, fol. 231v-232v.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 662, nr. 676 a.

Venerabili fratri Iosepho, Episcopo Leopoliensi,
Haliciensi et Camenecensi²⁴⁰.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ingenti Nos voluptate perfuderunt literae, ex quibus intelleximus Fraternitatem Tuam ad Romanae Ecclesiae unitatem accessisse, ac Catholicae Fidei professionem alacriter emisisse. Non enim in te uno sistit gaudium nostrum, sed a consideratione virtutum, quibus praeditus es, atque existimationis, (f. 232) quam merito tibi istis in regionibus conciliasti, uberioris laetitiae sumimus argumentum, ad eadem nimirum sectanda vestigia reliquis Graecanici Ritus Episcopis, qui in errore sunt, quem tu strenue deposuisti, valido incitamento futurum exemplum tuum plane confidimus. Profusis scientiarum Domino persolutis gratiis, quod tibi illuxerit ad salutem, te, Venerabilis frater, pontificiae charitatis in sinum recipimus, praestantibus, ut facultas aderit, propensae voluntatis documentis declaraturi, quam praecclare de tua pietate ac religionis studio sentiamus. Quia vero ad Orthodoxae Ecclesiae incrementum magis conductit Praesulum dotes super candelabrum lucere, quam abscondi sub modio, et confessionem ore faciendam ad salutem monet Apostolus, consilium de celanda ad aliquod tempus conversione tua probare minime possumus, quamvis egre-

²⁴⁰ Josephus Szumlanskyj (1676-1708). Iam inde ab anno 1667 ab una parte Eparchiae in Episcopum electus, sed contra candidatum alterius factionis, quae Eustachium Systelnyckyj elegit nihil per decem annos obtinere potuit. Post mortem vero Eustachii Sedem Leopoliensem obtinuit. Post unum iam annum misit epistulam Romanam (de data 7-III-1677), qua nuntiabat se professionem fidei catholicae coram Metropolita Kiovensi emisisse. Nuntio hoc etiam litteris Metropolitae confirmato (Varsavia 17-III-1677), Breve nostrum datum est Josepho et Cypriano congratulationis et gratiarum actionis. Sed fidem eandem palam profiteri Josephus renuit, ob rationes graves, ut nempe fideles suos melius praepararet ad eandem amplectendam. Anno tantummodo 1700 simul cum tota sua Eparchia Ecclesiae Catholicae adhaesit. Cfr. dissertationem Sac. MIROSLAI MARUSYN, *Die Vereinigung der Peremysler und Lemberger Eparchien mit dem Apostolischen Stuhle*, Rom 1951. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 336-341, etc.

gium tibi fructum proposuisses, lucrum animarum; necesse quocirca erit (f. 232v) palam te profiteri, quod tanta cum laude tua fecisti, apertisque studiis de re catholica bene mereri. Persuasum autem tibi esse volumus, piis conatibus tuis omni Nos ope semper affuturos, nihilque a nobis desiderari passuros, quod ad promovendum zelum tuum proficuum fore censemus, uti fuis a Ven. fratre Francisco, Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, cognoscet. Iugia interim a honorum omnium authore Deo celestis gratiae dona Fraternitati Tuae ex animo precamur, atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die XI Septembbris MDCLXXVII, Pontificatus Nostri Anno primo.

599.

Romae, 8 . VI . 1680

Laudatur tentamen Episcoporum unitorum in negotio Unionis Universalis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 111rv.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 676, nr. 692 a.

Venerabilibus fratribus Cypriano, Archiepiscopo totius Russiae et Polocensi, et Iacobo²⁴¹, Episcopo Chelmensi et Belzensi.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ex literis Fraternitatum vestrarum ingenti cum animi nostri gaudio intelleximus²⁴², quanta cura ac solicitudine sub Regiae Maiestatis auspiciis una cum Episcopis ac religiosis viris Graecanici Ritus, huic Sanctae Sedi obsequentibus, Ruthenos schismaticos eidem Sedi conciliare studeatis; adpios vero conatus vestros iuvandos provehendosque opportuna, ut a nobis flagitatis, Ven. fratri Francisco, Archiepiscopo Corinthi, Nuntio nostro, mandata dedimus, a quo nihil desiderabitis, quod tanto operi perficiendo prodesse possit. In reliquis, quae sit mens nostra, et quomodo vos gerere debeatis, a Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide praepositis fuse cognoscetis. Propensae interim erga Fraternitates vestrarum, universamque Sanctam Unionem voluntatis nostrae testem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die octavo Junii MDCLXXX. Pontificatus Nostri Anno quarto.

²⁴¹ Agitur de Cypriano Zochovskyj (1674-1693), Metropolita Kioviensi, et de Jacobo Susza, Episcopo Chelmensi (1652-1685).

²⁴² Agitur de sic dicto «Colloquio Lublinensi», indictio a Rege Poloniae Joanne Sobieski in diem 24-I-1680. Tota fere Hierarchya unita venit Lublinum, ex non unitis vero tantummodo Josephus Szumlaskyj et Barlaam Szeptyckyj, Archimandrita Unioviensis. Sed Nuntius Apostolicus omnem disputationem prohibuit, nec etiam non Uniti monologum tantummodo Catholicorum desiderabant. Inde Rex ordinavit, ut Colloquium suspenderetur et Varsaviam transferatur (19-I-1680). Litteris suis de data 26-I-1680 Metropolita Pontificem certiorem fecit de insuccessu, deque translatione Colloquii ad diem 24-VI-1680 Varsaviam. Innocentius XI die 8-VI-1680 per nostrum Breve responsum dedit. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 285-287.

600.

Rome, 15 . VI . 1680

Regi Poloniae commendatur negotium Unionis Universalis in Colloquio inter partes catholicam et schismaticam obtainendae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 112rv.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 676, nr. 692 b.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni, Poloniae Regi Illustri.

INNOCENTIUS PP. XI. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Etsi non dubitamus, quin Maiestas Tua eximio erga Catholicae Religionis propagandionem zelo ducta omni ope, ac studio sit affutura Ruthenis unitis in colloquio²⁴³, quod, authore imprimis te, cum Schismaticis pro ineunda pia et salutari concordia habere parant; pro rei nihilominus gravitate et officii nostri debito iniunximus Ven. fratri Francisco, Archiepiscopo Corinthi, ut in id ipsum Maiestatem Tuam magis etiam nostro nomine incendat, atque ad tam praeclarum opus opportuno tempore perficiendum vehementius inflammet. Perspectae pietatis ac filialis erga Nos observantia tuae fuerit, eundem Venerabilem fratrem hoc super negotio disserentem diligenter audire, dum Maiestati Tuae prospera omnia a Deo praecamur, atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die XV Iunii MDCLXXX.

601.

Rome, 23 . XI . 1680

Suffraganeus Smolensensis nominandus ad instantiam etiam Metropolitae Kiovensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 178rv.

Venerabili fratri Cypriano, Archiepiscopo totius Russiae,
et Polocensi.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, etc.

Redditae nobis fuerunt Fraternitatis Tuae literae, in quibus flagitas, ut Venerabili fratri Episcopo Smolensensi Suffraganeum²⁴⁴ deputare velimus dilectum filium Michaelem Galinski, Canonicum Regularem Lateranensem. Re vero omni accurate perpensa, cum nulla appareat necessitas huiusmodi deputationis, immo tum propter Smolensis Dioecesis angustiam, tum propter defectum loci, in quo Suffraganeus digne residere possit, parum conveniens videatur, nullus nobis reliquitur locus satisfaciendi precibus Fraternitatis

²⁴³ Cfr. notam praecedentem.

²⁴⁴ Fortasse agitur de Alexandro Kotowicz, Episcopo Smolensensi, qui anno 1684 translatus fuit ad Sedem Vilnensem. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 689.

Tuae; cum caeteroquim (f. 178v) propensam erga te geramus voluntatem cupiamusque frequentes dare se opportunitates reipsa declarandi, quanti te, et praeclera tua erga catholicam religionem merita faciamus; illud superest, ut similis tui esse pergas, inque pastoralis officii tui munere strenue obeundo alacriter perseveres, dum Nos Fraternitati Tuae Apostolicam ad id benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

602.

Romae, 14 . VII . 1681

Nuntio Poloniae, ut absolvat Episcopos Leopoliensem et Peremysliensem a schismatis macula, post eorum fidei catholicae professionem.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1659, fol. 2rv.

Venerabili fratri Opitio²⁴⁵, Archiepiscopo Ephesino,
apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem,
Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum sane nonnulli ex Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis propagandae fidei negotiis praepositae super negotiis Ruthenorum, a nobis specialiter deputati, nobis quo nuper exposuerunt, Innocentius Winicki, Schismaticus, in Episcopum Praemislae a Josepho Szumlanski, Episcopo Leopoliensi, etiam Schismatico, cum assistentia unius Episcopi et unius Abbatis, pariter Schismaticorum, non autem duorum Episcoporum, prout a Sacris Canonibus dispositum reperitur, ritu graeco consecratus fuerit, subinde vero tam Innocentius, quam Josephus praedicti fidei professionem iuxta articulos dudum a Sede Apostolica pro Graecis propositos in manibus tunc Praesulis, eiusdem Sedis Apostolicae Nuncii, Varsaviae residentis, emiserint, ac in Ecclesiae Catholicae gremium recipi, et in illius communione quoad vixerint perseverare, statuique suo in praemissis opportune a nobis provideri summopere desiderent, Nos specialem ipsis Innocentio, et Josepho gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. quavis praeterquam praemissorum occasione etc. censerentes, de memoratorum Cardinalium consilio, Fraternitati Tuae per praesentes committimus et mandamus, ut visis praesentibus narratis, eosdem Innocentium et Josephum, et eorum quemlibet, si hoc a te humiliter pertierint, imposita eis pro praemissis arbitrio tuo aliqua penitentia salutari, a Schismatis reatu, ac excessibus praenarratis, necnon censuris, et poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter praemissa quocunque modo incurrerunt, auctoritate nostra Apostolica absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas eis gratiose remittas, et condones, illosque et eorum quemlibet in Sanctae Romanae et Universalis

²⁴⁵ Opitius Pallavicini, Archiepiscopus Ephesus, Nuntius Apostolicus Varsaviensis (1680-1688).

Ecclesiae communionem recipias. Praeterea cum ipsis Innocentio et Josepho, et eorum quolibet, super quacumque irregularitate per eos praemissorum, seu inde secutorum occasione quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum etiam specifica et individua mentione et expressione dignum, dicta auctoritate de specialis dono gratiae dispenses (f. 2v). Nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, et impertimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis Cardinalium. Non obstantibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 14 Julii 1681, Anno 5.

603.

Romae, 14 . VII . 1681

Confirmatur Episcopus Peremysliensis, noviter fidem catholicam professus, in sua Sede Peremysliensi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1659, fol. 1rv.

Venerabili fratri Opitio, Archiepiscopo Ephesino,
apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem,
Poloniae Regem Illustrum, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum Nos alias per nostras in simili forma Brevis hodie expeditas litteras²⁴⁶, quarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, ordinavimus in praedictis, ut Innocentius Winicki, Schismaticus, qui alias in Episcopum Praemisliae ab Episcopo Leopoliensi, etiam Schismatico, cum assistentia unius Episcopi et unius Abbatis, pariter Schismaticorum, ritu graeco consecratus fuit, ac subinde fidei catholicae professionem iuxta articulos dudum a Sede Apostolica pro Graecis propositos in manibus tunc Venerabilis eiusdem Sedis Apostolicae Nuntii Varsaviae degentis emisit, a Schismatis reatu et excessibus praedictis censurisque et poenis ecclesiasticis ea de causa incursis auctoritate nostra Apostolica absolvens, ac cum eo super quacumque irregularitate ex praemissis contracta ad quemcumque effectum dispensares, prout in litteris praefatis uberius continetur. Et sicut ex nonnullorum ex Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis propagandae fidei negotiis praepositae super negotiis Ruthenorum a nobis specialiter depuratorum, relatione accepimus, nunc supersit Venerabilis frater Episcopus Praemisliensis antiquus cum Romana Ecclesia unitus, qui partem dioecesis Praemisliensis obtinet. Hinc est, quod Nos opportune in praemissis providere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, et attenta professione fidei a dicto Innocentio, sicut praemittitur, emissam, Fraternitati Tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam litteras nostras supradictas quoad praefatum Innocentium executioni mandaveris, auctoritate nostra praefata permittas, ut ipse

²⁴⁶ Cfr. Breve praecedens.

Innocentius retineat titulum Episcopi Praemisliensis, et regat omnes Ruthenos iam sibi subiectos ante Unionem, ea videlicet conditione, ut alterutro ex Episcopis, antiquo et Innocentio praedictis dececente, tota dioecesis Praemisliensis sub uno tantum pastore superstite restituatur. At causa quo evenerit successio ad favorem eiusdem Innocentii Winicki, illa minime adimpleri possit absque speciali huius Sanctae Sedis Apostolicae approbatione, et interim ipse Innocentius dicto Episcopo antiquo unito, qui totam aliam dioecesis pradicte partem retinere debet, florenos quater mille pro eius sustentatione assignet. Nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem tibi eadem auctoritate harum serie tribuimus, et impertimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis Cardinalium.

Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, Ecclesiae Praemisliensis aliisque quibusvis etiam etc. statutis, illorum tenorem etc. derogantes, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 14 Julii 1681, Anno 5.

604.

Romae, 26 . VII . 1681

Pontifex Episcopis ruthenis catholicis de opera in reducendis Leopoliensi et Premisliensi Episcopis Ruthenis ad unionem cum Romana Ecclesia navata grates reddit.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 74 fol. 248v-249.

Venerabili fratri Cypriano Archiepiscopo totius Russiae et Polocensi,
caeterisque ruthenis Praesulibus huic Sanctae Sedi unitis.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ex literis Fraternitatis Tuae relinquorumque ruthenorum Praesulum huic Sanctae Sedi unitorum manu subscriptis ingenti cum spiritualis laetitiae sensu cognovimus, consociatis studiis animisque strenue vos curasse ac reipsa impretrasse, ut Venerabiles fratres Iosephus Leopoliensis, et Innocentius Praemisliensis, Episcopi, una cum amplissimis suis Dioecesibus eidem Sedi accederent. Pro munera autem nostri debito sicuti uberes et condignas eximio zelo vestro de hoc laudes tribuimus, ita nulli occasione deerimus pios conatus vestros iuvandi provehendique, quemadmodum fusius intelligitis ex literis Cardinalium Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, et a Ven. fratre Opitio, Archiepiscopo Ephesino, qui iussu nostro omni ope ac studio vobis adesse, rationesque vestras apud Regiam Maiestatem sedulo promovere unquam intermitte; tibique Ven. frater, cui imprimis tam praeclari operis successum, adeoque egregium apud Deum, et apud Apostolicam Sedem meritum gratulamur, caeterisque Praesulibus, qui in eundem scopum certatim conspirarunt, permanenter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXVI Iulii MDCLXXXI, Pontificatus Nostri Anno quinto.

605.

Romae, 26 . VII . 1681

Pontifex cum Episcopis Leopoliensi et Peremysliensi congratulatur de professione catholicae fidei emissā.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 248rv.

Venerabilibus fratribus Josepho Leopoliensi,
et Innocentio Praemisliensi, Episcopis²⁴⁷.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabiles fratres, etc.

Non satis verbis exprimere possumus gaudium, quo affecti fuimus intelligentes Fraternitates vestras, Spiritus Sancti ductu, catholicae fidei professionem rite emisisse, atque ad huius Sanctae Sedis unitatem una cum amplissimis Dioecesis vestris accepisse; nullum enim solatium optius erat tam laetiae rei successu leniendis assiduis, atque ingentibus curis quibus undique premimur in commisso nobis Apostolicae securitatis offici exequendo; et quidem adeo praeclaram de pietate zeloque vestro gerimus opinionem, ut uberiorem in dies ex istis Christi vineis magna cum vestra laude, et merito fructum expectemus. Vos itaque, subiectosque pastorali curae vestrae (f. 248) populos peculiari quodam, ac plene intimo paternae charitatis affectu in Domino collectimur, nullamque se offerat occasionem dimissuri re ipsa declarandi, quanti faciamus recens hoc Catholicae Ecclesiae lucrum, et quam parati simus rationes vestras omni loco, ac tempore iuvare, sicuti fusi ex literis Cardinallium, qui Congregationi de Propaganda Fide praesunt, et Apostolico istic Nuntio cognoscetis. Reliquum est et huic Sanctae Sedi, Ecclesiarum omnium Matri ac Magistrae, constanter adhaerere, perpetuumque eidem cultum deferre velitis, dum Nos Fraternitatibus vestris uberem bonorum omnium copiam, auctore Deo, precamur, atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc, die 26 Julii 1681, ut supra, etc.

606.

Romae, 2 . VIII . 1681

Commendantur Uniti a Rege protegendi, occasione Unionis Eparchiarum Leopoliensis et Peremysliensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 250rv.
THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 681, nr. 699 b.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni, Poloniae Regi Illustri.

INNOCENTIUS PP. XI Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Etsi non dubitamus, quin Maiestas Tua assiduis regiae benignitatis ac be-

²⁴⁷ Cfr. de hac nova declaratione adhaesionis Ecclesiae Catholicae J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 339; A. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja litopys*, p. 199, 641; HARASIEWICZ M., *Annales*, p. 466

neficentiae documentis sit prosecutura Venerabiles fratres Leopoliensem ac Premisliensem Episcopos, qui opera praesertim tua huius Sanctae Sedis unitati una cum Dioecesibus suis nuper accesserunt, adeo tamen nobis cordi sunt et esse debent eorum rationes et commoda, ut stimulus in ipsum nostros tibi duxerimus admovendos, de singulari tua pietate et filiali erga Nos observantia plane confidentes fore, ut sponte tua praestares, libentius etiam ac liberalius intuitu nostro praestes. Praeter ingens meritum, quod tibi apud Deum comparaveris, voluntatem nostram arctius etiam hoc nomine tibi devinxeris, carissime in Christo fili noster, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die secunda MDCLXXXI, Pontificatus Nostri Anno quinto.

607.

Rome, 2 . VIII . 1681

*Eodem argumento Palatino Cracoviensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol 74, fol. 250v-251

Dilecto filio, nobili viro, Andrea Potoskio,
Palatino Cracoviensi.

INNOCENTIUS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, etc.

Relatum ad Nos est, et quiden magno cum animi nostri gaudio, non paucos ex Ruthenis schismaticis, iurisdictioni Nobilitatis Tuae subiectis, parato animo esse ad deponendos errores, in quibus versantur, et ad Catholicae Ecclesiae omnium Matris et Magistrae doctrinam suscipiendam. Eam de pietate, ac zelo tuo, cuius eximia documenta dedisti, opinionem gerimus, ut satis te ad praeclarum opus promovendum (f. 251) sponte tua incensum putemus; praeferre nihilominus non potuimus, quin solicititudinem huiusmodi de re nostram tibi aperiemus qui persuasum habemus acrioribus in id ipsum stimulus incitatam iri Nobilitatem Tuam. Reliquum est, ut conceptae de perspecta virtute tua expectationi cumulate respondeas, dum Nos propensae erga te voluntatis nostrae indicem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die secunda Augusti, ut supra, etc.

sq. Nova haec declaratio contigit durante Comitiis Regni Varsaviae, et quidem sub conditionibus, quarum principaliores sunt: aequalitas Ritus Latini et Rutheni, ad officia ecclesiastica solummodo Rutheni nominari possunt, Superiores monasteriorum praesentat Episcopos loci, Clerus iudicatur a suis Episcopis, Episcopi rutheni pari dignitate perfruuntur ac illi latini, Metropolita eligitur a Clero et praesentatur Regi. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 339.

608.

Romae, 2 . VIII . 1681

Idem negotium Palatino Russiae commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 251rv.
THEINER A., *op. cit.*, III, p. 682, nr. 699 c.

Dilecto filio, nobili viro, Stanislaw Jablonowski, Palatino Russiae,
Et Exercituum Regni Poloniae Campiduci.

INNOCENTIUS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, etc.

Non ignoramus, quantum operae, ac studii impenderit Nobilitas Tua pro aggregandis huic Sanctae Sedi Venerabilibus fratribus Leopoliensi, et Praemisliensi, Episcopis, quantumque in te meriti ex tam paeclaro facto redundaverit. Quamobrem muneric (f. 251v) esse nostri duximus eximiam pietatem, atque animi religionem tuam magnopere de hoc commendare, nostraequre ob id erga te charitatis incrementum hisce tibi testatum facere, non defuturi occasionibus, quae se dederint, id ipsum luculentius declarandi. Etsi autem facile nobis persuademus, constanter te perstiturum in suscepto instituto de catholica religione benemerendi, nihilque praetermissurum, quod ad eam in dies magis propagandam conferre posse existimaveris, currenti nihilominus stimulos libenter adiicimus, quo ampliorem perspecto zelo tuo virtutis exercendae campum aperiamus. Benevolentiae interim, qua te prosequimur, testem Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

609.

Romae, 2 . VIII . 1681

Eodem argumento aliis Nobilibus Poloniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 74, fol. 251v-252.

Dilecto, filio, nobili viro, N. N.

INNOCENTIUS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, etc.

Praeclarum Nobilitatis Tuae (f. 252) de catholica religione benemerandi argumentum praebent Rutheni schismatici, qui sub iurisdictione tua sunt; ex iis enim non paucos propensam ad se huius Sanctae Sedis doctrinae subiciendos gerere voluntatem, pro certo ad Nos affertur. Non dubitamus quin rei ipsius dignitas, et praestantia valido perspectae pietati tuae incremento sit futura ad eorum consilium omni ope, ac studio iuvandum promovendumque. Quare a pluribus abstinentes illud tibi pro comperto esse volumus, libenter Nos, quaeunque se dederint occasiones amplexuros, voluntatem erga te nostram hoc praesertim nomine re ipsa declarandi Nobilitati Tuae, cui interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

610.

Romae, 30 . 1 . 1683

Rex Poloniae hortatur ne nimis Episcopo Leopoliensi, nuper fidem catholicam professo concedat in praeiudicium Unionis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 75, fol. 127v-128.

Carissimo in Christo filio nostro Joanni,
Poloniae Regi Illustri,

INNOCENTIUS PP. XI Carissime in Christo fili noster, etc.

Relatum ad Nos cum sit, ruthenos Episcopos, Leopoliensem et Praemisliensem, qui auspicis, operaque imprimis Maiestatis Tuae ad Romanae Ecclesiae unitatem superiori anno accepimus, in praesens detrectare catholicam religionem palam profiteri, nisi prius iuxta Deputatorum tuorum promissa in proximis istius Regni Comitiis approbentur, confirmeturque quaedam pactiones, quae inter ipsos et Episcopos huic Sanctae Sedi iam pridem unitos, initae fuerunt²⁴⁸; cumque dictas pactiones iudicio Cardinalium, qui Congregationi de Propaganda Fide praesunt, subiecerimus²⁴⁹, muneri esse nostri duximus Maiestati Tuae hisce significare, ut eas utpote eiusdem Sedis autoritati adversantes, reiicere, ac tamquam contrarias stylo, qui in huiusmodi unionibus ratihabendis ab ipsa Sede, et quidem magna cum laude, servatus hactenus fuit, omnino respuere velis, minime permittendo, ut de iis in supra nominatis Comitiis ullomodo agatur. Etsi autem perspecta, multisque documentis comprobata filialis tua erga Nos observantia procul dubio nobis pollicemur, prompte, ac alacriter sensus in hac re nostros omni ex parte impleturum, iniunximus tamen Venerabili fratri Opilio, Archiepiscopo Ephesino, ut de iis fusius edoceat Maiestatem Tuam²⁵⁰, et si quae interfuerint difficultates, eas de medio tollere tota animi contentione curet. Consuetae humanitatis tuae erit ipsum de negotio, quod magnopere nobis cordi est, disserentem diligenter audire, dum Nos Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 30 Januarii 1683, Pontificatus Nostri Anno septimo.

611.

Romae, 20 . 11 . 1683

Idem Nuntio Varsaviensi commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 75, fol. 131v-132.

Venerabili fratri Opilio, Archiepiscopo Ephesino,
Sedis Apostolicae et Nostro in Polonia Nuntio.

²⁴⁸ Agitur fortasse le conditionibus de quibus in nota 247.

²⁴⁹ Cfr. Congregationem particularem S. C. de Prop. Fide in hoc negotio. de qua in litteris eiusdem S. C. ad Nuntium Vars. 30-I-1683.

²⁵⁰ Cfr. Breve sequens. Nec non litteram S. C. de Prop. Fide ad Nuntium Varsavensem, de data 20-II-1683. Cfr. *Lettere S.C. de Prop. Fide*, vol. 72, fol. 16v-20v.

INNOCENTIUS PP. XI. Venerabilis frater, etc.

Facile nobis persuademus Fraternitatem Tuam a perspecta Poloniae Regis pietate, et filiali ipsius in hanc Sanctam Sedem observantia impetravisse, ne in proximis istius Regni Comitiis ratio ulla habeatur pactionum, quae inter ruthenos Episcopos, Leopoliensem et Praemisliensem, qui nuper ad Romanae Ecclesiae unitatem accesserunt, et eiusdem Ritus Episcopos huic Sanctae Sedi iam pridem unitos, regiorum Deputatorum interventu magno cum ipsius Sedis praeiudicio imitae fuerunt²⁵¹. Ubi tamen, quod in animum nostrum inducere non possumus, ut credamus, secus acciderit, hisce tibi mandamus, ut acta omnia, dictas pactiones aliquomodo comprobantia, rescindas, casses, nulliusque roboris esse, sed irrita, et inania perpetuo declaras; neque dubitantes quin ex voto rem geras, a pluribus abstinemus, ac Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20 Februarii 1683, Pontificatus Nostri Anno septimo.

612.

Rome, 30 . X . 1683

Breve Innocentii XI, nullum declarans capitulum Monachorum OSBM in Russia.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1687, fol. 5rv, 10.

Bullae et Brevia..., I, Poczajowiae 1767, p. 62-68.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. II, p. 66.

INNOCENTIUS PP. XI. Ad futuram rei memoriam.

Ad Apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri dolore pervenit, quod licet in quodam Congressu super multis rebus ad Christifideles ruthenos Sanctae Rom. Ecclesiae unitos pertinentibus, coram Venerabili Fratre Opitio²⁵², Archiepiscopo Ephesino, nostro et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem, Poloniae Regem Illustrum, Nuncio, ante hoc habito²⁵³, cui Venerabiles fratres modernus Archiepiscopus Kijoviensis. Metropolita Ruthenorum, aliquie Episcopi rutheni Graeci, una cum aliquibus Monachis O. S. Basilii Magni interfuerunt, conventum atque stabilitum fuisse, ut Synodus Provincialis hyeme proxime venturo haberetur, eodemque tempore etiam Congregatio, seu Capitulum Generale Monachorum dicti Ordinis in illis

²⁵¹ In litteris ad Nuntium Poloniae hoc eodem die missis ex parte S. C. de Prop. Fide, cui haec causa commissa erat, sic ex. gr. dicitur: «Tenutasi per conto sopra detta della medesima una Congregazione particolare e maturamente consideratosi, che molti dei capi contenuti in essa non sono in verun modo concessibili, alcuni non spettano alla protesta, altri sono così pregiudiziali al Metropolita, et al Vescovato di Premislia uniti, et altri così equivoci, dubii, che artificiosamente tendono piuttosto ad indebolire, che a stabilire l'Unione ». IBID. fol. 17.

²⁵² Opitius Pallavicini (1680-1688).

²⁵³ Agitur de aliquo congressu temporis verni 1683.

partibus degentium, quod caetoroquin iuxta consuetum morem sub finem Mensis Julii proxime praeteriti celebrandum erat, celebrari deberet. Idque ex eo, quod tam ad Synodus, quam ad Congregationem, seu Capitulum Generale huiusmodi multi Episcopi convenire, ibique etiam praecipui ex Monachis, qui pro sua pietate atque doctrina Unionem Ruthenorum cum Apostolica Sede praedicta maxime tuentur, interesse debeant, Venerabiles autem fratres Episcopi, Chelmensis et Vladimirensis, ac forsitan etiam Premisiensis, Ecclesiarum suarum negotiis impediti, celebrationi Congregationis seu Capituli Generalis huiusmodi, si praedicto Mense Iulio fieret, interesse non potuissent, nihilominus memoratus Archiepiscopus Kijoviensis, non attenta praedicta conventione, communi consensu stabilita, sed mutato proposito, Congregationem, seu Capitulum Generale Monachorum praedictorum Mense Iulio, proxime praeterito, una cum paucis Monachis a se quidem dependentibus, dilecto autem filio Superiori Generali eorundem Monachorum, qui una cum suis Consultoribus procul aberat, parum benevolis (tametsi illum ab ea re praedictus Opitius, Archiepiscopus et Nuncius, per suas literas dehortatus fuisset) celebrare voluit, seque ibidem in Superiore Generalem dictorum Monachorum eligi curavit²⁵⁴.

Quamvis autem dictus Opitius Archiepiscopus et Nuncius de his edoctus, eundem Archiepiscopum Kijoviensem per epistulam exhortatus fuerit, ut serio consideraret electionem, de sua persona in Superiore Generalem sic dictam, ex eo praesertim, quod ipse archiepiscopali dignitate insignitus reperiretur, non posse subsistere, utque proinde per se ipsum incommodis inde provenientibus remedium adhibere studeret, ipse tamen Archiepiscopus Kijoviensis tam aequis adhortationibus, atque postulatis morem gerere noluit, sed Ordinem praedictum suo arbitrio gubernare, imo potius destruere caepit, illiusque facultates, assumpto in se Proto-Archimandritatu, in suos usus convertere, ac Consultores praedictos, qui perpetui esse solent, ab eorum muneribus amovere, et alia pleraque munera Monachis inferioribus, et minus idoneis committere non dubitavit.

Quare Nos, qui supremo Iustitiae Throno a Domino constituti sumus, considerantes ex praemissis perperam atque inconsulte gestis magnam dicto Ordini, quinimo etiam Unioni praedictae, labem inferri posse, multosque inde irrationabiliter laesos fuisse, ac proinde, pro data nobis divinitus potestate, his aliisque gravibus incommodis, iam exortis, opportunum remedium paterna charitate adhibere, et imminentibus mature occurrere, utque in eodem Ordine omnia ad omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, et felicem progressum, ac spiritualem Christi fidelium aedificationem, recte atque ordinate fiant, procurare cupientes, Congregationem, seu Capitulum Generale Monachorum praedictorum, Mense Julio proxime praeterito celebratum, seu celebratam, in illaque seu illo factam de persona praedicti Archiepiscopi Kijoviensis electionem in Superiore Generalem Monachorum huiusmodi, amotiones a suis respectivis muneribus, et aliorum quorumlibet Officialium, seu

²⁵⁴ Capitulum celebratum fuit diebus 25 - 31-VII-1683, sic dictum Minscense II. Cfr. Catalogus OSBM, an. 1949, p. 107. Protoarchimandrita tunc temporis erat Stephanus Martyškevyc (1679-1686). Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM: *De regimine Basilianorum*, v. I, Romae 1949, p. 151 ss.

Monasteriorum deputationes, nec non assumptionem supradicti Protoarchimandritatus, et alia quaecunque in praemissis ab eodem Archiepiscopo Kijoviensi in vim, vel praetextu electionis huiusmodi quomodolibet facta, acta, et gesta, cum omnibus singulis inde secutis, autoritate Apostolica tenore praesentium cassamus, irritamus, invalidamus, et annulamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacare, ac cassa, irrita, invalida et nulla, viribusque et effectu vacua, et nullius omnino roboris, et momenti esse, et fore, decernimus et declaramus.

Praeterea praedictum Superiorem Generalem, ac praedictos Consultores, et alios Monachos quoscumque, a suis respective muneribus, seu officiis, per memoratum Archiepiscopum Kijoviensem amotos, seu destitutos, ad eadem respective munera seu officia, ac alios in integrum pristinum statum, in quo ante celebrationem Congregationis, seu Capituli Generalis praedicti quomodolibet erant, statim autoritate, et tenore praesentium restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus.

Porro Congregationem, seu Capitulum Generale dictorum Monachorum, iuxta conventionem supra dictam, hyeme proxime ventura celebrari debere, dicta autoritate, harum serie statuimus, et ordinamus, decernentes praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ad quos spectat et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palati Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocunque quavis auctoritate, scienter et ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca memorato Archiepiscopo et Nuncio per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipse per se vel alium vel alios, ubi, vel quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu aliquis eorum desuper requisitus, easdem praesentes literas, in eis contenta quaecunque solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra, illos omnes et singulos praesentium literarum, et in eis contentorum, commodo effectu pacifice frui et gaudere, et non permettere eos desuper a quopiam quavis auctoritate, quomodolibet indebito molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, et Rebelles persententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas, etiam interatis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifatii Papae VIII, Praecessoris nostri: de una, et Concilii Generalis: de duobus dietis, aliisque Apostolicis Decretis, ac in Universalibus, Provincialibus, Synodalibusque Conciliis edictis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudini-

²⁵⁵ Revera celebratum fuit Capitulum Novogrodecense II, diebus 19-22-III-1684, quod tamen conditionibus requisitis non satisfecit, ideoque tantummodo in Capit. Novogrodecensi an. 1686 causa haec definitive composita est. Cfr. M.M. Wojnar, *op. cit.*, vol. I, p. 70 sq. Catalogus OSBM, p. 107.

bus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXX Octobris MDCLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno octavo.

S. J. Slusius.

613.

Romae, 8 . VII . 1684

Cum Generali Cosacorum Pontifex congratulatur de eorum intentionibus in defendenda christianitate contra periculum Turcarum.

ASV, Ep. al Principes, vol. 76 fol. 95v-96.

Dilecto filio Andreae Mohila, Generali Exercitus Zaporoviensis²⁵⁶,
sub Signis Poloniae Regni militantis.

INNOCENTIUS XI Dilekte fili, salutem etc.

Singularis argumentum laetitiae (f. 96) attulerunt nobis literae, quas tuo totiusque Exercitus Zaporoviensis, cui merito preces, nomine ad Nos dedisti, significans paratos vos esse, iunctis cum carissimi in Christo filii nostri Joannis, Poloniae Regis, invictis copiis, armis, animisque immanissimum Christianae Reipublicae hostem invadere atque in ipsius excidium, inviolabili fide, constantiaque conspirare²⁵⁷. Qua quidem re, sicuti nihil nobis aut gratius, aut iucundius accidere poterat, ita pro comperto tibi, eidemque Exercitui esse volumus, non omissuros Nos novis in dies documentis benevolentiam vobis nostram declarare. Quibus interim prosperos a Deo successus precamur, atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, etc., die octava Julii 1684.

²⁵⁶ Agitur de Generali partis occidentalis Ucrainae, quae sub influxu et regimine politico polonorum tempora tristia, s.d. «ruinam» vivebat. In parte orientali Ucrainae, quae Moscoviae obedientiam praestabat, s.d. hetman erat Joannes Samojlovyc. Noster Andreas Mohyla in his temporibus turbulentis non apparebat, nisi fortasse ut unus centurionum cis Borysthenem, (polkovnyk).

²⁵⁷ Agitur de programmate ad debellandum periculum turchum post victoriam Vienensem an. 1683 (autumno), in qua etiam exercitus Cosacorum, fortasse sub ductu Andreae Mohyla, non parvam habuit partem. Immo, Cosaci a Rege Poloniae Joanne multum aestimabantur, qui eorum viribus et virtute saepe utebatur in pugnis cum Turcis et Tartaris.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

ALEXANDER VIII

(6,16.X.1689 - 1.II.1691)

V enetus
(Petrus Ottoboni)

DOCUMENTA ALEXANDRI PP. VIII

614.

Romæ, 5 . XI . 1689

Josephus de Camillis, Basilianus, et Procurator Ecclesiae Ruthenae in Urbe nominatur Episcopus Sebastiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1788, fol. 39rv.

ASV, *Nunz. di Vienna*, vol. 79, fol. 59v-60v.

HODINKA A.,

Dilecto filio Josepho de Camellis²⁵⁸,
Monacho Ord. S. Basilii Magni, Presb. Ritus Graeci,
Electo Sebastensi.

ALEXANDER PP. VIII. Dilekte fili, salutem, et Apostolicam benedictionem.
Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequentes, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur, et sollerter, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico, et tranquillo velint, et valent, auctore Domino, salubriter regere, et feliciter gubernare. Cum itaque Eccles. Sebastian. sub Archiepiscopatu Tarsen., quae in partibus infidelium consistit, certo, quem, etiamsi exinde quaecunque generalis reservatio etiam in Corpore Juris clausa resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, modo, Pastoris solatio destituta remanserit, Nos ad felicem eiusdem Ecclesiae provisionem paternis, et sollicitis studis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo d. Ecclesiae personam utilem, atque fructuosam cum non-nullis Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negotio Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, Monachum Ord. S. Basillii M., Presbyterum Catholicum Ritus Graeci, ex legitimo matrimonio procreaturn, et aetate legitima constitutum... auctoritate Apostolica prvidemus, teque illi in Episcopum praeficimus, et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae Sebastensis tibi in spiritualibus, et

²⁵⁸ Josephus de Camillis, origine Graecus, monachus Basilianus. Alumnus Collegii Graecorum de Urbe. Dein per aliquod tempus Procurator Negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe (1674?1689). Anno 1689 nominatur Episcopus tit. Sebastiensis et Vicarius Apostolicus in dioecesi Mukachevo, qua in Sede permanxit usque ad annum 1706, quo anno obiit. Activitas eius pastoralis pro stabilienda Unione in hac Eparchia est maximi, imo decisivi momenti. Eius promeritum aeterna memoria dignum.

temporalibus plenarie committendo... Volumus autem, et eadem auctoritate statuimus, atque decernimus, quod si non receptis a te per dictum Antistitem iuramento, fidei professione huiusmodi, ipse Antistes munus praedictum tibi impendere, et tu illud suscipere prae sum pseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse, quam tu a regimine, et administratione tam spiritualium, quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die V Novembris 1689, Pontificatus Nostri Anno primo.

615.

Rome, 5 . XI . 1689

Josephus de Camillis nominatur in Vicarium Apostolicum dioecesis Munkacsensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1788, fol. 45.

ASV, *Nunz. di Vienna*, vol. 79, fol. 59rv.

HODINKA A.,

Dilecto filio Josepho de Camellis,
Monacho Ordinis S. Basilii Magni, Presbytero Ritus Graeci,
Electo Sebatiensi.

ALEXANDER PP. VIII. Dilekte fili, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Pro nostro pastoralis officii munere iis potissimum invigilare debemus, quae curam Christi fidelium, ut in viam mandatorum Domini ad salutem animarum dirigantur omnino respiciunt. Itaque de tuis fide, prudentia, integritate, doctrina, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, sperantesque quod ea, quae tibi duxerimus committenda, cumulate sis expleturus, de nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te pro Graecis in Dioecesi Munkacsiana, aliisque locis acquisitis in Hungaria commorantibus Vicarium Apostolicum cum iurisdictione, iuribus, et facultatibus necessariis, et opportunis ad nostrum, et S. Sedis Apostolicae beneplacitum autoritate Apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, eligimus, et deputamus, salva tamen semper in praemissis autoritate Congregationis eorum Cardinalium. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos spectat et spectabit quovis modo in futurum, ut tibi in praemissis prompte pareant, et obedient, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulteris, seu statueris in Rebelles ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obst. Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus necnon quibusvis, etiam

iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis, litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, ac innovatis. Quibus omnibus, et singulis eorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

(f. 59v) Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die V Novembris 1689, Pontificatus Nostri Anno primo.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

INNOCENTIUS XII
(12.15.VII.1691 - 27.IX.1700)

n e a p o l i t a n u s
(Antonius Pignatelli)

D O C U M E N T A I N N O C E N T I I P P . X I I

616.

Romae, 20 . IX . 1692

Regi Poloniae in occasione unionis Eparchiae Peremysliensis.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 80, fol. 247rv.

Carissimo in Christo filio nostro Joanni,
Poloniae Regi Illustri.

INNOCENTIUS PP. XII. Carissime in Christo filio noster, salutem etc.

Cum catholica religionis propagatio votorum nostrorum summo fit, explicare satis nequimus verbis, quam exuberanti perfusi fuerimus gaudio intelligentes a dilecto filio, religioso viro, Patre Carolo Mauricio Vota²⁵⁹, Societatis Jesu, Maiestatem Tuam insignibus Avorum, qui sese pro Christo victimas immolarunt, vestigiis insistentem, non solum annis, sed etiam authoritate consilio, atque industria eiusdem religionis in amplificationem incumbere, schismaticisque Praemisiensis Province populis, opera imprimis Venerabilis fratris Winicki²⁶⁰, quem magno in pretio habemus, in Ecclesiae Catholicae gremium reductis, de Leopoliensibus²⁶¹, ac Luceoriensibus²⁶², qui a vera fide aberrant, in viam salutis restituendis, indesinenter cogitare.

²⁵⁹ Vota Mauritius Carolus, Soc. Jesu, origine Italus. Primum in servitio Imperatoris, dein eius repraesentans penes Regem Poloniae Joannem Sobieski, qui ei etiam educationem filiorum commendavit. Magnum influxum habuit in regimen Regni, qui influxus tamen beneficos habuit effectus. In hac veste etiam de unione Eparchiae Peremysliensis curavit. Post mortem Joannis Regis influxus eius multum diminuit, sed usque ad an. 1710-11 permanet Varsaviae ut regius confessarius. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 26 p. 259-262.

²⁶⁰ Innocentius Vynnyckyj (1680-1700). Primum miles, dein monachus in monasterio Unioviensi, denum an. 1680 electus Episcopus Peremysliensis, post mortem Georgii Hošovskyj (+ 1679). Consecratus a Josepho Szumlanskyj, cum quo etiam an. 1681 in Comitiis Varsaviensibus declarationem se uniendi Ecclesiae Catholicae dedit, quod propositum tantummodo anno 1691-1692 ad effectum deduxit. Anno nempe 1691, die 23-VI, in Comitiis Regni Varsaviensibus professionem fidei catholicae publicam emisit. Postea totam Eparchiam ad suam trahere partem conabatur. Anno 1694 in Sambir Synodus dioecesanam congregavit, in qua synodaliter unionem Eparchiae publice proclamavit. Obiit anno 1700 die 24 Februarii. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 347-51.

²⁶¹ Josephus Szumlanskyj (1676-1708), qui unionem suaee Eparchiae anno 1700 sollemniter proclamavit.

²⁶² Dionysius Zabokryckyj, qui anno 1702 Eparchiam suam Ecclesiae Catholicae unit, qua de re Metropolita Kiovensis Sedem Apostolicam litteris suis de data 4-VIII-1702 certiore fecit. Cfr. THEINER A., *op. cit.*, vol. IV, p. 17, nr. 12; J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 327-328. Eam ob causam anno 1710-11 a Petro I, Magno Duce Moscoviae, in captivitatem ductus, tandem anno 1715 in exilio et carcere obiit ut martyr Unionis ecclesiastice.

Immortalibus autem eximiae pietati Maiestatis Tuae, de zelo, quo flagras tributis laudibus, non omittemus impense rogare illum, cuius causam indefessis conatibus promovere contendis, constanterque promotorum non dubitamus, ut reclinatis super te, universamque Regiam Domum tuam inexhaustis beneficentiae suae thesauris, quae sita tibi iam ingentia merita cumulate compensem. Propensos maiorem in modum erga Maiestatem Tuam praeclarissimis hisce nominibus animi nostri sensus, a supra memorato Patre Vota, qui commissa sibi negotia omni solertia, studiisque curavit, quemque Nos ob ipsius singulares virtutes, ac existimatione dignas plane dotes, admodum commendamus, uberius cognosces, carissime in Christo fili noster, cui interim Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, etc., die 20 Septembris 1692,
Pontificatus Nostri Anno secundo.

617.

Romae, 20 . IX . 1692

Metropolitae Kiovieni, petenti concedi sibi Abbatiam Suprasliensem.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 80, fol. 261v-262.

Venerabili fratri Cypriano, Archiepiscopo Chioviensi²⁶³.

INNOCENTIUS PP. XII. Venerabilis frater, salutem etc.

Accepimus literas Fraternitatis Tuae. quibus Nos rogas, ut conferre tibi velimus Archimandriam Suprasliensem²⁶⁴; cum autem huiusmodi negotium matura indigeat inspectione, examinari illud mandavimus admodum plane gavisuri, ubi intelleximus, locum esse gratificandi votis tuis. Persuasum autem habere poteris, propensam Nos, ob perspecta merita tua, erga te gerere voluntatem, magnoque solatio semper futuras occasiones, quae se offrent, eandem voluntatem testatam abunde faciendi Fraternitati Tuae, cui interim Apostolicam benedictionem peramauter impertimus.

Datum etc., die 20. Decembris 1692, etc.

²⁶³ Cyprianus Zochovskyj (1674-1693).

²⁶⁴ Archimandria Suprasliensis, fundata anno 1533 circiter. De hac Archimandria sic habetur in Processu Datariae anni 1694: «Il monastero Suprasliense dell'Ordine di San Basilio Magno in Lithuania fu fondato nell'anno 1533 da Alessandro Giovanni Chodkiewicz, Gran Capitano di Lituania con riserva del Iuspatronato a favore suo, e dei suoi dependenti. Dell'anno 1632 fu fatta con l'autorità del Nunzio una concordia, nella quale fu detto che in caso di mancanza dell'Abbate di detto Monastero li Monaci dovessero eleggere chi li pareva più a proposito de sui gremio, e quello presentare al Padrone, e da Padrone presentarlo a Monsignor Arcivescovo di Chiovia, perchè fusse consecrato, et insti-tuito nell'Abbazia. Di Marzo 1691, essendo vacata detta Abbazia per morte del Padre Giosafat Michniewicz, fu dalli monaci eletto il Padre Simone Ciprianoviz, Protoconsultore dell'Ordine, e Superiore del Convento Zirovicense, la quale elezione fu di Maggio 1691 approvata da Giorgio Carlo Codkiewicz, Gran Capitano di Lituania, e si fece istanza al Metropolita per la conferma et investitura. Ma perchè il medesimo non la volse concedere, anzi, morto il detto Padrone, procurò dalla Madre e Tutori del figlio di esso Pupilo, e Padrone successivo la nomina di detta Abbazia a suo favore... (ASV, *Acta S. C. Consistorialis*, an-1694, fol. 409).

618.

*Romae, 20 . IX . 1692**In eodem negotio Palatino Vilnensi.*ASV, *Ep .ad Principes*, vol. 80, fol. 262.

Dilecto filio, nobili viro, Casimiro Comiti Sapieha,
Palatino Vilnensi²⁶⁵, Supremo Duci Exercituum
Magni Ducatus Lithuaniae.

INNOCENTIUS PP. XII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Indulgentes voluntati, qua Nobilitatem Tuam, ob decora quibus insignis, singulariter prosequimur, examinandam commisimus petitionem, qua ad Nos detulisti, ut conferre velimus Archimandriam Suprasliensem Venerabili fratri Cypriano, Archiepiscopo Chioviensi; Nobis perspecto metipsis gratificaturi, ubi satisfacere poterimus optatis Nobilitatis Tuae, cui interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

619.

*Romae, 20 . IX . 1692**Eodem argumento.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 80, fol. 262rv.

Dilecto filio, nobili viro, Benedicto Sapieha,
Thesaurario Supremo Magni Ducatus Lithuaniae.

INNOCENTIUS PP. XII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Etsi non dubitamus, quin persuasus sis, propensam Nos ad satisfacendum votis Nobilitati Tuae gerere voluntatem, id ipsum tamen tibi testamur occasione Archimandriae Suprasliensis, pro qua ad favorem Venerabilis fratris Cypriani, Archiepiscopi Chioviensis, accuratas ad Nos literas dedisti, peculiari utique efficiendi laetitia, ubi post commissum eiusdem Archimandriae examen cognoverimus, annuere posse Nos Nobilitati Tuae, cui interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae ut supra, etc.

²⁶⁵ Casimirus Sapieha, filius Pauli Joannis, Palatini Vilnensis, primogenitus. Ab anno 1671 Palatinus Polocensis, et ab anno 1682 Palatinus Vilnensis et ipse, nec non Supremus Dux Exercituum Magni Ducatus Lithuaniae. Vir insignis. Obiit anno 1720. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 22, p. 937.

620.

Romae, 22 . IX . 1695

Provisio Ecclesiae Metropolitae Kiovensis in persona Leonis Zalenskyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2051, fol. 364-365v.

**Provisio Ecclesiae Kiovien. Juxta Decretum Congregationis
de Propaganda Fide pro Leone²⁶⁶ Episcopo Vladimirien.
et Bresten.**

INNNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Leoni,
nuper Episcopo Vladimirien. et Bresten. in Archiepiscopum Kiovien. electo,
salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita Ecclesiis praetulit universis plena, vigilis sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet Ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam interdum per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis ac commode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, et Ecclesiarum utilitas persuadet, Ecclesiis singulis, praesertim Metropolitanis, Pastor accedat idoneus et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter diriget, et informet ac bona Eccliae sibi commissae non solum gubernet utiliter, sed et multimodis efferat incrementis.

Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium tunc vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attentari.

Postmodum vero Ecclesia Kiovien., Metropolitana Russiae Ritus Graeci, S.R.E. unita et cui bo.me. Ciprianus Zocouski, ipsius Ecclesiae Kiovien. Archiepiscopus dum viveret praesidebat, per obitum eiusdem Cipriani Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta ad provisionem eiusdem Ecclesiae Kiovien. celerem et felicem, in qua nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et Decreto obsistentibus supradictis, ne Ecclesia ipsa Kiovien. longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae Kiovien. personam utilem ac etiam fructuosam cum Vener. fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus habui-

²⁶⁶ Leo Slubič-Zalenskyj, Episcopus Prothronius Volodimiriensis et Berestensis (1679-1708). Anno 1693 nominatus Administrator Metropoliae Kiovensis et Archiepiscopatus Polocensis, post obitum Cypriani Zochovskyj (1693). Anno 1694 electus Metropolita Kiovensis Zyroviciis. Retinuit etiam Episcopatum Volodimiriensem et Abbatias, quas obtinebat eius Praedecessor in Metropolia. Obiit 21-VII-1708 in Volodymyr. Vixit temporibus sat difficilibus, tempore nempe s.d. Belli Septentrionalis. Multa perpeti debuit. Cfr. Enc. Pow., vol. 28, p. 232-237.

mus diligentem, demum ad te, Episcopum Vladimirien., et Bresten, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum Largitor altissimus insignivit, et quod tu, qui hactenus Ecclesiis Vladimirien. et Bresten. invicem perpetuo canonice unitis laudabiliter praefuisti, dictam Ecclesiam Kiovien. scies, voles, et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae Ecclesiae Kiovien, et illius gregi Dominico salubriter providere, te a quibusvis suspensionis, interdicti, aliquisque ecclasiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum earum serie absolventes et absolutum fore censemtes, a vinculo quo dictis Ecclesiis Vladimirien et Bresten, cui tunc ex concessione Apostolica praeeras, tenebaris, de eorundem fratrum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, et pro quo charissimus in Christo filius noster Princeps Joannes Rex Illustris, nobis humiliter supplicavit ac iuxta Decretum S. Congregationis praedictae S.R.E. Cardinalium negotiis de propaganda Fidei praepositorum emanatum et per Nos approbatum, ad praedictam Ecclesiam. Kiovien. consilio, et potestatis plenitudine similibus transferimus te que illi in Archiepiscopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae Kiovien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad dictam Ecclesiam Kiovien. transferendi licentiam tribuendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos praedicta Ecclesia Kiovien. per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigeatur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa ipsaque Ecclesia Kiovien. Gubernatori provido et fructuoso Administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberioris consequi merearisi.

Quocirca Vener. fratribus nostris Suffraganeis ac dilectis filiis Capitulo et Vassallis dictae Ecclesiae Kiovien. ac Clero et populo civitatis et Dioecesis Kiovien. per Apostolica scripta mandamus, quatenus Suffraganei tibi tamquam membra Capiti obsequentes, et Capitulum tibi tamquam Patri et Pastor animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas ita ut mutua inter te et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus et Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare ac Clerus pro nostra et eiusdem Sedis reverentia te benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipient humiliter et efficaciter adimplere procuret; populus vero te tamquam Patrem et Pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita ut tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassali autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam, et consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in Rebello ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Nos enim tecum ut etiam una cum Ecclesia Kiovien. praedicta quamdiu

illi praefueris dictas Ecclesias Vladimiren., et Bresten., quibus ad praesens praesesse dignosceris, ut prius ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum retinere libere et licite possis et valeas iuxta Decretum praedictum, Generalis Concilii ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate et tenore praesentis, Motu proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine de specialis dono gratiae dispensamus, proviso quod Kiovien. et Vladimiren. et Bresten. Ecclesiae huiusmodi debitis propterea non fraudulentur obsequiis, sed earum congrue suppetentur onera consueta.

Volumus autem quod tu antequam possessionem dictae Ecclesiae Kiovien. adipiscaris in manibus Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi Seleucien. et Episcopi Chelmen., Ritus Graeci, fidei catholicae professionem iuxta articulos iam pridem a dicta Sede propositos emittere iuxta unam, ac fidelitatis debitae solitum iuramentum praestare iuxta alteram formas, quas sub diversis nostris Bullis mittimus introclusas, et professionis a te emissae et iuramenti praestiti formas ad Sedem praedictam cum tui et Archiepiscopi seu Episcopi subscriptione intra praefixum tempus transmittere omnino tenaris. Quibus et eorum cuiilibet per alias nostras litteras committimus et mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te fidei professionem ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum recipient seu recipiat. Praeterea etiam volumus quod tu domus archiepiscopalnis reparacioni pro viribus incumbas et Seminarium ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini instituas, Montemque Pietatis erigi cures, conscientiam tuam in his onerando.

Datum Romae apud S. Mariam Maiores, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, tertio decimo Kal. Octobris, Anno quinto.

Visa de Curia J. Sacripantes
B. Cardinalis Panciaticus
J. F. Morellus scriptor.

621.

Romae, 26 . V . 1696

Laudatur novus Metropolita Kiovensis, Leo Zalenskyj, pro eius studio in promovenda Unione.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 81, fol.

THEINER A., *Vet. Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 763, nr. 767 b.

Venerabili fratri Leoni, Archiepiscopo Chioviensi²⁶⁷,
Metropolitano totius Russiae unito.

INNOCENTIUS PP. XII. Venerabilis frater, saltem etc.

Exuberantis plane argumentum laetitiae hausimus ex literis, quas decima Aprilis dedit ad Nos Fraternitas Tua; ex iis enim quam paratus sis ad de-

²⁶⁷ Leoni Slubič Zalenskyj (1694-1708). Cfr. supra, nota 266.

mandatam pastoralis curae tuae Ecclesiam omni solertia ad studio administrandam, catholicamque religionem impense promovendam effuse deprehendimus. Uberes itaque zelo, quo flagras, laudes tribuimus, firmam in spem venientes perpetuo eas tibi incitamento futuras ad praclarum propositum abunde implendum. Nos sane nulli opportunitati deerimus pios conatus tuos iuvandi, Venerabilis frater, cui interim Apostolicam benedictionem peramanter imperitum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., die vigesima sexta Maii MDCXCVI, Pontificatus Nostri Anno quinto.

622.

Rome, 11 . XII . 1698

Dispensatio Theodori Potocki super eo quod ex genitrice graeca schismatica natus fuerit, ad effectum promotionis ad Ecclesiam Culmensem.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1997, fol. 135rv.

Dilecto filio, Theodoro Potocki, Praesbitero Leopoliensi²⁶⁸,
seu alterius Civitatis, vel Dioecesis.

INNOCENTIUS PP. XII. Dilekte fili, salutem etc.

Catholicae fidei zelus, vitaeque etc. prosequamur. Cum itaque Nos Ecclesiae Culmensi, pastoris solatio destitutate, de persona tua nobis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, auctoritate Apostolica providere, teque, qui (ut asseris) in sacro praesbiteratus ordine constitutus existis, eidem Ecclesiae in Episcopum, et pastorem praeficere intendamus. Tibi vero hac in re sit impedimento, quod ex genitrice graeca, schismatica, natus fuisti, tametsi in catholicae Ecclesiae unitate educatus fueris, in eaque ac huius Sedis Apostolicae communione semper permanseris, nec non Sacrae Thelogiae in Collegio Romano per triennium operam navaveris, sacramque praesbiteratus ordinem huiusmodi a nonnullis annis suscepisse reperiari, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur, Nos igitur te praemissorum meritorum tuorum intuitu spiritualis favore gratiae prosequi volentes, a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum super eo quod ex genitrice schismatica natus fueris, ut praefatur, ita ut illo non obstante, si nullum aliud canonicum tibi hac in re obstet impedimentum, tuque ad id idoneus reperiari, memoratae Ecclesiae Culmensi in Episcopum, et pastorem auctoritate Apostolica praedicta praefici, et sic praefectus illi quoad vixeris praeesse munusque consecrationis suscipere, ac munia pontificalia, et episcopalia obire, et exercere libere et lice possis, et valeas, eadem auctoritate tenore praesentium dono (f. 135v) gratiae dispensamus. Non obstantibus

²⁶⁸ Revera obtinebat Sedem Culmensem ab an. 1698 ad an. 1712, quo anno translatus est ad Eparchiam Warmensem (1712-1723). Dein Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Poloniae (1723-1738). Cfr. Enc. Pow., vol. 3, p. 698 etc.

etc... innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., XI Decembris 1698, Anno 8.

623.

Romae, 23 . V . 1699

Rex Poloniae hortatur ne approbare sinat nominationem Episcopi schismatici Albae Russiae, a Schismaticis extortam.

ASV, Ep. al Principes, vol. 82 fol. 172v-173v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

INNOCENTIUS PP. XII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Quo libentius pridem accepimus Maiestatem Tuam pro ingenti, quo pollet, zelo erga orthodoxam fidem regium assensum suum aliquandiu denegasse restitutioni Pseudo-Episcopatus (f. 179) in Alba Russia, eo molestius novissime intelleximus, ab astu Schismaticorum fuisse tandem extortum, atque ita subversum fuisse, quod a paeclariae memoriae Rege defuncto pro Sanctae Unionis commodo laudabiliter admodum fuerat sancitum. Sane quantum detrimenti a restitutione dicti Pseudo-Episcopatus provenire possit catholicae religioni illis in Regionibus facile pro eximia tua prudentia noveris, et Venerabilis frater, Archiepiscopus Episcopus Ariminensis, noster apud te Nuntius, fusius edisseret; quapropter optamus, ut prono animo eum audias in re tam gravi, teque impense hortamur, ut propriae inhaerendo pietati in proxime habendis generalibus Regni Comitiis rescindi, abolerique iubeas memoratam restitutionem subreptitie obtentiam, et Sanctae Unioni summopere perniciosa, dum Nos Maiestati Tuae fausta ac laeta omnia a Deo precamur, et Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, etc., die 23 Maii 1699, Pontificatus Nostri Anno octavo.



I N D I C E S

INDEX NOMINUM

- Achayensis** Ep. Laurentius, 116
Acquinatensis Ep. Taddeus, 117
Adrianopolitanus Aep. (Nunt Vars.), 544,
 545, 548, 549, 550, 551, 552, 553, 554, 613,
 614, 615
Adriensis Ep. Jacobus, 116.
Agatha Sancta (ecclesia), 154, 155
Agennensis Ep. Johannes, 117
Albertus Aep. Livoniae, 38, 40
Albertus Ep. Plocensis, 282
Albertus Ep. Vilnensis (cfr. Tabor Alb.),
 175, 179, 184, 185, 188, 189
Albertus, Rex Bohemiae, 122
Alborussa natio, 575n
Alexander, Dux Suzdaliensis, 42, 43
Alexander, Magnus D. Lithuaniae, 175, 177,
 179, 180, 183, 185, 186, 199; - Rex Po-
 loniae, 193, 194, 195, 194n, 200n
Alexander VII, Papa, 561 sq.
Alexandriae Patriarcha Philotheus, 118
Alexandrovyč Ivaško, 163
Alexius, frater O.P., ex Bohemia, 33, 34
Aloysius, abbas S. Pauli, 117
Amasiae Metropolita, 118 (Joasaph)
Ambrosius, Gen. O. Camaldulensem, 117
Amedeus Ep. Sabinensis, 129
Anchiali Metropolita Sophronius, 118
Andegavensis Ep. Guillelmus, 116
Andreas, Rex Galiciae et Volhyniae, 55n,
 60n
Andreas, Rex Hungariae, 19n
Angeli S. Ep. Franciscus (Nunt. Varsav.),
 370-400, 401-403, 406-414, 417, 433, 434
Angelottus, Card. S. Marci, 115
Angelus, Abb. S. Michaelis de Pistorio, 117
Angelus, Abbas de Sexto, 117
Anjou Carolus Robertus, 78n
Anna, filia Mstislai, 29n
Antiochenus Patriarcha Dorotheus, 115, 118,
 314, 315
Antonius, Metrop. Russiae (v. A. Sielava),
 524
Antonius, Abbas S. Capraesii, 117
Antonius, Abb. de Altiole, 117
Antonius, Abb. S. Salvatoris, 118
Aquilensis Ep. Amicus, 116
Arcudius Petrus, 274n
Arianensis Ep. Angelus, 116
Ariminensis Ep. Christophorus, 116
Armeni, 171, 182
Arnaldus de Lacaueyna (Cracoviae), 70, 71
Asculanus Episcopus, 203
Assisiensis Ep. Damianus, 116
Athanasius, Abbas monasterii Spectabilis,
 119
Athos, 119
Augustini S. Ordo, 69
Augustus, Rex Poloniae, 670
Ausarensis Ep. Petrus, 116
Avenionensis Aep. Marius (Filonardi), 511,
 512, 517

Bacoviensis Episcopus, 89n
Bakoveckyj Josephus, Mokosij, 483n
Balaban Gedeon, Ep. Leopolien., 238n,
 240, 241
**Balneoregiensis Ep. Laelius (Nunt. Var-
 sav.)**, 348, 352
Balsamon, Michael, 119
Baranowski Albertus, Ep., 282n, 330n, 367
Barbianus Vestrius, 294
Bartholomaeus, Abbas Campitullonis, 117;
 - de Bibona, 117
Basiliani Congr. SS. Trinitatis Vilnensis,
 aliique, 139, 140, 145, 146, 149, 150,
 271, 273, 369, 457, 458, 522, 538, 559,
 583, 585, 589
Basilius, Volhyniae Rex (v. Vasylko), 35n
Basilius, Dux Moscoviae, 120n, 145n
Batu, Chan Mongolorum, 44n
Belorussia, 28n, 146n, 209n
Belsensis Eparchia, 268
Benedicti S. Ordo, 69, 128
Benedictus, Abbas S. Pancratii, 117; - de
 Choneo, 117; - Sanctus (monasterium),
 157
Berestečko (in Volhynia), 554n
Berestensis Unio, 113, 225n, 255n; - Syno-
 dus, 276; - Palatinus, 535
Bernardus, Ep. 261, 264
Bila Cerkov, oppidum in Ucraina, 554n
Bilyj Petrus, 149n
Blaszkowicz Nicolaus, Ep., 153n
Bohemia, 33, 34, 45, 226, 312

- Boleslaus II, Rex Poloniae, 5n, 7, 7n; - Russiae, 60, 35, 69n; - Dux Lithuaniae, 112
 Bolharynovyč Josephus, Metrop. Kiovien., 175, 176, 177, 178, 180, 181
 Bonar Joannes, 201
 Bonifacius PP.VIII, Papa, 59, 90, 134, 141, 204, 272, 444, 619, 653
 Boryslav, Aep. Gnesnensis, 58n, 59
 Braclaviensis Capitaneus, 509n; Palatinus, 554n, 560n
 Breachicensis (Brjansensis) Eparchia, 146, 148, 150
 Brebancia, 115, 117
 Brestensis Episcopus, et Sedes, 257, 267, 271, 272, 276
 Brunsbergense Collegium, 226n
 Burgundia, 115, 117
 Calisiensis Castellanus, 342, 354
 Camenecensis dioecesis, 102, 103, 268; - Episcopus, 353, 367, 415, 451, 637
 Camerina Joannes de, 157
 Camienyecz (Kamenec), castrum, 193, 208
 Camillis Josephus de, 657n, 658
 Caminensis Dioecesis, 56, 58
 Cantusteguto (monaster.), 128
 Cappadox Georgius, 119
 Capuanus Ep. Nicolaus, 116
 Carintia, 7n; - Aep., 611
 Carthaginensis Ep. Antonius, 135, 147, 151
 Cartusiensis convent., 69
 Casaleono M.de, Cardin., 135
 Casertanus Ep., 203
 Casimirus, Rex Poloniae, 7n, 65, 66, 69, 75n, 76, 78n, 93, 95, 140, 146, 147, 148, 150, 155, 156, 167; - Joannes, 543, 554, 555, 560; - Princeps, 505n; - Dux Lithuaniae, 122, 123
 Casminensis Ep. Joannes, 79
 Cathaniensis Ep. 140, 141
 Cavaldimarmo Crescentia, 12n
 Cavalicensis Bartholom., 116
 Cecora, 426n
 Cephalaria, 203
 Cesenatensis Ep. Antonius, 116
 Cesi, Mons. 235, 244, 266, 274
 Ceretensis Ecclesia, 102, 103
 Cernyhir, oppidum, 5n; - Palatinatus, 554n, 560n
 Chalecki Demetrius, Palat., 277n
 Chelmensis Eccl., 91, 93, 94, 95, 96, 102, 103; - Episcopus, 257, 259, 261, 262-264, 267-269, 276-7, 342, 353, 407, 422, 451, 583, 538-9, 636, 652, 668
 Chienensis Aep. (Chievensis, Kioviensis), 157
 Chmelnyckyj Bohdan, Dux, 538n. 543n, 554n
 Chmelovskij Procopius, Ep. Peremysl, 573, 577n
 Chreptovyč Joannes, 194n; - Gregorius, Ep. Polocen., 237, 237n, 238
 Chodkiewicz Joannes Carolus, 342, 354, 363, 389n, 507n, 664n
 Coronensis Ep. Christophor., 116
 Chrysococco Manuel, 118
 Cieczewski Gasparus, Ep., 56
 Ciolek Erasmus, Ep. Plocen., 200n
 Cyprianus Sanctus, 139, 140
 Cisterciensis Ordo, 210; - Ep. Erhardus, 20n; - conventus, 69, 133, 135, 157
 Cizwa Paulus, 166
 Claratumba (monasterium), 210, 211-2
 Clemens III, 12n; - VI, Papa, 75, 79; - Episcopus, 296; - VIII, Papa, 359, 359, 448-458, 593
 Clusinus Ep. Alexius, 116
 Cluniacensis conv., 69, 157
 Cobellutius S., 362, 364-6
 Colosnaviense Collegium in Transylvania, 226
 Colossensis Aep. Andreas 116
 Concordien. Ep. Daniel, 116
 Conezanus Aep. Raymundus, 116
 Conradus, O.S. Augustini, 117
 Constantia, 107-8, 341, 348, 349, 353, 366, 371, 405, 433
 Constantinopolis, 34
 Constantinopolitana Ecclesia, 145n, 155, 181; - Patriarcha, 80, 80n, 115, 145n, 147, 177, 178, 181, 182, 195, 278, 290, 314-315
 Constantinus Ostrožskyj, Dux, 307n, 309, 310, 311, 312-5
 Conversanus Ep. Andreas, 116
 Comuleus Alexander, 234, 234n, 235, 295
 Cornvgaglio Computio, 235
 Corinthi Aep., Nunt. Varsav., 593-599, 600-3, 608, 609, 610, 612, 631, 634-640, 642-3
 Corphiensis Aep., Franciseus, 152; Ecclesia, 151, 152, 158, 159
 Cosacchi, milites, 234, 440-443, 447-8, 451, 453, 538n, 543-5, 554, 560n, 608-610, 611-2, 620, 654
 Cracovia, 7n, 21, 211
 Cracoviensis Ecclesia, 70, 76, 210; - Episcopus, 7n, 65, 89, 91, 94, 95, 97, 98, 193, 261n, 299, 300, 331, 342, 348, 349, 353, 366, 376, 412, 417, 509, 527, 602, 634; - Castellanus, 193, 285, 289, 302, 335, 354, 367, 391, 530; Palatinus, 327, 328, 334, 342, 348, 350, 354, 367, 380, 397; - Academia, 537
 Cretensis Aep. Fantinus, 115, 181
 Crimea, 233n, 234n

- Croatia, 524n
 Cremonensis Joan. de, 130
 Cuiaviensis Ep., 265, 282, 349, 403, 413n.
 420n, 637, 638n
 Culmensis Eccl., 146, 148, 150; - Palatinus, 382, 396, 425; Episcopus, 353, 367, 413, 415, 547, 614, 615, 623, 635
 Cyprianus, diaconus OSBM, 439, 439n
 Cyzici Metrop. Metrophan., 118
 Czarnkowski Adamus, 382n
 Damaslaus, P.P., 20
 Damiatae Archiep. Angelus, 621n ,622-626
 (Ranuzzi)
 Daniel, Abbas de Saviliano, 117
 Daniel, Rex Galiciae et Volhyniae, 19, 19n,
 28n, 30, 31, 32, 33-39, 42, 43, 44n, 49-51
 Danilowicz Nic., Joannes, 383n, 535
 Daynensis Ep. Joannes, 117
 Dedko Demetrius, Pal. Peremysl., 65, 65n,
 66, 69n
 Demetrius Joan., Aep. Leopol., (Solikowski), 260, 264, 277
 Demetrius, Rex Russiae (Izjaslav), 5, 5n
 Demetrius Sanetus, 146, 150, 155 (monasterium)
 Dignensis Ep. Petrus, 116
 Dionysius Abban S. Mariae de Bono, 118
 Dionysius Ep., 257, 267, 269
 Distrae Metrop. Callistus, 118
 Dnipro, flumen (Borysthenes, Dnieper,
 234n
 Dobieslaus Sowka, Ep. Plocensis, 91n
 Dobroniha, fil. S. Volodymyri Kioviensis,
 7n
 Doctorius Lucas (Doktorowicz), 241, 244n
 Doldius, Baronus, 122
 Dominicus, Card. S. Mariae, 115
 Dorotheus, Montis S. Vatopedii, 119
 Dowdialo Joannes, Ep. Vilnen. 563, 563n
 Drama Metrop. Dositheus, 118
 Dubrauca, Regina, uxor Vasylconis, 40, 41
 Dzialynski Mich., Pal. Beresten., 354
 Elisabeth, Regina Hungariae, 78
 Erasmus, Abbas, 211, 212
 Erasmus, Plocensis Ep., 200
 Esai, Propheta, 181
 Estonia, 15, 29, 30, 31, 32
 Ethiores, 178
 Eufemia, Regina, 55n
 Eugenius IV, Papa, 109 sq., 195, 201, 217,
 Euphemia - Ofka, uxor Volod. III, 70n
 Eusebius, 522
 Euxinus Pons, 234n
 Farenensis Ep., Thonas, 116
 Ferrariensis Ep. Johannes, 116
 Fesularum Ep. Benotius, 116
 Fidelis C., 151, 156
 Fimaniolicz Petrus, 275
 Firlej Henricus, Episc., 375n, 403n, 417n;
 - Nicolaus, Palat. Cracov. 284
 Flandemiria (Volodimiria), 59
 Flora campi (Romae), 222
 Florentia, 112sq.
 Florentinus Aep. Ludovicus, 116
 Florentinum Concilium (Synodns), 113,
 114, 127, 137, 175, 176, 178, 179, 180,
 181, 186, 187, 195, 201, 203, 207, 218,
 257, 258, 360, 619; - Unio, 113, 120n,
 199n
 Foliae Episcopus, 135
 Franciscus, Abb. S. Leonardi, 117
 Franciscus, Abb. S. Mariae de Pactiano, 117
 Franciscus, Abb. S. Clementis, 115
 Fredericus, Abbas de Berceto, 117
 Fredericus, Abb. S. Pantaleonis de Luca,
 117
 Fredericus, Card., 188, 189
 Frigenus Petrus, 158, 159
 Fulginatenus Ep. Franciscus (Nunt. Vars.),
 326, 327, 328, 330, 331, 332, 333,
 334, 335, 336, 337, 339, 341, 342,
 343, 344, 345, 346
 Gabriel, Abbas de Pontida, 118
 Galatae, 56, 57, 59
 Galicia, Regnum, 28n, 29n, 32
 Galinski M. canonicus, 643
 Gallicensis Eccl., (Haliciensis), 139, 146,
 148, 150
 Gasztold Stanislaus, 194n
 Gedeon Ep., 257, 267, 269
 Gedyminus, Princeps Lithuaniae, 56, 70n
 Gembicki Laurent., Aep. Gnesn., 372n,
 412n, 420, 441-442, 527 (Petrus)
 Gennadius Metrop. Gan. 118
 Georgius, II, Rex Galiciae, 69; - I, 65n
 Georgius Suzdaliensis, 35n, 41n
 Georgius, Abbas de Ferentino, 117; - de
 Eugubio, 118; - Cappadox, 119
 Gerasimus Metrop. Kioviensis,
 Germania, 94n, 122
 Germanus, Abbas S. Basilii, 119
 Gerontius, Abbas Christi Regis, 119
 Gertrudianus Codex, 6n
 Gnesnensis Aep., 58, 59, 69, 70, 89, 91,
 94, 95, 97, 98, 108, 280, 342, 348, 349,
 353, 366, 367, 372, 392, 411, 420, 450n,
 451n, 497, 501, 526, 546, 547, 562, 602
 611, 613, 633; - Castell., 189n
 Godziemba Dabski Stanislaus, 636n, 637n
 Gometius, Abbas Florentinus, 117
 Gomolinski Jelita Ep., 264n, 277n
 Gondae, Abbas, 118
 Gostomski Thomas, 424n

- Goslicki Laurentius, Ep. 263n
 Gradensis Patriarcha Marcus, 115
 Graeca Ecclesia, 113, 120, 460; - Natio, 207
 Graeci, catholici, 102, 120n, 127, 171, 181,
 182, 186, 187, 437, 439
 Graecorum Collegium, 356, 357, 360; -
 Imperium, 12; - Ritus, 561, 562, 563,
 564, 575; 20, 29, 30, 31, 127, 166, 171,
 178, 181, 187, 201, 207
 Granatensis Ep., 116
 Grandimontensis conventus, 69.
 Grassensis Ep. Antonius, 116
 Gregorius Card., 11, 12n; - IX, Papa, 37n
 Gregorius Protosyncellus, 118; - II, Metrop.
 Kiovien., 145n, 147, 148, 149, 150, 157
 Gregorius de Sanok, 153n; Abb., 156; - Do-
 minicanus, 322; - XIII, Papa, 300; - XV,
 Papa, 435sq.
 Guillelmus, Abbas Burdegalensis, 117; -
 Fr. Minorum, 117
- Hadiacensia pacta, 560n, 569n
 Haliciensis Ecclesia, 91, 93, 94, 95, 96,
 98, 102, 103, 138n, 153, 257, 273, 296,
 297, 298, 519, 520, 521, 617
 Halyč, civitas, 12n, 29
 Helena, uxor Vasylkonis, 35n, 41
 Helena, Regina Poloniae, 184, 185, 186,
 188, 189, 194n, 195, 199n
 Henricus, Rex Germaniae, 5n; - Ord.
 Praed., 56
 Henricus de la Grange d'Acquien, 631n
 Heracleae Metrop. Antonius, 118
 Hierosolymitanus Patriarcha, 115, 449
 Hohol Jonas, Ep. Pinscen., 227, 237n, 238,
 240, 241
 Hošovskýj Georgius, 663n
 Hungaria, 12n, 27, 29n, 122
 Hypatius Potij, Metrop. Kioviensis, 257-8,
 260, 262-5, 267, 269, 271, 292, 293, 295,
 296, 299, 319, 320, 325, 344, 345, 346, 347,
 350, 351, 355, 360
- Illyricum, 234, 235
 Innocentius, PP. III, 476
 Isidorus, Metropolita, Cardinalis, 119n,
 129, 133, 135, 139, 140, 142, 145, 148,
 150-154, 155-159
 Italia, 151
 Izjaslaus-Demetrius, Princeps Kioviensis,
 5, 5n, 6n, 7, 7n
- Jablonowski Stanislaus, 649
 Iacobus, Abbas de Massa, 117; - de Fa-
 ventia ,117; - S. Salvii, 117
 Jacobus, O.P., 20; - Apostolus, 165
 Jakub Nicolaus, Comes, 151, 157, 158
- Jagello VI., Rex Poloniae, 101n, 107n,
 172n
 Januensis, 34
 Janusius (v. Ostrožskyj), 285, 289, 302,
 306, 310, 312, 315, 326
 Jaropolk-Petrus, filius Izjaslai, 5, 5n, 6n
 Jaroslav Sapiens, Kioviensis, 5n
 Jazloveckyj N., 233n
 Ierosolymitanus Patriarcha, Joachim, 115,
 118
 Ierusalem, 11
 Joachinus, haereticus, 181
 Joannes Basilides, Dux Moscoviae, 194n,
 195n
 Joannes Casimirus, Rex Poloniae, 572, 576,
 579, 180, 581, 589, 631
 Johannes PP. XXII, 53 sq.; - PP. XXIII,
 99 sq.; - Hierosolym., 70
 Johannes, Abbas de Ripollis, 117; - Far-
 fensis, 117; - Tyro, 117; - Mart. Cordu-
 bensium, 117; de la Ficarra, 141; - de
 Oliverio, 141; - Praesbyter, 89
 Johannes Moscoviae Dux, 194
 Jona, Archimandrita Moscoviae, 145, 148,
 150, 151, 155, 267, 269
 Josaphat Sanctus, Aep. Polocensis, 447n,
 448, 500, 501, 502, 504, 509, 516, 522
 Josephus, Aep. Kioviensis (v. Rutskyj J.)
 Justinianus Josephus, 235, 244, 266, 274
 Julianus, Card. S. Sabinae, 115
- Kamenev (Podilskyj), 193, 207
 Karnkowski Stan., Ep., 248n
 Kazimirski Christoph., 402, 416n
 Kiovia (v. Kyjiv), 23n, 29n, 200n
 Kioviensis (Chioviensis) Archiep., 365,
 468, 469, 471, 472, 479, 481, 483, 494,
 495, 652-3; - cives, 5n, 6n, 22; - homi-
 nes, 176; populi, 180
 Kioviensis Metropolitana Ecclesia, 56, 57,
 58, 139, 145, 146, 147-9, 155, 182, 292,
 295, 296, 299, 304, 350, 351, 352, 497,
 519, 520, 521, 589, 580, 581-2, 616, 617,
 6188-9; - Episcopus latinus, 296, 297-8,
 353, 367, 402, 416, 452, 358, 637
- Kioviensis Metropolita, 112, 119, 120, 121,
 122, 147, 150, 156, 305, 306, 319, 320,
 321, 339, 404n, 437-443, 359-462, 498,
 503, 513n, 515, 516, 517, 530n, 538, 567,
 573, 578, 582; - Palatinus, 304, 326, 329,
 333, 334, 349, 350, 354, 367, 385, 530,
 532, 554n, 560n
- Kiszka Stanislaus, Ep. Samogitiensis, 423n
 Kobrinensis Archimandrita, 267, 269; -
 Synodus, 464
 Kolenda Gabriel, Metrop. Kiovien., 567n,
 573, 57, 581, 585, 613-619, 626, 640

- Kopystynskyj Michael, Ep. Peremyslien., 238, 240
 Koributh Michael, Dux, 536
 Korec, Koreckyj, Dux, 470, 534
 Korsak Raphael, Metrop., Ep. Halicien., et Pinscen.,
 Korycinski Petrus Ep., 635n
 Kosynskyj Christophorus, 233n
 Kotowicz Alexander, Ep. Smolenscen., 643n
 Krasinski Stanislaus, 386n
 Kreuza Leo, Aep. Smolenscen., 472n
 Kriski Albertus, 388n; - Fabius, 354
 Kryptoferres Abbas, 117
 Kyjiv, civitas 5n, 6n, 22, 23; - monasterium Grottarum, 273
 Kysil Adamus, Palatinus Kiov., 530, 530n, 531
 Kuczborski Joannes, 413n
 Kuremsa, dux Tartarorum, 44n
- Lacedaemonos Metrop. Method., 118
 Lacidiensis Praeposit., 165
 Ladimiriensis Ecclesia (Volodymyr.), 80, 81, 91, 93, 95, 96, 588
 Ladislaus, Dux Poloniensis, 93, 95
 Lamburga (v. Lviv)
 Lanciciensis Palat., 342, 349, 354
 Larissenus Aep., Nuntius, 489, 490, 576, 577, 578
 Lateranense Concilium, 19n, 147, 158, 272, 361
 Lancellotti Joan., Ep. Nolanus, 441, 442, 443, 444, 448
 Lanckoronski Vespasianus, 637n
 Laudensis Ep. Nuntius, 560, 561-574
 Laurentius, Ab. de Culros, 117
 Lechia, 120
 Legionensis Ep. Johann., 116
 Lemberg, v. Lviv
 Leo II, Princ. Galiciae, 55n, 60n
 Leo PP. X, 207 sq
 Leonensis Ep. Guill., 117
 Leontius Pelczykyj, Ep. 267, 269
 Leopoliensis Eccl., Aep. et Ep. 102-3, 136, 153, 164, 165, 199, 257, 260, 262, 267, 268, 269, 276, 307, 342, 348, 349, 372, 404, 421, 638, 640
 Leopolis, civitas, 89n, 92, 93 (Lviv)
 Leszczyński Venceslaus, Ep. Warm., 562
 Lestco, Poloniae Rex, 35
 Lippay Georgius, Aep. Strigon., 559
 Lipski Andreas, 413n; - Costantin., 638n
 Lithuanii, gens, 70, 77, 78, 90
 Lithuania, Ducatus, 85, 119, 120n, 123, 145, 146, 148, 149, 150, 171, 193, 194, 200n, 209n, 208, 234n; - Magnus Dux, 175, 179, 180, 183, 185, 186, 189, 210n; - Cancellarius, 333, 335, 336, 380, 400, 404, 425, 429, 615, 632; - Episcopi, 564, 565, 570, 621
 Livonia, 15; - Aepiscopi, 31, 37, 39; Palatinus, 349, 350
 Lokietek Vladislaus, Rex, 78n
 Lombardia, 156
 Loszko Gregorius, 182
 Lubartus Demetrius, Dux Lithuaniae, 69n, 70
 Lubienski Mathias, Aep., 415, 526n, 546n
 Lublinensis Palatinus, 349, 350
 Lubucensis, Lubusensis, Eparchia, civitas, 20n, 40, 49, 58, 59, 92-96
 Lucas, Ab. Ferarien., 117; - S. Mariae in Alpibus, 117
 Lucensis Eccl., 97, 156
 Luceoriensis Ep. latini et orient. Ritus, 187, 205, 257, 258, 259, 260, 262-265, 267, 269, 270, 276, 281, 288, 289, 312, 342, 349, 353, 367, 377, 413, 420, 449, 511, 637
 Ludovica Maria, Regina Poloniae, 545, 561, 569, 576
 Ludovicus, Rex, 94n, 95
 Lugdunense Concilium, 28n, 29n
 Luschocensis Ecc. (Luceorien.), 146, 148, 150
 Lviv, civitas in Ucraina, 80n, 89n, 90, 92-3, 98, 102, 135, 136
 Lyvonia, 119, 120
- Macedoniae exarchus, 118
 Maciejowski Bernardus, Ep. Luceor., 239, 239n, 261, 277n
 Macoviciana Arc., 312
 Madalinski Bonaventura, 638n
 Magnanovogarda, civitas, 107
 Mainardi Girolamo, 266
 Mäjaspina Germanicus, Nunt., 235n
 Manelli Andreas, Abbas, 133
 Montaltus Card., 298
 Marallus M. A., 539
 Maria Casimira, Regina Poloniae, 631
 Martinus V, Papa, 104 sq
 Martyškevč Stephanus, Protoarchim., 652n
 Massanus Ep. Petrus, 116
 Massensis Ep., 230
 Masoviae Dux, 77, 78; - Palatinus, 354, 395n, 424
 Mednicensis dioecesis, 181
 Messanensis dioec. et Ep., 133-5, 140
 Methodius, Ep. Chelmen. (Terleckyj), 524, 534, 535, 537, 538
 Mezzano Abbas de, 44 (Opizo)
 Michael, (Rahoza), Metrop. Kiovien., 276, 277, 287, 260-269, 359, 369
 Michael, Rex Poloniae, 613, 617, 620, 626
 Mieszko I, Rex Poloniae, 5n, 6n

- Mingovh, Dux et Rex Lithuaniae, 29n
 Minorum Ordo, 76, 77, 85, 92, 171, 188
 Minski Stanislaus, Palat., 285
 Mitylenensis Ep. Dorotheus, 118
 Minsensis dioecesis, 80; Episcopus, 80
 Mogila (monaster.), 210
 Mohyla Andreas, capit. Cosacorum, 654; - Petrus, Metrop. Kiovien., 510n, 530n, 531
 Moldovalachiae Metrop. Damianus, 118
 Monembasiensis Metrop. Dositheus, 118
 Montis Piani, Abbas, 117; - Regalis, Ep. Aymericus, 116; - Athos, Moyses, 119
 Moravia, 45
 Morinensis Ep. Johan., 115
 Morochovskyj Joachim., Ep. Volodimir, 360n, 361, 362, 472, 483n
 Mosca, urbs, 561, 575
 Moschi, Moscovitae, 194, 208, 225n, 226, 227n, 340; Metrop., 145n, 167, 180
 Moscovia, Ducatus, Dux, Princeps, 120, 184n, 194, 194n, 195, 195n, 538
 Mscislaviensis Palatinus, 509
 Mstislav, 29n
 Munkacs (Mukačevo), Eparchia, 559, 657n, 658
 Mutinensis Ep. Guill., 15n, Scipio, 116
 Mychalovyč Gregor., Ep. 472n
 Mykošynskyj, Dux Cosacorum, 233n
- Nalyvajko Severianus, 233n
 Nerli Franciscus, 613n
 Nicaeae Archiep. Bessarion, 118
 Nicephorus Graecus, 448
 Nicephorus, Praesb., 439, 439n
 Nicolaus Ruthenus, Ep. Perem., 75, 76, 78, 79
 Nicolaus de Crozna, Ord. Min., 76, 89
 Nicolaus de Melisac, 85
 Nicolaus, Card. S. Crucis, 115
 Nicolaus, Abb. S. Modesti Benevent., 117
 Nicolaus V, Papa, 125 sq.
 Nicomediae Metrop., 118
 Nivernensis Ep. Johannes, 115
 Nolanus Ep. (Nunt. Vars. Johannes Bapt.), 449, 450, 451, 452, 453-455
 Nowak Nicolaus, OSBM, 462, 463
 Novhorodenses, 6n
 Novhorodok, 499n
 Novogrodecense oppid., 499
- Olica, Dux, 493, 529
 Olomucense Collegium, 226n; - Episcopus, 51n
 Olszowski Andreas, 633n
 Onysymovyč Alexander, Praesb., 575
 Opalinski Andreas, 373n, 410n, 418n - Lucas, 529
- Opataw, 58; - Eparchia, Ep. Gerhardus, 20n
 Opuliensis, Dux, Vladislaus, 98
 Orbensis, Ep. Johannes, 116
 Orientalis Ritus, 97
 Orišovskij Joannes, 233n
 Orlamünde Cunecunda de., 6n
 Ortanus et Castellanus Ep. Valentinus, 116
 Osiliensis Ep. Joannes, 117
 Ossolinski Georgius, 496, 506, 507n, 525
 Ossolinski Zbigneus, 387n
 Ostiensis Ep. Antonius, Card. Bononien., 115
 Ostrogia, oppidum, 607, 608
 Ostrosiensis Episcopus, 257, Eparchia, 267
 Ostrožska Anna Aloisia, Ducissa, 507, 514n
 Ostrožskyj Constantinus, Dux, 209n, 448n
 Ostrožskyj Janusius, Castel. Cracov., 255n, 285, 343, 347, 384n, 396n, 391n
 Ostrorog Joannes, 431n; - Nicolaus, 533
- Pac Casimirus, 565, 635n, 632n
 Počapovskyj Hieremias, 472n
 Pachomius, Abbas S. Pauli, 119
 Paduanus Ep. Petrus, 116
 Palaeologus Joannes, Imperator, 113, 118, 122
 Pallavicini Opitius Aep. 644, 646, 650, 651, 652
 Panygrotta de Urbe, 128
 Parentinus Ep. Angelus, 116
 Paschasius, Abbas S. Sepulchri, 117
 Paulus Beatus, 567
 Pečarensis Archimandria, 273, 304
 Peđerskyj Antonius, 273n
 Pelčyckij Leontius Ep. Pinscensis, 237, 237n, 238
 Petrus, Abbas de Florentia; - Apostolus, 179, 257, 289, 531, 567, 571; - Ruthenus Aep. 28n; - Carmelitanus, 319; - Volodimiriensis Ep. 80
 Piano Joannes de Carpino, 29n
 Pinscensis Ep. 257, 267, 269, 500-510, 513, 516, 519
 Pisanus Aep. Julianus, 116
 Pigas Meletius, 278n
 Pistoriensis, 117, 211
 Placidus, Vallis Umbrosae, 117
 Pliscon, civitas 107
 Plocensis Castellanus, 354, 367, 388; - Episcopus, 91, 94, 95, 97, 98, 282, 342, 348, 349, 353, 367, 375, 403, 417, 547, 638; - Palatinus, 354, 367, 386
 Plock, 403, 413n
 Poczampow Alexandrowycz Ivaško, 163
 Podbereskyj Hadrianus, 478n
 Podlachiae Palatinus, 342
 Podolia, 538n

- Podwalle, 56, 58
 Polimscensis Eccl. 148, 150
 Polissja Eparchia, 97
 Polocensis Archiep. 267, 269, 455, 456, 565,
 567, 573, 575; - Ecclesia 579, 580,
 617, 618, 640n
 Polocensis Ep. 257, 268
 Polonia, 5n, 6n, 20, 21, 27, 29n, 45, 65,
 69, 70, 76, 94, 95, 101, 107, 111, 171,
 184, 193, 194n, 199, 200, 200n, 208, 209n,
 211, 406, 431, 461, 490, 522, 529, 544,
 609, 610, 622, 623, 632
 Poloniae Episcopi, 193, 262, 264
 Polozk, 5n
 Poluschicensis (Polocensis) Eccl., 146
 Pomoravia, 45
 Portuensis Ep. Berengarius, 58, 115, 181
 Portugalensis Ep. Antonius, 116
 Poznaniensis Castellanus, 354, 367, 391,
 419n; - Episcopi, 210n, 263n, 283, 342,
 348, 349, 353, 367, 373, 410, 418, 451n,
 503, 636; - Palatinus, 342, 348, 350, 357,
 384, 396, 431, 450n
 Potij Hypatius, Ep. Volodimiriensis, 237,
 237n, 238, 239, 254, 256; - Joannes, 585n,
 589n; - Petrus, 298, 299
 Potocki Andreas, 648, 669
 Praedicatorum Ordo, 20, 20n, 21, 22, 33,
 76, 127, 188, 321, 322
 Praemonstratensium monast. 157
 Pragense Collegium, 226n
 Prażmowski Nicolaus, Aep. Gnezen.,
 593n, 594n, 602n, 613n
 Premisiensis Capitulum, 76; - Clerus, 76;
 - Dioecesis, 75n; - Ecclesia, 75, 76, 79,
 91, 93, 95, 96, 102, 103, 146, 148, 150,
 577, 578, 646; - Episcopi, 153, 257, 262-
 269, 353, 375, 406, 419, 450, 526, 638
 Pretficz Jacobus Castellanus, 311, 315
 Próchnicki Joannes, Aep., 372n, 404n,
 421n
 Propaganda Fide Congregatio, 458, 574,
 581, 583, 616
 Prosper Card. S. Georgii, 115
 Prus Olszowski Andreas Ep., 614n, 615n,
 635n
 Prussia, 15n, 29n, 30, 31, 32, 37, 38, 42
 Pstrokonki Matthias, Cancellarius, 324n
 Radoszewski Boguslaus, Ep. Luceor., 501n,
 501
 Radziwill, Cardinalis, Georgius, 239, 239n,
 240
 Radziwill Helena, 208, 209, 210, 211, 212
 Radziwill Nicolaus Christoph., 208n, 209n,
 277n, 385n
 Radziwill Stanislaus, 529
 Rahoza Michael, Metrop. Kiovien., 237,
 38, 239-243, 248-252, 254-5, 273, 296n
 Rangone, familia, 289, 290; Claudius, Ep.
 Regien., 287, 288, 289, 290, 292, 295, 301
 Ravensis Palat., (Grudzinski), 354; 408,
 429
 Regiensis Ep. Claudius (v. Rangone),
 289, 298, 302, 303, 304
 Rhodi Metropolita Nathanael, 118
 Ritus Ruthenus, 20, 178, 208, 211
 Romanus, Rex Galiciae et Volhyniae, 29n
 Romanorum imperator, 113, 118, 122
 Rodulphus (Rudolphus), Roman. impera-
 tor, 229, 230, 233n, 234n, 312
 Rosa Andreas, Praep. Lancien., 165
 Rotošynkyj Parthenius, Ep. Munkacsien.,
 559, 559n
 Rozražewski Hieronymus, Ep., 265n
 Roxolana gens, 538
 Rudnicki Simeon, Ep. Warmien., 374n,
 410, 419
 Russia (Ruscia), 22, 23, 28, 31, 98, 176,
 180; - Ecclesia, 129, 139, 146, 148, 155; -
 101, 102, 107, 108, 119n, 120, 121, 129,
 145, 146, 147-150, 157, 164, 171, 175, 193,
 194, 208, 264, 357, 358, 369, 383, 437,
 438, 439-443, 447, 448, 449-452, 454,
 457, 522, 579; - Russiae Rex, 15, 19, 30;
 - Palatinus, 342, 354, 367, 401, 430, 527;
 - Metropolita, 498, 499, 503, 519, 581,
 585; - Cardinalis, 119n
 Ruthena terra, ducatus, 69, - ditiones, 167;
 - regio, 225, 271; - natio, 167, 257, 264,
 269, 272, 290, 304, 347, 355, 356, 357,
 359; - Ecclesia, 145, 146, 148, 155, 157,
 158 etc. 439, 440, 441, 442, 447,
 448, 463, 464, 565-6, 569, 570, 571, 574,
 576; - us Archiepiscopus, Petrus, 28n,
 Gerasimus, 112, Isidorus, 122
 Rutheni (ut populus) fere im omni docu-
 mento, ut substantivum vel adiectivum
 venit. Ideo omissum in Indice.
 Ruthenorum ritus, 20; - duces, 55; - Me-
 tropolita, 308, 321, 327, 328, 334, 335,
 336; 615, 616, 633, 635, 636; - unio, 290,
 291, 303, etc. 610, 611, 612, 620, 621-626,
 633-636, 638 etc.
 Rutskyj Josephus Velamin, Metrop. Kio-
 viensis (1613-1637), 350, 355, 356n, 357-
 360, 362-363, 366-368, et totius Russiae,
 437, 437n, 438, 439, 440-444, 472n,
 524n
 Rurikidae Kiovienses, familia regnans in
 Russia Kioviensi, 208n
 Rzeszowski Joannes, Aep. Leopol., 102n
 Sabinensis Card., Ecclesia 119n, 129, 134,
 135, 136, 139, 140, 145, 148, 150, 151,
 154, 155, 158, 257
 Salubriensis Ep., 80

- Salvator S. Ecclesia, 267, 269
 Salvatoris monasterium, 271, 71
 Samborensis, Episcop., 268
 Sambus Josaphat, 217, 218
 Samogitiensis Episcopus, 187n, 401; 423,
 505, 635
 Samołjowyc Joannes, 654n
 Sandomiria, 58n; - Castellanus, 390; - Pa-
 latinus, 381, 507n, 367, 354
 Sapieha Ivaško, 177
 Sapieha Leo, 255n, 277n, 303, 319, 320,
 343, 346, 354, 364, 380n, 534, 536; -
 Alexander, 626n; - Casimirus 665n
 Sarbia, 45
 Sarnowski Stanislaus, 637n, 638n
 Sarzanensis dioec., 118
 Sebastiensis metrop., 118
 Senensis Ep. Carolus, 116
 Sepulerus, abbas de Uzzano, 117
 Serbia, 524n
 Seret, civitas, 89n
 Seretenensis Ep. 199
 Sergius S. 574
 Severia ducatus, 340
 Siecinski Stanislaus, 375n, 406n
 Sidensis metrop. 118 8
 Sielava Antonius, Metrop. Kioviensis, 472n,
 519n, 578n, 579, 581
 Sigismundus I Stary, 122, 200, 208, 209, 210,
 211, 212, 238, 242, 247, 248, 252, 253,
 254, 255, 256, 257, 258, 262, 263, 264,
 266, 277, 280, 280n, 281, 282, 283, 284,
 285, 286, 287, 288, 289, 290, 291, 292,
 294, 297, 298, 300, 301, 304, 305, 308,
 311, 314, 324, 327, 330, 337, 338n, 339; -
 347, 352, 362, 366, 370, 407, 414, 433, 437,
 440, 447, 455, 456, 459, 463, 465, 479,
 480, 483, 486n, 504n, 505n, 506, 522
 Silesia, 58
 Simonetta Franciscus, Nunt. Vars. 323n
 Siradiensis Palat., 354
 Sistaricensis Ep. Julianus, 117
 Skotnik Jaroslaus, 89n
 Smolenisquicensis (Smolensensis) Eccl.,
 146, 148, 150
 Smotrycyj Meletius Aep. 467, 482
 Sobieski Jacobus, Princeps 527; - Joannes
 III, Rex, 631n, 642n, 650, 651, 654, 663,
 667
 Societas Jesu, 357, 358, 637n
 Solikowski Joannes, Aep. Leopolien, 239,
 239n, 260n, 277n
 Sophia, Regina Poloniae, 111
 Sopega Johannes (Sopicha) 175, 177, 178,
 (Sopyeha) 179, 180, 182n
 Spalatensis Aep. Bartholomaeus, 115
 Stanislaus, Princeps 167; - Dux Poloniae 426
 Stembergh Anna (Ostrožska) 365
 Strepa Jacob Aep. 96n
- Strigoniensis Aep., 559
 Stroza P. 337, 338, 339, 341, 342, 344, 345,
 346, 347
 Suecia, natio 257
 Sueciae, Rex, 290, 291, 292, 299, 304
 Suprasliensis Cap., 582
 Suprasliensis Archimandrita, 664n, 665
 Sudsalensis Epis. Avraam, 119
 Susza Jacobus, Episc. Chelmensis, 573, 573n,
 642n
 Suzdal, Princeps, 19n
 Svjatopolk, 6n
 Svjatoslav, 5n
 Svystelnycyj Eustachius, 641n
 Szeptickyj B., Archimandrita, 642n
 Szumlanskyj Josephus, Episcopus Leopol..
 641n, 642n, 644, 645, 646, 647, 663n
 Szyszkowski Stanislaus, 375n, 376n, 412,
 417n, 443n
 Syropulos Silvester, 119
- Tabor Albertus, Ep. Vilnensis, 175, 181n,
 185
 Tarnowski Joan., Ep. Posnanen., 283n
 Tarnowski Sophia, fil. Castel. Cracov.,
 309n
 Tartari, 42-45, 51, 57, 65, 98, 193, 199,
 207, 308, 441, 543, 554
 Tartaria, 171
 Terleckyj Antonius, 577n; - Cyrillus, Ep.
 Luceorien., 237-243, 245, 247-249, 250-254,
 256, 266; - Methodius, Ep. Chelmen.,
 524n
 Theatinus Ep. Joann. Baptista, 116
 Theodosius Pečerskyj, Sanctus, 273
 Theophanes, Patr. Constantinop., 278n;
 Hierosolymitanus, 447, 447n, 448
 Thraciae exarchus, 118
 Thurensis ecclesia, 97
 Tiburtinus, Ep. N., 116
 Timotheus, Abbas S. Andreae de Mantua,
 118
 Tornoviensis Ep. Ignatius, 118
 Torokanense capitulum, 582n
 Tovtivil, princeps Lithuaniae, 29n
 Tranensis Aep. Latinus, 116
 Transilvania, 226
 Trapezuntinus A., 135, 139, 140, 142, 153,
 155
 Trapesunti Metropolita Dorotheus, 118
 Trecensis Aep. Petrus, 117
 Trevesinus Ep. Ludovicus, 116
 Tridentinum Concilium, 294
 Trocensis Palatinus (Lithuania) - Janusius
 Tyszkiewycz, 349, 350, 509
 Trojdenovyc Boleslaus-Georgius, 60
 Trojdenus I de Masovia, 65n
 Tricharicensis Ep. Nicolaus, 116

- Tryzna Teophilus, 535
 Trzebinski Alexander, 526n
 Trzebicki Andreas, Ep. Cracovien., 561, 603, 634n
 Tudens Ep. Gargias, 116
 Turcae, 147, 155, 156, 181 199, 200, 208, 225, 275, 441, 247
 Turoviensis Ep. et Eccl., 6n, 146, 148, 150, 257
 Tylicki Petrus, 31ln
 Tyssarovskij Eustachius, Ep. Leopol., 323
 Tyszkiewicz Georgius, Ep. Methonen., et Vilnensis, 466
- Ucraina, 5n, 20, 28, 98, 113, 146n, 193, 199n, 207, 209n, 255n, 538n, 543n, 554n, 559n, 560n, 575n
 Ujejski Thomas, Ep. Kiovien., lat., 637n
 Ukasno, oppidum, 178
 Ulricus, 22, 23
 Unghari, 208
 Ungharia (Hungaria), 312
 Unita Ecclesia, 343, 348, 353, 524n
 Urbanus VIII, Papa, passim, post 445 sq.
 Usbek, chan tartarorum, 65
- Wacker Joannes, 233n
 Valachi, 171, 208
 Valachia, civitas, 85 89n, 171
 Valachiensis Episcopus, 199
 Valvensis Ep. Bartholom., 116
 Warmiensis Ep. Petrus, 311; - Simeon, 342, 353, 367; 374, 410, 419; 636
 Varsavia, 341, 342, 343, 407n, 415n, 613n, 621n
 Warzicki Stanislaus, 354
 Vascovech Georgius, Dux, 338
 Vasilides Joannes III, Moscoviae Dux, 184n
 Vassianus, Ep. Volodimirien., 182
 Vasylko, Rex Volhyniae, 35, 36, 38, 40, 41
 Vendensis Episcopus, 373, 639
 Veneti, 34
 Venetia, 274
 Vercellensis Ep., 229, 279
 Wežyk Jannes, Ep. Gnesnen., 419n, 486, 487
 Vidoni Petrus, Nuntius Varsav., Aep. Laudensis, 560n
 Viennense Collegium, 226n, 524n
 Vilamowski Joannes, 208
 Vilna, civitas, 225, 226, 613, 614, 615, 626
 Vilnensis Castellanus, 354, 367, 389; - Collegium, 227n, 295; - Ecclesia, 185, 188; - Episcopus (Albertus Tabor), 175, 179, 181, 182, 183, 184, 188, 199; - diocesis, 163, 178, 187; - Episcopus, 210, 261n, 293, 300, 342, (Benedictus), 353, 361, 367, (Eustachius), 409, 464, 502; - Palatinus, 509n, 349, 350, 367, 385, 564, 565; - Seminarium, 225n
 Wynnyckyj Innocentius, Ep. Peremyslien., 644, 645, 646, 647, 663n
 Visconti Honoratus, Nuntius Varsav., 494n
 Visniowiecki Michael, Rex Poloniae, 594n
 Vitalis Sanctus, 12n
 Vitebscensis Ecclesia, 617, 618; - Episcopus, 257, 616, 619, 626; - Subcameraarius, 534
 Vitellius Erasmus, Ep., 180, 183, 185, 188, 200n
 Vladimiriensis Eccl., 102, 103; Vladimirensis -, 146, 148, 150; - Episcopus, 296, 298, 299, 652
 Vladislaus, Rex Poloniae, 60, 101, 107, 522, 524, 570; - Princeps, 349, 366, 414, 432, 486n, 487; Vladislaus IV, 488n, 493, 496, 505n, 512
 Vladislaviensis, Episcopus, 342, 349, 353, 377, 377n, (Paulus), 402, 422, (Carolus Ferd.), 504; Palatinus, 354, 367, 383, 423
 Volodimiriensis Ecclesia, 180, 267, 269, 271, 272, 292, 299
 Volodimirius Sanctus, Princeps Kioviensis, 7n; - Rex, 40; - III, Princ. Volhyniae, 70n; - Olgerdi, 208n
 Volhynia, terra, provincia, ducatus, 6n, 97; - palatinatus, 327, 334, 349, 350, 510
 Wojna, Benedictus, Ep. Vilnensis, 293; - Abraham, 443, 485
 Wollowiez Eustachius, Ep. Vilnen., 241, 241n, 368n, 448n, 485n
 Wolski Nicolaus, Cancellarius Regni Poloniae, 431n
 Wolucki Paulus, Ep., 363, 403n, 422n
 Vota Mauritius S.J., 663n, 664
 Vratislaviensis Ep. Thomas, 51, 51n; - dioecesis, 89
 Vseslav, princeps, 5n
 Vsevolod, Princeps, 5n, 6n; - III, de Suzdal, 19n
 Vulterranus Ep. Robertus, 116
 Wydżga Joannes, Ep., 636n
 Wyhovskyj Ivan, 538n
 Vyšneveckyj Hieremias-Michael, 322n; - Michael Korybut, 321n
- Xanthopulus Theodotus, 118
- Yvanus, Ep. Peremysliensis, 75
- Zabokryckyj Dionysius, Ep. Luceor., 663
 Zalenskyj-Slubič, Ep. Volodimir. et Metrop. Kioviensis, 666, 666n, 668n
 Zaczynthus, 203

- Zagupiti Nicolaus (Jakubi), 147, 148
Zamoyska Catharina, 513
Zamoyski Joannes, Cancell. Poloniae, 283,
284, 307n, 442, 533, 631; - Thomas, 508
Zandomiriensis, Scholasticus, 23
Zaporoviensis exercitus, 654
Zaslavia, 528
Zaslavskyj Vladislaus, 512, 513n, 515, 516,
520
Zbaraskyj Christophorus, 454; - Georgius,
354, 453, 454; Stephanus, 454n.
- Zbirujskyj Gionysius, Ep. Pinsc. et Turo-
vien., 237, 237n, 238, 240
Zblaski Joannes Stanislaus, 638n
Zebrzydowski Nicolaus, Palat. Cracovien,
328, 328n, 397n, 427n
Zenonus, Ep. Bayocensis, 116
Zochovskyj Cyprianus, Metrop. Kioviensis
toriusque Russiae, 616, 640, 640n, 642, 646
646n, 665, 666
Zolkiewski Stanislaus Palat. Kiovien., 326n,
329, 333, 342, 365, 398, 385n, 400n, 426
Zyrovice, pagus, 497
-

INDEX TABULARUM

1. Pius PP. XII - Defensor christianitatis.
 2. Epistula Gregorii VII ad Demetrium - Izjaslaum de Kyjiv, qua eum sub protectionem B. Petri suscipit.
 3. Fol. 5v. ex « *Codice Gertrudiano* » saec. XI: Petrus-Jaropolk, filius Izjaslai, cum uxore et matre B. Petrum supplicat.
 4. Epistula Gregorii PP. IX, « *Illustri Regi Russiae* » data (1231).
 5. Pars fol. 5v. ex « *Codice Gertrudiano* » de Cividale a Kondakov reconstructa (cfr. sub nr. 3).
 6. Epistulae Innocentii PP. IV (an. 1246, superior pars), et Alexandri IV (an. 1257, inferior pars).
 7. Christus Jaropolk-Petrum cum Irene, uxore, regio coronans diademate, adstantibus S. Petro et S. Irene. Ex « *Codice Gertrudiano* », fol. 10v.
 8. Pars tabulae geographicae Guillelmi Sansone, editae a J. Rossi, Romae 1678.
 9. Tabula geographica Joannis Bapt. Homann sub tit. « *Ukrania quae et terra Cosaccorum* » edita Norimbergae an. 1716 in « *Orbe terrarum magno* » eiusdem auctoris.
-

INDEX GENERALIS

DEDICATIO	V
PRAEFATIO	VII
INTRODUCTIO	XI
DOCUMENTA	Gregorii PP. VII	3
	Innocentii PP. III	9
	Honorii PP. III	13
	Gregorii PP. IX	17
	Innocentii PP. IV	25
	Alexandri PP. IV	46
	Johannis PP. XXII	53
	Benedicti PP. XII	63
	Clementis PP. VI	67
	Innocentii PP. VI	73
	Urbani PP. V	83
	Gregorii PP. XI	87
	Iohannis PP. XXIII	99
	Martini PP. V	105
	Eugenii PP. IV	109
	Nicolai PP. V	125
	Callisti PP. III	131
	Pii PP. II	143
	Sixti PP. IV	161
	Innocentii PP. VIII	169
	Alexandri PP. VI	173

DOCUMENTA Iulii PP. II	191
Leonis PP. X	197
Clementis PP. VII	205
Pauli PP. III	215
Pii PP. V	219
Gregorii PP. XIII	223
Clementis PP. VIII	231
Pauli PP. V	317
Gregorii PP. XV	435
Urbani PP. VIII	445
Innocentii PP. X	541
Alexandri PP. VII	557
Clementis PP. IX	593
Clementis PP. X	605
Innocentii PP. XI	629
Alexandri PP. VIII	655
Innocentii PP. XII	661
INDICES	671
INDEX NOMINUM	673
INDEX TABULARUM	683

ERRATA CORRIGE

Aliqua quae notavimus hic corrigere utile fore duximus.

Vol. I

PAG.	LINEA (de supra)	SCRIPTUM	DEBET ESSE
19	13	constitutis	constituti
19	18	diente	docente
20	5	perfectum	profectum
20	11	manum	nostram
20	12	relinquens	relinquens
21	3	status	statu
21	22	disciplent	displicent
23	12	et	ne
29	10	affecteris	affectetis
33	8	peritiones	petitiones
33	28	volentes	volentes
38	24	illustum	illistrum
55	13	Regnas	Regnans
60	22	partenis	paternis
103	16	Arhciepiscopis	Archiepiscopis
111	2	—	Romae, 4.IV.1434
136	34	Privilegiorum	Privilegiorum
136	35	Bullarum	Bullarium
167	4	spectata	spectat
328	13	Crocoviensi	Cracoviensi
348	32	Archiepiscopo	Archiepiscopo
386	ultima	19.XII.1616, nr. 222	19.XII.1614, nr. 249
417	10	plocensi	Plocensi
428	24	Tuam... eius	Tuae... nostrae
429	8	moto	noto
431	35	Poannes	Joannes
437	12	venerata	venenata
437	13	nostra	monstra
453	17	frusta	frustra
458	21	—	Ad futuram... memoriam
529	33	omnio	omnino
560	23	sanctam	sartam
563	12	Nobilitati	Nobilitatis
588	25	canonivee	canonicee
635	16	Romae, 10.XII.1676	Romae, 19.XII.1676
658	18	Hodinka A.,	Hodinka A., op. cit., p. 289
663	9	catholica... summo fit	catholicae... summa sit

Vol. II

82	40	depositio	dispositio
113	9	actitus	actibus
131	32	Congreagatione	Congregatione
145	23	impressi	impressis
151	25	Sanc	Sane
193	35	Tyryntka	Turyntka
201	4	176	1769
214	6	Monchorum	Monachorum
263	21	Romae, II.1782	Romae, 26.II.1782
289	8	sanctae	sancte
295	14	19.II.1795	19.IX.1795
375	28	hortatus	hortatur
386	25	Michaæli	Michaeli
411	31	Peremyliensis	Peremysliensis
535	18	Homorius	Honorius
535	27	Isidorum	Isidorus
570	16	sopra	supra

